BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
13 C
20/11

OPVS PARAMIRVM AVREOLI *Theophraſti Paracelſi ab Hohenheim.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVVM ABSQVE cognitione principiorũ atq; præceptorum nihil verè poſſit ſciri: oportet opus PARAMIRVM cõſcribere, in tuum, doctor Ioachime Vadiane, honorem, qui præ reliquis ad veritatem ſternis omnẽ viã, in qua ambulantes decet hęc obſeruare. Videlicet conſiderãdi ſunt errores commiſſi in Medicina, in qua tu cunctis medicis noſtræ patriæ Heluetiæ præluces, ac iuſtam palmam fers, præſertim in iudicando eam. Nam (vt ingenuè dicam) ſpero & ſcio te eum eſſe, qui abſque perſonarum reſpectu, intellectis erroribus, citò eos reiecturus, & adhæſurus ſis veritati. Qua de cauſa etiam omni ſtudio in hoc ſum, vt tibi queam prodeſſe, & meum tempus, quod hîc in Sancti Galli vrbe inſumo,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nec inutiliter elabatur, ac tuam laudem & ſcientiam, vt excitem in rebus naturalibus ad indicandum, ne tui & mei vnquam Medicinæ operam nauantes obliuiſcantur. Tu enim, qui non ſolùm foues veritatem, ac non minimum deprehenderis membrum amplectendi veritatem, & promouendi ea quæ ſunt æternitatis, non minus etiam eris promotor earum rerum, quæ ſunt corporis, & in quibus æterna habitant. Quare meum officium eſt, tibi meã Paramirici operis partem dedicare, quæ hoc modo incipit.

Primò medicus animaduertere debet, hominem conſtare tribus ſubſtantijs. Licet enim homo ex nihilo ſit creatus, attamẽ in aliquid redactus atq; efformatus eſt. Illud aliquid eſt diuiſum in tria, quæ totũ conſtituunt hominem, ac ipſa ſunt homo, ac viciſſim ipſe eſt idem quod illa tria. Ex illis, & in ilis habet omnia ſua bona & mala, quãtum ad phyſicum attinet corpus. Ex quo ſequitur, medicum debere totam iſtorum diſtinctionem ſeu diſtributionem, compoſitionem, ſuſtentationem vel ſtatum, &

diſ-

diſſolutionem nouiſſe ac ſcire. Quoniã in ipſis tribus ita cõſiſtit morbus totus, medius, & minima eius pars, vt illic inueniatur quanta ſit magnitudine & numero ſanitas,& põdere infirmitas Non enim negare medicus debet: morbũ in numero,, menſura & pondere conſiſtere. Si ergo morbus ſic ſe habet, ante omnia iſtorum fundamentum eſt tradendũ,ex quo nomina ſua ſortiantur.Quod & imprimis ad introductionem neceſſarium eſt vt perpẽdatur.His quoq; mors adeſt,in eo, ſi illis tribus vita adimatur, quorum coniunctio & temperies, vita, adeoque ipſe homo exiſtit. Ex illis itaq; tribus ſubſtantijs proueniũt omnes cauſæ,origines & cogitationes morborum: nec non & ſigna,natura,proprietates,& quicquid medico cognitu opus eſt.Hęc itaque tria medico perfectè ſunt cognoſcenda, quænam ſint,& quomodo ſanitatem aut morbum efficiant. Sanitatis enim & morbi vna eademque eſt ſcientia.Sicut enim ægritudo naſcitur ex bona valetudine, ita quoque bona valetudo ex infirmitate. Vnde non ſolùm in morborũ cauſis cognitio verſatur, aut

verſari debet, ſed etiam in reſtituenda ſanitate. Cæterùm indocti medici innaſerunt lumen naturæ, illudque deprauarunt, & his tribus naturæ ſubſtātijs non perpenſis, aliud extra eum fundamentū ſibi propoſuerunt, quod ipſis proprij capitis phantaſia abſque naturæ luminis teſtimonio ſuggeſſit: nō animaduertentes, nullum medicum poſſe morbi vel hominis cognoſcere fundamentum abſque magno naturæ lumine, quod lumē eſt maior mundus. Quemadmodum enim aurū ſepties igne probatur: ita quoque medicus ſepties, ac amplius per ignē probari debet: hoc eſt, ignis probat tres illas ſubſtantias, eaſque oculis proponit puras & claras, ſinceras & perſpicuas: id eſt, dum ignis non adhibetur, nihil probatū adeſt: ignis omnia probat. Quod ſic intelliges: Sordes vbi amotæ fuerint, tres illæ ſubſtantię manifeſtè apparent. Sic ergo medicus probatur, non ſeipſum comburendo, ſed vt ars ipſius, theorica & practica, igne baptiſentur. Hæc enim ſe ruſticorum oculis nō ſubijciunt, nec manibus ita palpantur. Ignis igitur illud eſt, quod res abſconditas &

oc-

occultas in lucem profert.Hic eſt mundus, quo ſcien tia Medicinæ proponenda eſt.

Ex his ſequitur, Deum creaſſe medicinam,ideoq; eam igni cōſiſtere & probari. Sic quoq; creauit medicum,vt ex igne naſceretur.Medicus verò ex medicina eſt,& non ex ſeipſo. Qua de cauſa per examē naturę,(quæ ipſe maior mundus eſt cum omnibus ſuis principijs)oportet procedere,idque,quod ipſum natura docuerit,ſuæ prudētiæ ac arti commendare:nil verò in ſua ſapientia,ſed omnia in naturę ſolùm lumine inquirere,ac deinde hinc inuentam doctrinam in numerum theſaurorum illius referre,illiusque cuſtodiæ committere. Medicus ſanè cum ſuis operibus oculis conſpicuus eſt,& naturę quoque eſt manifeſta,& neutiquam occulta:ita quoq; cauſæ ſanitatis & morborum manifeſtæ ac perſpicuæ non occultæ eſſe debent. Idcirco primùm ignis fit mentio,quo occulta diſſoluuntur, explicantur,& cōſpicua redduntur.Ex hac inſpectione naſcitur medicinæ ſcientia.Ipſa enim eſt,quæ teſtimonium perhibet, hoc modo:Me-

Medicina ex Deo Medicus ex igne

dicus, quum ex medicina ſit medicus, & ſine hac nihil, & hæc ſit vetuſtior ipſo, qui ex hac eſt, & non contrà hæc ex illo: cogitur profectò id obſeruare, & in hac diſcere, quæ eius cauſa exiſtat, & non ex ſeipſo. Propterea in medicinæ natura, medici ſciẽtia, ars, theorica, practica, &c. ſunt ſitæ, & in ipſo prorſus nihil. His ſatis ſuperque reſponſum eſt errori, qui in natura non reperitur, ſed duntaxat con ſuetudine & proprio arbitrio conſeruatur & indicatur. In igne enim magiſter eſt, nõ in ipſo diſcipulo. Adhuc planiora hæc ſunt: In homine nihil eſt, quod ipsũ efficiat medicum: præclarum quidẽ habet ingenium, cui tamen nulla ars ineſt, ſed vacuum eſt, non aliter atq; pulchrè confecta arca, aut aliquod inane receptaculum, quod aptum eſt ad recipiendum quiduis, vt theſaurum, quẽ noſtræ colligunt manus: ſic etiam illud præclarum ingenium eſt abſque experientia, arte, & medica ſcientia. Quicquid verò diſcimus & probamus, illud eo retinemus, ac in vſum ſuo tẽpore proferimus. Et quò hæc manifeſtius & facilius medicus intelligat, obſeruet hæc duo exem-

pla,

Pla, quorũ vnum hoc eſt: Vitriarius, qui conflat vitra, vnde habet ſuã artem? non profectò ex ſeipſo: quia humanum ingenium eam nunquam per ſe poteſt aſſequi: verùm artis materias ſiue ſubiecta vbi in ignem conieciſſet, naturæ lumen ipſi demonſtrauit vitrum: quę ars in hiſce tribus conſeruata eſt. Eodem modo res ſe habet in medico. Huic alterum ſequens exemplum reſpõdet Architectus domui. extructurus, ex proprio illud ingenio reperire neq; perficere poterit, ſi materiam & inſtrumenta habeat: ſed non idẽ præſtare poteſt medicus. Etiãſi enim habuerit medicamenta & infirmos, tamen ſi caruerit ſcientia & cognitione earum rerum, nihil valet. Si verò non modò ligna, ſed & ſecurim, id eſt, & materiam ſimul & inſtrumenta habuerit, iam demũ medicus eſſe poterit. Vnde primò cogitur eſſe faber ferrarius, vt ſecurim faciat, poſtea ingenium ipſi auxilio eſt in illis vtendis. Sic ingenij præſtantia eſt ciſta & receptaculum medicinę, eiusq; ſcientiæ. Ex igne autem prouenit theſaurus, qui in eo reponetur & includetur. Quemadmodum ergo vi-

trorum conflator ſuam artem habet ex igne, qui prius ignorabat quid faceret, ſed poſtquam ignis ipſi artem demonſtraſſet, poſtea eam ingenio retinuit: ſic quoque ignis docet ſcientiam & artem medicinæ. Et hæc eſt vera medici proba. Illud tamen ſemper manet quoque verum, imperitos medicos, id eſt, qui non ſunt ex natura progeniti, nolle ſuũ præceptorem agnoſcere, ſed perſuadere ſibi propriam intelligẽtiam, & idola concepta, eſſe veram ſcientiam medicam, ac ſuæ artis fundamentum facere: quod dicitur, & reuera eſt, ſuper arenam ędificare. Quicquid ignis demonſtrat, hoc abſque ipſius opera nequit inueſtigari nec intelligi. Duplex enim eſt cognitio, alteram experientia diſcimus, alteram noſtro ingenio habemus. Prior iterũ duas in ſpecies diſtribuitur, altera eſt medici fundamẽtum & magiſter, altera autem eius eſt error & fallacia: quarum illam medicus ex igne deſumit & diſcit, dum Vulcanias exercet artes, tranſmutando, figendo, exaltando, reducẽdo, perficiendo, alijſque cognatis, quæ ad hæc perti nent. Hac experientia inueniuntur tres ſub-

ſubſtantiæ,cuius ſint naturæ,facultatis, proprietatis ac conditionis,per totum mundum in omnibus creaturis. Altera, ſiue poſterior, eſt qua fortè fortuna abſque prædicta experientia res aliqua ſuccedit ſemel atq; iterum,& non conſtanter,exiſtimatur tamen conſtans & perpetua,& talis experientia,cui fides ſit habenda,& in quam fundamentũ extruendi ſit iaciendum. Huiuſmodi profectò ſtructura caret omni fundamento,cui innititur error, & ornatur, obduciturq; fragilibus & fictis ſophiſmatis. Quòd ſi talis aliquis ſecum perpēderet, vnde experimētum oriretur, & inquireret quis ipſi dediſſet, inueniret certũ hominē,& qui antea ab alio accepiſſet,& hic rurſus ab alio:hoc modo regrediendo,tandem reperiret Vulcanum & Spagyrum,à quibus omnia experimenta ducunt ſuā originem. Sciendum itaque nos talia audiendo & legendo nō reddi doctos in medicina:ſed ſicut primus didicit,ita & nos diſcemus:qui illũ docuit,doceat & nos: natura in Vulcano ſit noſter præceptor. Si enim quis dicat: Fac hoc, & ſaluus eris:neceſſariò requiritur nouiſſe,quiſnā

illud dixerit: ſic peruenit ad eũ, qui ipſa exiſtit ſalus. Eodem modo & hîc: niſi ingrediamur in ipſam medicinã, hoc eſt, naturã, nunquam efficiemur medici. Si enim fundamentũ voluero firmũ iacere, oportebit illud deſumere nõ ab inuiſibilibus rebus, ſed à certis atq; conſpicuis dictis atq; rationibus. Nã illud medicus diligentiſſimè ſemper perpendet, nos ita Deum habuiſſe aſpectabilẽ, & tactu ſenſibilẽ, vt noſtrũ redemptorẽ veritatis fundamentum ipſemet audiuerimus. Multò verò manifeſtius medicina noſtris ſubijcitur oculis, quam videndo, & non ſomnijs, tactu, non vmbris percipere conuenit. Totũ verò illud inuiſibile atq; inſenſibile eſſe, propoſitũ atq; aſſertũ eſt ab ijs, qui oculos ignis non habuerũt. Vnde natus eſt error, ex quo medicina iſta omni fundamẽto carens conſtitutũ eſt. Difficile creditu eſt, quatuor in homine eſſe humores cum ſuis indicijs & accidẽtibus. In ſola fide iſta ſunt poſita. Medicina autẽ conſiſtere nõ debet in fide, ſed euidenti conſpectu. Nihil ſola fide cõfirmatur, præter animorum infirmitatem & ſalutẽ: omnis verò medicina

dicina eſt aſpectabilis,abſq; omni fide. In hiſce rebus perſimilis eſt error falſæ fidei aut religionis, vbi nõ omnis qui dicit,domine,domine exauditur. Hoc eſt, quum non ſis medicus, & nihilominus medicinam profiteris, experimentum quoties arripis,inquis:Fac hoc,fac illud, ſed ipſa non facit, quia te non agnoſcit, nec harum ouium verus es paſtor.Iterũ reſpondet, Non noui te, infirmos oportet medicum habere,& eum agnoſcere: quia ipſis creatus eſt.Qua de cauſa is demum ſolus eſt medicus,qui legitimè vocatur,cui ex terra creſcit medicina, quæ ipſum nouit, & poteſtatẽ habet ipſum conſtituendi & abdicandi. Totius itaq; medicinæ fundamentum & caput eſt,vt has tres ſubſtantias cognoſcamus,& experientia comprobemus, idq́ue non ex noſtro cerebro, aut aliorum relatu, verùm experientia,naturę diſſolutione atque examine, taliumq́; ſpecificarũ proprietatum & formarũ ſcrutatione. Homo enim docetur à maiori mundo, & non ex homine. Atque hæc eſt concordantia, quæ medicum perficit,dum hãc totam vniuerſitatem nouit,& ex ea ho-

minem:quæ ſimul ſunt,vna tantùm res, non duæ: quod experientia latius comprobandum relinquo.

Caput II.

TRes ſunt ſubſtantiæ, quæ vnicuiq; rei corpus ſuum tribuunt: hoc eſt, vnumquodque corpus tribus in rebus conſiſtit,quarum nomina ſunt hæc,Sulphur,Mercurius & Sal.Hęc tria vbi compoſita fuerint, corpus notatur,nihilque ipſis additur, præter vitam & accidentia. Sic corpus aliquod manibus arripiens, tres inuiſibiliter habes ſubſtantias ſub vna ſpecie & exiſtentia. De his itaq; tribus dicendum eſt: quandoquidem hę tres ſunt ſubſtãtiæ vnius formæ, quæ tribuunt & efficiunt omnem ſanitatem.Nam manibus cùm tenes lignũ, oculis tuis apparet vnũ eſſe corpus. Sed hęc noticia nihil tibi prodeſt:& ruſtici idem norunt.Te verò eouſque oportet inueſtigando progredi,donec ſcias certò,te manibus continere Sulphur, Mercurium,& Sal. Hæc tria vibi habueris aſpectabilia,tactilia & efficacia,ſingula à ſe inuicem ſeparata,tum demum oculos habes,quibus medicus cernere debet.

bet. Hi oculi tui non minus euidenter & perſpicuè debent videre tres illas ſubſtantias, atque ruſtici lignum integrum. Hoc itaq; tibi exemplum ſit, hominem quoq; tibi cognoſcendum eſſe eodem modo in illis tribus conſiſtere, quo lignum: hoc eſt, hominem eadem ratione habes conſtitutum: ſi amplectaris os eius, rude habes & ruſticũ: ſi verò ipſius Sulphur, Mercurium & Sal ſeorſim habueris, tum demum nouiſti quid ſit os, ipſiquè malè affecto quid deſit, quo modo afficiatur, & quibus ex cauſis, quáue ratione doleat. Sic externa ruſticis inſpicienda ſunt creata: interiora verò, & occulta medico. Si ergo hæc aſpectabilia fieri oporteat, & ſine manifeſta inſpectione iſtorum medicus imperfectus exiſtat, neceſſariò natura eò deducetur, vt ſeipſam conſpiciendam proponat atque demonſtret. Conſiderate igitur, in quam vltimam materiam res reducantur & diſſoluãtur, & quãtuplicem: in totidem quoque genera triplicem illam ſubſtantiam reperietis inter ſe mutuo diſtinctam. Hæc ruſticus nihili facit, permagni verò medicus: experimentator

quoq; negligit:medicus autem diligenter obſeruat: Erro quoq; ſiue impoſtor nihili æſtimat, maximè verò medicus. Imprimis enim cogitur medicus ſcire illas tres ſubſtantias, omneſque earum proprietates in maiori mundo: deinde callet eas etiã in homine, nouitque quid in ipſis ſit manus, quídue efficere poſſit. Ad hæc itaq; probanda atq; experiunda, à ligno ſumas initium. Id quidẽ corpus eſt, quod incendas. Quicquid ex eo ardet, illud eſt Sulphur: quicquid in fumũ tranſit, Mercurius exiſtit: quicquid verò in cinerem redigitur, Sal eſt. Talis conflagratio ruſtico quidem intellectum confundit & perturbat: medico autem oculos incipit medicos aperire. Sic hi tres illic reperiũt res, non plures, nec pauciores, easque ſingulas à ſe mutuo ſeparatas. De his porrò tribus amplius eſt notandum, omnes quidem res hæc tria habere, quæ licet non vno eodemq; modo ſtatim oculis exhibeãt, tamen ars ea patefacit, quæ illa in lucẽ producit & aſpectabilia reddit. Quicquid ardet, Sulphur eſt, & nihil flammã concipit præter Sulphur: quicquid in fumũ

tranſit,

tranſit, Mercurius eſt, & nihil ſe ſublimat ſiue aſcendit præter Mercuriũ: quicquid in cinerem redigitur, ſal exiſtit, nihilq́; præter ſal poteſt fieri cinis. Res ſanè illa quæ tranſit in cinerem, ſubſtantia eſt, eaq́; eſt pars ex qua lignum fit. Et quãuis vltima ſit materia, & nõ prima, tamen oſtendit primam materiam earum, quarũ vltima extitit in viuo corpore. Quãuis in viuo corpore nemo quicquam videat præter ruſticũ aſpectum, tamen ſubſtantiã ipſam demonſtrat ſeparatio. (Non loquor hîc de prima materia, quòd nolim hîc philoſophiam tractare, ſed medicinã.) Eodem modo, quo de Sale dictum eſt, obſeruabis fumum declarare Mercurium, qui ignis vi aſcendit, ac ſeipſum ſublimat. Et hîc quãuis materia prima nõ cadat ſub aſpectum, tamẽ aſpectabilis eſt primæ materia vltima, ita vt Mercurius agnoſcatur altera rei ſubſtantia. Sic quoq; omne ardens & igneum oculis apparens, ſulphur eſt, ſeipſum conſumens, quod ipſum eſt volatile. Sic ergo ignitum illud ſubſtantia quoque exiſtit, eſtq́; tertium eorũ quæ corpus perficiunt. Ex his theorica ſumi

poteſt,quid ſulphur,quid mercurius, & quid ſal ſit:quid in ligno aliȷſque rebus inſit: &ſi c eadem microcoſmo poſſunt comparari. Hinc de homine intelligis, corpus eius nihil aliud eſſe, quàm ſulphur,mercurium & ſal:in his tribus cōſiſtit illius ſanitas, illius ægritudo, & omnia illius accidētia. Et quemadmodū illa ſolùm tria in homine exiſtūt,ita eadem quoq; omniū morborū ſunt cauſæ,nō quatuor humores,qualitates,aut ſimilia. Non omnia quidem cōcipiunt flammam,veluti lapides: nihilominus tamen Alchimia demonſtrat, iſta conflagrationi apta fieri, etiam ipſa metalla, aliaq; omnia, quæ vulgò æſtimantur ardere non poſſe. Et quamuis multa aſcendendo non ſublimētur:attamē ars declarat, ea in ſublimationem deduci. conſimili modo:hæc omnia intelligenda ſunt de ſale. Nam quicquid ruſticorum oculis non ſubȷicitur, illud in arte ſitum eſt, vt oculis ſpectandum proponatur,quæ eſt ſeparationis ſcientia. Harum rerum cognitionem ars prædicta præbet,oſtenditq; ita ſeſe habere in omnibus rebus. Iam verò quod ad pro-

prias iſtorum trium naturas, virtutes, atq; eſſentias attinet, ſimiliter ſtatuendum eſt, proprietatem propoſitam aut eſſe in mercurio, aut ſale, aut ſulphure, ſiue bona ſint, ſiue mala, ſalubria ſeu inſalubria. Vnaquæq; enim ſubſtantia ſuã habet proprietatẽ. Si verò tria hæc coeant in vnum corpus, proprietates quoque ſub vna ſimul forma apparent: reſoluendæ verò ſunt ſingulæ & diuidendæ in ſuam ſubſtantiam, & non in communem. Proprietates enim illæ ſunt bonæ, & ſimulatque non adſunt, ſtatim adeſt morbus. Iam noſti quid ſubſtantiæ deſit aut decedat. Nam vnius deceſſus eſt alterius appoſitio. Et quot ſunt morbi, tot ſunt proprietates: & quot ſunt proprietates, tantus eſt numerus morborum. Ad huiuſmodi formarum proprietates tradendas & explicandas, pertinebat & primã mundi materiam declarare. Cæterùm iſtã cùm cõſtet fuiſſe, Fiat, quis audebit illud Fiat explicare? Interim verò nos aliquid ignis Vulcani beneficio habemus, quo iſta tria declaremus: nempe ſulphur cõmuni ſulphure, propter ſimilitudinis comparationẽ,

Mercurium argento viuo vulgari, ob eandem ſimilitudinem: Sal itē natiuo atq; conſueto ſale, quòd ſimiles quoq; producat effectus. Quamuis verò hæc cumprimis de maiori dicta ſint mundo, tamen & eodem modo ſeſe habent in minori: eo tantū excepto, quòd homo ſuam primam materiam habeat in limbo, qui Sulphur, Mercurius & Sal fuit, eſtq; quatuor elementorum cōplexio & compoſitio in vnum hominē. Qua de cauſa nouerit medicus, omnes morbos conſiſtere in illis trib. ſubſtātijs, nō in quatuor elemētis. Elementa quas habeant vires, & quid ſint, ad medicinam per cauſas cognoſcendā non pertinent: quātum verò ad humores attinet, ſunt matrices. Quo aūt modo matrices ſint, ſuo loco & capite docebitur. Ergo iſtas tres res ſolas medicus ſcire debet, cùm in ijs conſiſtat cauſa & origo omnium morborum. Quandoquidem itaq; humores iſtas in viuis corporibus non videt, ſed ſolùm in illorum diſſolutione & interitu, memor trium iſtarum intereuntium eſſe debet, quàm pulchrè ſeſe & excellenter habeant in hominib. Sul-

phur, Mercurius & Sal, dum viuunt ac valent. Rurſus quoad hæc viuunt, nõ ægrotant homines, ſed ſolùm quando diſſoluuntur: quare merito diſſolutionis curam habebimus. Inſpicite Carbunculum gemmam, qui eſt pulcher & nitidus, virtutiſque admirandæ: attamen nihil aliud eſt, quàm ſulphur, mercurius & ſal, ex quibus eum compoſitum eſſe probat ipſa diſſolutio: deformiſque res eſt, vita deſtitutus vbi fuerit. Aſcribas ergo vitæ illud impedimentum, quod tibi obſtat, quo minus iſta tria videas. Hæc enim eſt illorum trium velamen & integumentum, abſcondens illa. Sic inſpice quoque hominem viuum, quàm pulcher ſit, vbi verò moritur, quàm ſit turpis: vel eius aliquod membrum, ſi moriatur, quàm illud euidenter, rationiq; ac ſenſib. manifeſtè redeat in iſtas tres ſubſtantias. Quod eſt in mortuo ſiue cadauere, idem quoque eſt in viuo, ſed pictum & ornatum. Eodem modo & cedrus, viua quidem eſt pulchra: vbi verò in ignem proiecta fuerit, prodeunt in lucem illa, quæ vita occultarat: quod ſimiliter in omnibus alijs rebus contingit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Hæc omnia, quę multis rationibus probari poſſunt, ſolummodò propter exiſtentem in ipſis originem cauſaſq; vnde omnes morbi naſcuntur, rectè conſiderari atq; intelligi velim. Quandocunque enim hæc tria inter ſe conſentiunt, & non diſiuncta ſunt, ſanitas rectè ſe habet: vbi autem diſſoluuntur, hoc eſt, ſeparantur, aliud cadit, aliud ardet, tertiũ alia via diſcedit: huiuſmodi diſſolutiones ſunt morborum principia. Donec enim corpus permanet concors, nullus morbus ſentitur: ſin minus, ſed diſcordia incipit diuidi, ibi incipit medici conſideratio & ars. Vt ſi viri numero viginti fœdere coniuncti, quos noueris ſingulos, diſcordia ſeparentur, inquis, hoc modo fœdus ruptũ eſt, & illi diſiuncti ſunt: quod quidē percipis ex ipſis. Quēadmodum ex ipſis didiciſti, ſic oportet & omnes reliquas res cognoſcere, & in ipſarum diſſolutione diſcere, quid ruptum aut diſſolutum ſit. Vbicunq; hoc non fit, quid ibi aliud eſſe poteſt, quàm mortis principium, hoc eſt interitus regni totius? Quò autem intelligas concluſionem huius capitis & fundamen-

tum

rum propoſitionis eius,ſcias nihil aliud in eo tractari, quàm ſulphur, mercuriũ & ſal: hæc eſſe tres illas ſubſtantias, vita quidem occultas, eius verò receſſu in lucem prodeuntes. Hinc genera & ſpecies colliges, hoc modo, vt omnes iam morbos eſſe nominatos teneas, & ſi morbus vn⁹ aut alter accidat, dicas: hic morbus eſt,& hęc eius eſt cauſa efficiẽs. Non aliter atq; exemplum de amicitiæ fœdere,quod multi ſanciuerunt,docet, quod dum violatur ac diſſoluitur,dicis: hic aut illi ruperunt,hac vel illa de cauſa.Non ais,Cholera,Melancholia,Phlegma,&c.effecit, verùm ille vir,inquis,fecit. Eodẽ planè modo & de morbis intelligas. Plus enim & rectius eſt dicere, hic fecit, quàm ſi dicamus cholera fecit. Non minus itaq; morbus omnibus ſui partib. viro eſt cõparandus.Hoc obſeruate,ô medici. Hoc fundamentũ eſt, & in hoc cardo negocij vertitur, quòd morbus dicatur vir,cum omnibus proprijs viri accidentibus.Quia hoc modo cõplecteris elementa, tres illas ſubſtantias,quatuor aſtra,quatuor terras quatuor aquas, quatuor ignes,quatuor ac-

res,& omnes conditiones, mores, proprietates & naturas viri, ſine quib. nullus vnquam exiſtit. Quorum tu oblitus es eo in loco, vbi deſcribis morborum cauſas & origines duci ex quatuor humoribus, qui ſanè cum elementis, vel quatuor, vel tribus, nihil vnquam commercij habuerunt. Sic itaq; dicendum eſt, omnes viriles proprietates & naturas in morbo reperiri, eumq; virum appellari: qui ſicut natus eſt ex perfecto limbo, ſic etiam morbus.

Caput III.

Qvum itaque morbi hoc modo gignantur, ac viriles intelligendi ſint, opus fuerit ea aliquanto latius explicare, hoc modo. Sulphur eſt humor, Mercurius eſt humor. Sal eſt humor. Hi itaq; ſunt tres. Qui tamen tres humores ſunt corpora. Corpus hîc eſt humor, non res aduentitia: corpus ipſũ eſt illud, quod medicus ſibi habebit pro poſitum. Et quãuis dicere poſſes humores eſſe cauſas morborum, haud tamen ita eſt. Humor non efficit morbum, ſed quod morbum gignit, eſt aliud, videlicet

cet ſubſtãtiæ ens. Quicquid porrò morbum generat, illud neceſſario eſt virile, hoc eſt, aſtrale ex toto limbo: cũ tamen humor, vt vulgo æſtimatur, nihil ex aſtris in ſe habeat, quare nec morbũ producere poteſt. Iure itaq; morbus dicendus eſt maſculinus, propter virilem, quę eius cauſa eſt, naturam. Vnde obſeruetis, quæ ſint illæ tres morborum cauſæ, quibusq; nominibus appellentur. Prima eſt Sulphur, cuius vires cõſiderate, quod nunquam ſua natura quicquam mali efficiant, niſi ſit aſtrale, hoc eſt in ignis fauilla ipſi inijciatur. Tunc enim virilem induit naturam, concipiturq; à ſcintillis. Ardent itaq; ſolummodo maſculina, viriliſq; efficaciæ: abſque hac efficacia nihil agitur. Quoties ergo morbus à ſulphu e efficitur, primò ſulphur nominabitr ſuo proprio nomine: deinde verò virilis ipſius operatio, quæ ipſũ incendit. Sul uris multa ſunt genera, vt reſina, gum i, botin, oleum, axungia, pinguedo, butyrum & vinum ardens. Aliud enim eſt ſulphur ligni, aliud bruti, aliud hominis, aliud metallorum, vt oleum auri, lunæ, martis, &c. aliud lapi-

dum, vt liquor marmoris, aliud alabaſtri, &c. Nonnulla ſunt ſeminum & aliarum rerum ſuis quęque proprijs nominibus ſignata. Cùm itaq; ignis illi accidit, qui ſolus proprio nomine aſtrum eſt, jam hęc operatio eſt materia peccãs ex vna parte. Eodem modo & natura ſalis intelligenda eſt, quod per ſe eſt humor materialis, nec morbum gignit abſque præſentia aſtri ſui, quod eſt reſolutio, quæ facit ipſum virile. Qua de cauſa ſal reſolutum non minus atq; ſpiritus vitrioli, tartari, aluminis, nitri, & ſimiliũ ſe vehemens ac turbulentum oſtendit. Vnde quæſo humoribus, abſq; aſtro talis natura, cuius nemo medicorum meminit, ineſſet? Quòd ſi nulla alia re in medicina ſua tradẽda peccaſſent, quàm aſtri huius in omnibus curis & cauſis omiſſione, ſatis ſuperq; probatum eſſet, ipſos ſtructuram ſuam erexiſſe in luto aut arena. Ad hęc conſideretis, multa eſſe genera ſalis. Aliud enim eſt calcis, aliud cineris, aliud antimonij, aliud arſenici, aliud magnetis, ac eius generis ſimilium: quę omnia oriuntur & fiũt, prout corpus ſalis fuerit in certo aliquo morbo,

bo, vnde & peculiare nomen atq; proprietatem ſortitur. Conſimili modo & Mercurius ſe habet, qui ſolus per ſe non eſt virilis, ſublimatur aſtro Sole, alioqui non aſcendit. Multæ quidem eius ſunt præparationes, ſed vnum tantùm corpus. Corpus autem illud non eſt vt ſulphur, aut ſal, quæ multiplicia habẽt corpora, vnde multa quoque genera ſalis & ſulphuris reddunt: hîc verò ſolùm vnicum eſt corpus, quod aſtro multis & varijs modis præparatur, vnde & varij ex ipſo morbi proueniunt. Qua de cauſa etiam virilis eius natura ex aſtro eſt, quod ipſi morbos infert. Hac ratione omnes morbi iſtis tribus continẽtur ſub certis nominib. & titulis. Quapropter noueris in ſulphur eſſe redigendũ, quicquid ſulphureum eſt, vt flammam poſſit cõcipere: & quicquid mercurius eſt, in ſublimationem deducetur, quicquid ad ſublimandum aptum eſt: quicquid porrò ſalis, illud quantum eſt, totum in ſalem redigitur. Hoc itaq; modo hîc cõprehenduntur generales morborũ cauſæ, vt prædictum eſt. Conſtat ergò veriſſimum eſſe quod antea diximus, hæ

minem compoſitum eſſe ex iſtis tribus prædictis,& quòd iſta tria habeant medium corpus,quod eſt viuens. Ante hāc enim vitam eſt prima materia, ſed poſt eandem vitam eſt vltima materia: hæc verò eſt medium inter primum & poſtremum, eſtque cuius cauſa medicus & medicina ſunt creata.

Hoc verò medium corpus licet ſummum quaſi caput ſit,non tamen eſt ſubiectum,ſed ſolæ tres illæ ſubſtantiæ, remota vitæ eſſentia, proprietate atq; natura,cui nos nihil habemus addere, neque mutare. Quod verò noſtrum ſubiectum eſt,trifariam ſeipſum diſſoluit. Primò per ſeipſum: quod cùm fit,vita ſeipſum priuat. Vita enim eſt quaſi pax. vbi pax, ibi concordia. Simulatque verò cōcordia diſſoluitur, ſtatim quoq; pax deficit,& ſic quoq; vita. Quod ſi tria illa nolint indiuiſa atq; inter ſe conſentientia manere,vita migrat,ac ſubiectum illud relinquit mortuum atq; diuiſum. Secūdò fit,quoties temerè diſſoluimus in ipſa natiuitate,vel extrahēdo,vel alia noſtra violentia, qua contra nos aſtra prouacamus & concitamus, non ſecus

atque

atque ciuitas aliqua ſuum dominum in ſui ipſius perniciem commouet. Tertiò, licet per ſe nec rumpatur, nec partes eius ſeparentur, ſed concordes maneant, nec nos cauſas externas præbeamus: modus tamen tertius inuadit, qui eſt finis ſiue termin⁹: ita vt omnia, quantumuis bona, robuſta & pulchra ſint, certo tandem fine terminentur. Sic homo quoq; fini commiſſus eſt, & numerus annorum vitæ ipſius breuis eſt. Occurrit & illa quæſtio hîc conſideranda, cur tres ſint res, & non vna, & cur adeò multæ ac variç in ipſis ſint ſpecies, vt numerari nequeant, ipſæq́; ſpecies eiuſdē generis tantùm à ſe mutuo differant, vt reſina Rhetica non ſit eiuſdem naturæ cum reſina Norica, nec oleum amygdalorum Neapolitanicū ſimile oleo amygdalorum ad Larium lacum, & ſic in montibus aliud atq; in plano: quæ hoc loco non deſcribam. Cauſa verò, quòd tam intricatæ atq; multiplices ſint iſtæ res, hæc eſt: Chriſtus inquit Matth. 12. Omne regnum in ſe diuiſum deſolatur: hoc eſt, Omne temporaneum regnum ſeipſum diuidit: ſolùm Chriſti regnum

permanet,nec temporaneum eſt. Ergo & corpus non eſt æteruum,ſed mortale & caducum. Cùm ergo temporaneum ſit,neceſſariò interibit. Siquidem verò ipſi intereundũ ſit,in proprijs eius mẽbris oportet bella inteſtina moueri, ipſumq́; occidere & ſuffocare, idq́; varijs modis. Nam inſcrutabiles poſt tria prima ſunt ſpecies & cauſę morborum. Atque hoc eſt fundamentum & origo morborum,non quatuor humores. Eodem modo multiplex quoq; eſt medicina, vnde & variæ diſſolutiones facilè naſcuntur,& ipſa etiam medicina mortalis eſt,& cum homine minuitur ac augetur. Nã illi ſunt anni Platonis, quibus omnes eæ res ſeſe declarant: quorũ Arnoldus nonnihil meminit,quaſi eos intelligèret,ſed nimis tamen citò à fundamẽto rurſus excidit. Quiſquis aũt capita deſtructionis regni nouerit, is iam idoneus eſt ad introitũ cognitionis mei iam demonſtrati fundamenti. Ad concluſionẽ itaq; noſtri fundamẽti de omniũ morborũ cognitione ſequẽtur tres libri ad triplicẽ corporis viui diſſolutionẽ, in quib. declarãtur morbi q ex propria

pria

pria trium diſiunctione, ex nobis, & ex fine eueniunt. Eodem per omnia modo ſi medicus cupiat ſcire hominis naturã, cumq; cum omnibus morbis ſuis cognoſcere, oportet ipſum primò ſcire omnium rerum morbos, quos natura in maiori mundo patitur. Ea enim de cauſa ipſos perpetitur, vt nos videamus in hoc rerum genere hunc morbum, in illo verò alium, in homine verò omnes. Nam ex limbo cùm ſit factus, ea procul dubio de cauſa ex ipſo factus eſt, ipſius vt bona & mala quoque haberet. Quapropter medium cõſtitutum eſt à Deo duorum non ſequendorum eo modo atq; ordine, ſicut propoſitum eſt ab initio. Quum itaq; ſint externa, medicus ea extrinſecè diſcere debet, & concordantiam ſumere morborum in præparatione & diuiſione viſibilium rerum, & huiuſmodi corpora externè reducere in vltimam materiam arte Spagyrica: tum inueniet, quænam ſubſtantia morbi ſit cauſa. Hæc omnia ſi rectè coniunxerit, præditus erit omniũ morborum cognitione. Si verò in ſua tãtùm regione peritus fuerit, exteris prodeſſe non

poterit. Medicus enim duntaxat eſt in notis,& non in ignotis. Quare ne patiatur ſe ſeduci ab Arabibus, Africanis, Chaldæis,aut alijs Barbaris,nec hi viciſſim à nobis: vnuſquiſq; tãtùm alteri credat,quantum ipſe in igne expertus fuerit. Medicina enim non permittit credere,quod igni non probatũ fuerit: per ignem creſcit medicus,veluti dictũ eſt. Diſcite itaq; Alchimiam,quæ aliàs Spagirica vocatur: hæc docet falſa à veris diſcernere.Hoc enim eſt lumen naturæ, vbique probationes cernere,ac in lumine ambulare. In tali naturæ lumine loquemur ac dicemus noſtra,nõ ex phantaſia,in qua nihil prouenit præter quatuor humores,eorumq; cõpoſitio,augmentum,ſtatus & decrementum,alięq; ſimiles & inuiſibiles nugę,nequaquam ex præclaro ingenio,quod bonis impletum eſt theſauris,prodeuntes, ſed ex ficto & non probato fundamento.

Caput IIII.

MAgnus prȩterea error de complexionibus, medicorũ animos inuaſit,qui dicũt:Homo ille eſt ſangui-

guineus,aut cholericus,aut phlegmaticus,aut melancholicus:cùm tamen nihil horum ſit,vt multis rationibus probari poteſt. Quarum vna & generalis eſt hæc,quòd vita tribuat res illas, quæ vocantur complexiones. Quandoquidem itaque vita illas tribuit, & non tres illæ ſubſtantiæ, medico non proponentur cõſiderandæ.Nam ipſa vita,& quicquid ipſi adhæret & cognatũ eſt,medico minimè ſunt ſubiecta. Vnde etiam ſi complexiones exiſterent tales,tamen medico minimè venirent cõſiderandę. Quicquid enim vnà cum vita recedit,id medico nequaquã Theoricæ ſuæ loco eſt proponendum. Hoc medicus diligẽter ſecum perpendat. Siquidẽ error eſt non modò in ſanis,verùm etiã in ægris corporibus. Aſcribunt enim morbo,quod etiam in ſanis corporib.ineſſe arbitrantur. Sed & aliæ plures cauſæ ſunt, quòd natura corporis integri non ferat, huiuſmodi quatuor complexiones homini ineſſe,cùm ſit ſpecies. Nulli quippe ſpeciei ineſt complexio,ſed natura propriæ ſubſtantiæ. Natura verò eſt cõplexio. Quod dico, illud eſſe calidum,id il-

Complexiones in homine non non sunt in consideratione Medici

lius non eſt complexio, ſed natura habet ex ſua ſubſtantia, tanquam colores. Hæc non pertinent ad ægritudinem & ſanitatem. Oportet rem eſſe frigidã aut calidam. &c. in ſua natura, quod nihil ad viuum corpus attinet, ſeparatque ſe ab infirmis & mortuis. Ad hęc, quòd dicãt, mores, geſtus, ingenium, cõſuetudines, naturam & vſum eſſe ex cõplexionibus, id falſum eſt. Ex aſtro enim, non complexione proueniunt. Fel non cõcitat iram ſed Mars. Vnde ſequitur, fellis veſicam redundare, non ſecus ac ſtomachum alimento externo nimis impletum, ſic Mars veſicam fellis efficit redundare. Iſtiuſmodi rerum cauſas ſcire eſt Aſtronomi, non medici, quarum tamen illi nunquam meminerũt. Facilè igitur incidit in errorem, qui ſua principia, propriamq; artem non perfectè nouerit. Hinc ſcitote, non exiſtimandum vobis eſſe, cõplexiones medico eſſe ſubiectas, aut materiam, cauſamúe morborum. Quia res tales aſſcribuntur vitæ, non phyſico corpori.

Quòd autem calidus aut frigidus, humidus aut ſiccus ſit morbus, ne illud

com-

plexionem dixeris: ſunt enim conditiones, non cōplexiones. Complexio conſiſtit in duobus, calore videlicet & humiditate, vel calore & ſiccitate. Sic quoque frigidū & humidum, aut frigidum & ſiccum accedit ad elementi naturā, quæ hîc non eſt ſpectanda. Similes quoque conditiones morborum ſunt calidum aut frigidum abſq; humiditate & ſiccitate. Cuiuſmodi mo[illegible] ſic conſiſtunt, vt hic calidus ſit, & nihil præterea: ille verò humidus, & nihil aliud: ita vt in vna qualitate conſiſtat conditio, non duabus. Dico maniam eſſe calorē abſq; humido & ſicco: Hydropiſim verò eſſe humiditatem, quæ habeat neq; calorē, neque frigus: eademq; ratio eſt & reliquorum morborum. Diligenter & hoc in medicina obſeruandū eſt, ſecundum gradum, id eſt, duplicē complexionem, non eſſe accipiendum, ſed omnia reſpiciunt vnicam ſuam conditionem, hoc eſt, calidam, ſiccam, humidam, vel frigidam. Quia in morbis non conueniunt ſimul, ſed ſingula ſeparatim conſiſtunt. Cùm res duæ ſunt coniunctæ, ſiue cùm res duplex eſt, ad vitam pertinet, non ad

medicum. Vt res ſi pulchrè ornata fuerit, eleganterq; coloribus tincta, quid hoc ad medicum? nihil. Sic quoq; nihil ad ipſum pertinent complexiones: naturæ ſunt veſtitus & ornatus medico non conſideranda. Si verò ſcire cupias, calorem ſolum, frigus ſolum, humiditatem ſolam ſiccitatem item ſolam conſiſtere: inſpicias illud quod ſolum conſiſtit & ſimplex eſt. Id ſanè vita caret, & ab ea ſe ſeparat, propterea quoq; morbus adeſt. Similiter corpora incenduntur ab aſtris, quæ alioqui nō ægrotarēt: aſtra fiunt ipſorum bella inteſtina. Ergo corpus iam incenſum, vnum ſibi ſumit, non duo, conijcitq; vel in calorem, vel in frigus, vel in humiditatem, vel in ſiccitatem: ac illud in quo tranſit, medico eſt conſiderandum. Quòd vt intellectu facilius ac planius ſit, tali exemplo declarabo. Quidam alteri vulnus infligit, aut ictu tuber efficit, aut crus amputat, aut aliquid ſimile. Ictus ille per ſe nec eſt calidus, nec frigidus, nec humidus, nec ſiccus, ſed ſolū ictus eſt Eodē modo animaduertite, omnes morbos initio eodē modo ſeſe habere & gigni. Si itaq;

hoc modo in corpore ſeſe habeāt, quid aliud ſunt, quàm vulnus, vbi nec calor, nec frigus, nec humiditas, nec ſiccitas ſpectatur? Vera itaque ars conſiſtit in incarnatiuis: quæ incarnatiua ſiue ſint calida ſiue frigida, ſiue humida, ſiue ſicca, nil tibi ſit curę: ſi modò incarnatiua ſint, tibi ſufficiat, aliaq; omittas. Et quā uis vulnera nonnūquam efficiantur calore & febri, tamen, iſtiuſmodi res non ſunt morbi. Tu tibi morbum proponas conſiderandum, qui nec reſtinctionem, nec refrigerationem requirit. Hęc enim produnt tuam impoſturam atque errorem, & te non eſſe inſtructum incarnatiuis, vt debebas. Eadem via progrediendum eſt in hydrope: ea videlicet ęgro exhibeas, quæ ſal reſolutum pellant, nec ſpectes calidum aut frigidum, quia in iſtis medicina nō eſt ſita. Quemadmodū colocynthis purgat abſq; reſpectu cōplexionis, & conſimili quoque ratione turbith, quam vim à complexione non habent, ſed à virili natura: ita quoque omnes rerū virtutes ſunt arcana, vt ſuos morbos eo modo ſanent quo facti ſunt. Sine cōplexione fiunt, ſine complexio-

ne etiam curantur. Hoc omnes obſer- uate:Cum natura veniunt, cum eadem etiam abeunt. Quòd verò ignis extinguatur aqua,non fit frigore, ſed humiditate. Similiter quòd ignis calefaciat,id non euenit ratione ſiccitatis,verùm caliditatis. Sic vnicum & ſimplex permanet illud, quod morbum regit: nec tamen eſt natura peccans,ſed quaſi color qui nihil corpori tribuit,nec ab eo quicquam aufert. morbus ſe habet non ſecus ac gladius, ſecans abſq; omni complexione. Aliquando contingit,vt ſulphur incendatur ac ardeat,veluti in Perſico igne.Quæ eſt eius medicina? Extinguere ipſum tanquam ignem.Cùm verò camphora alijsq; ſimilibus cura fieri ſoleat, euentus inconſtans expectandus eſt. Hic præcipuum fundamentum eſt, conſiderare quidnam extinguat inuiſibilem ignem.Quia extinguere eſt verum ipſius fundamentum: refrigerare autem ipſius venenum: repulſionē alia ſequuntur mala. Hoc modo nos agere Deus non vult,ſed incumbere perfectæ medicinę recto ordine diſpoſitę. Quemadmodū oculi noſtri teſtantur de aqua

&

& igni,ita quoq; aperientur in arte,vt & medicè & ruſticè cernamus id,quod ruſticus manifeſtè videt. Huiuſmodi fundamẽto cogimur curam incipere. Quare meritò à complexionibus & quatuor humoribus recedemus ac deficiemus: quę hîc non ſunt obſeruanda,vt factum eſt ab ijs, qui medicinã in errores tranſtulerunt.

Verùm illud quidem eſt, omnẽ morbum aut eſſe calidum,aut frigidũ. quid enim caret calore? Sic nihil abſq; alterutro dictorum, quæ tamen nihil aliud ſunt,quàm ſignum & conditio morbi, non ipſe morbus.Quiſquis autem ſigna putat eſſe materiã,errat. Quid eſt,quòd frons ardeat,totumque caput & vniuerſũ corpus caleat, vrina rubeat, pulſus ſit celer, hepar ſitibundum,aliaq; ſimilia?Hæc morbum indicãt,non ſunt materia, ſed multùm differunt à materia. Fallunt homines adulterando morbos: vt fit in cholica ex cõſtipatione. Perpendas tecum,qaanta illic accidant tormina,calores,cõtracturę, ſitis, ſcabies,aliáque eius generis plura:quę omnia te nõ perturbent. Conſtipationem ſoluas, &

omnia prædicta ſponte diſcedent. Cogites quæ,& quot ſymptomata ſint calculi: quæ tollere ſi velis, auferes cultro vnà cum lapide abſque calore & frigore, ſine omni complexione & humore. Hoc ſit vobis non ſolùm in morbis, verùm omnibus rebus exemplum: culter eſt calculi arcanum: ſic videte,quomodo & reliqua debeant eſſe arcana. Hoc eſt,quicunque vult calidis aduerſus frigida,humidis aduerſus ſicca, &c.vti, nō intelligit morborum originem & fundamentum. Siquidem in mania videtis nihil ipſam curare, præter venæ ſectionem,quæ eius exiſtit arcanum,nō camphora, non nenuphar, non ſaluia,non maiorana,non clyſteria, non infrigidantia,non quid pro quo,ſed phlebotomia. Si hæc ita ſe habeant in mania: vna & eadem erit ratio in alijs omnib. morbis, quorum ſingula habēt ſua arcana. Cuiuſmodi quædam quoq; dicenda ſunt de ſanis hominib. Quoties dicimus hominem eſſe melancholicum,perperam loquimur. Nam lumen naturæ neſcit quid melancholia ſit. Si aūt dixeris, eſt morib. & geſtu Saturninus, aut Lunati-

cus,bene loqueris: Quia morũ noſtrorum & geſtuum proprietates & conditiones informãtur à ſtellis, quibus melancholia non ſubijcitur. Quare ſi ipſa non ſit aſtrorũ, non debet quoq; proponi in medicina tanquã columna ſuſtentans fundamentum profeſſionis. Si habeat ſuam ſedem in liene, Saturni erit lien, eumq; Saturnus gubernabit, & Saturnus vnà cum liene tribuent melancholiæ morbos lienis. Ipſi aũt nihil dicunt de liene nec Saturno, ſed de melancholia. Quartana etiam febris à Saturno genita & fabricata eſt, ſequiturque eius impreſſionẽ. Vbi ergo manet melancholia? Vnde ſequitur, humorẽ errore conſtiturũ eſſe, ac reuera nihil exiſtere. Loquuntur etiã de phlegmate cerebri multo abſurdius, de quo craſſo errore non opus eſt, vt quicquam hoc loco dicamus: ſic quoq; de cholera & ſanguine. Vbi autẽ relinquuntur pulmo, ren, ſtomachus, aliçq; partes, pręſertim cor? Humores cùm vellent inſtituere, cordi vtique præ reliquis vnum deberent aſſcribere, ſimiliterque pulmoni, hepati, renibus, alijsq; membris. Nam vnum-

quodq; corporis membrũ habet ſuum humorem, non tamen ſimilem vlli ex quatuor, verùm pro membrorum conſtitutione & effectu ſingula poſſident proprios, ſuaque munera obeunt, alterius non habẽt curam. Lien facit ſuum officium, renes ſuum, pulmo ſuum, receptaculum choleræ ſuum, locus phlegmatis ſuũ, ſimiliter & melancholia. Abſit longè a nobis, vt diuidamus corpus in quatuor columnas humorũ, tanquã quatuor elementa. Verum eſt, quatuor elementa eſſe. Quid autem elementum ſit, ſi quis velit ſcire, animaduertet elementum eſſe matrẽ ſui fructus. Sic terra eſt mater ſui fructus, veluti manifeſtiſſimè patet: qui fructus nec frigiditatem, nec caliditatẽ terræ curat, quæ etiã per ſe nihil exiſtunt, ſed neceſſariò illuc conueniunt omnia quatuor elementa. Ita quoque intelligendum eſt de aqua, aere & igne. Veſtro autem ex indicandi atq; explicandi modo apparet, vos nunquam rectè intellexiſſe naturã elementorum. Si enim intellexiſſetis, longè melius microcoſmum quoq; diuiſiſſetis, quem tamen craſſiſſimè explicatis.

Ca-

Caput V.

QVandoquidem vltima materia demonſtrat, cunctas res in tribus conſiſtere ſubſtantijs, easq; tres medici eſſe ſubiectum: iam conſiderandum eſt medium corpus adeò pulchrè fabricari & mutari, vt ſubſtantijs ijs nō ſit ſimile. Quæ tamen cōmutatio non aliter ſe habet, ac ſi imago pingatur à pictore in pariete, aut ſtatua ſculpatur in ligno. Non ibi videtur lignum, ſed pulchra imago, & vuido panno omnia citò auferūtur, quæ pictor adornauit. Eodem modo habet ſe vita noſtra. Omnes ſumus ſculpti & formati à Deo, conſtitutiq; in tribus ſubſtantijs: deinde depicti vita, quę nobis aſpectū, auditū, & motum ſuppeditat, ac vno ſordido ac madido panno tota expungi poteſt. Hîc diligenter cauendum eſt, ne vita cum ſuis circumſtantijs fallat. Miſer enim ac tædioſus eſſet pictor, qui picturam ſuam ita trib. induceret ſubſtantijs, vt apparerent non ſecus ac ſi vnā Sol depinxiſſet, aliam Luna, tertiam Venus, & ſic de reliquis: alius apparet candidus, alius ſpadix, ali⁹ hoc modo, alius alio. Pictoris eſt

artificium, qui ſuas ſtatuas ita exornat, ſed nihil ad hoc ex ipſo picto deſumit vel aufert. Meri ſunt colores, non ex oleo aut bitumine, ſed vmbrę & aeri ſimiles. Verùm quidē eſt, aliquos eſſe colores hominis, qui neceſſariò obſeruētur: ſed à morte originē ſumunt, quę & ſuos habet colores, ipſaque cùm accedit ac dominatur, vita diſcedit. Quid hi colores declarāt? mortem, eiusque morbos. Hi duo colores obſeruandi quidē ſunt, ſed non demonſtrant morborum fundamētum: quia ſunt ſigna: & ſignorum natura eſt incerta & fallax, tanquam oratio ſimulatè pronunciata ore abſque vero cordis affectu. Propterea verò, quòd colores inuenias in omnibus corporibus, non inde tibi perſuadebis, eos tuam in poteſtatem poſſe redigi. Siquidem nec cælū, nec terra ad hoc tibi ſunt auxilio, quòd omnia iſta longè excedit. Nihil autem illud cogitandum aut ſciēdum eſt, quàm omnes res conſiſtere in imagine: hoc eſt, ſingulas res eſſe imaginibus præpeditas, in quib. anatomia eſt ſita. Homo eſt imagine ornatus, quæ ipſius eſt anatomia, quam medicus ne-

ceſſariò

ceſſariò cognoſcet. Sic enim ſunt quoque morborum anatomiæ. Hoc eſt, Hydrops ita imagine eſt formata, vt imaginem vel ſimulachrū formari decet. Nō ſufficit igitur hominis anatomiā ſcire, verumetiam hydropis tenere ac intueri oportet, nō fucus, ac ſi picta aut ſculpta in aliqua forma, ipſi eſſet propoſita. Similis eſt ratio & omnium reliquorum morborum. Ad huiuſmodi picturam anatomiæ deſcendam. diligenter nobis contendendum eſt, quòd abſq; illa nunquam natura nos vocabit medicos. Exemplū ſumite à roſa vel lilio: cur Deus iſtum florem, aliaq; ſimilia tali imagine formauit? Propterea quòd medicū & eius medicinam crearit ex terra, ita vt ſciat quid ex terra proueniat in ipſius anatomia. Roſæ anatomiam vbi cognouerit, diſcet anatomiam morborum, ac reperiet concordantias eorum, quę cognata ſunt ac coniungi debent. Ex concordantia duarum anatomiarum creſcit medicus, nec vnquam ſine ipſis exiſtit. Felix admodum eſſet afflicto hora laborādi in illis. Vnde animaduertatis: quicquid matrici prodeſt, id prępditū eſt

matricis anatomia & omniũipſius mor borũ anatomia in hoc cõtinetur. Qua de cauſa meritò anatomia morborum. & omnium rerum naturalium ob oculos ſemper verſabitur. Sic Deũ in ipſius mirabilibus operibus agnoſcemus, ac perpendemus nobiſcum admirandas illas imagines nulla alia de cauſa exiſtere, ne etiam aliã ob cauſam morbos valde mirabiles eſſe. Et quiſquis morborum huius Roſæ anatomiam tenuerit, gaudebit, quotieſcunque inſpexerit ipſam. quòd talem medicinam Deus ipſi ordinarit, ac dederit, quæ amicè ipſos intuetur ac ſanat, non abſque lætitia ac conſolatione. Similiter agunt, lilium, lauendula, aliæq́; res ordine omnes. Quid autem ſunt colores? Nihil niſi externorũ oculorum delectationes & paſcua. Morbi non incommodè ipſis conferuntur, dum in vltimam ſuam tendunt materiam: vt in guſtu. Quid aliud eſt guſtus, quàm pars anatomiæ, quæ ſolùm declarat, ſimilia ſimilibus eſſe coniungenda? Ex quo ſequitur, ſingula corporis membra ſuos habere diſtinctos guſtus, quo dulce cõiungatur ſuo dulci, & amarum

ſuo amaro, prout grad⁹ dulcedinis ſuas amaritudines retinent. Quis profitebitur, ſe videre poſſe medicinam hepatis in gentiana, agarico, colocinthide? nullus medicus. Quis item fellis medicinā videat in manna, melle, ſaccharo & polypodio? Nullus certè medicus. Similia ſimilibus coniungi debent, nō temerè, ſed ordine anatomico: non frigidū contra calidum, nec viciſſim calidum contra frigidum, ſed omnia in anatomię vera liuea. Mirabilis & abſurdus fieret ordo, ſi conaremur in cōtrarījs & pugnantibus ſalutem noſtram qnærere. Nullus filius à patre panem perēs, accipit loco panis ſerpētem. Ita æſtimabimus & nos Deum erga nos eſſe: qui nos creauit, largitur nobis ea quæ petimus, non ſerpentes iſtorū loco. Vt igitur puero petita tribuūtur nō venena, ſic quoq; felli ſua poſtulata, cordi ſua, & hepati ſua. Hoc ſit fulcrum firmiſſimū, cui inſiſtat medicus, cuiq; videlicet rei tribuere ſuum ordinatum medicamē. Quia panis, quē puer comedit, ſuam quoq; habet anatomiam, veluti omnes res, ac panem edendo propriū corpus ſumit. Sic quoq;

ſe habet vnaquæque medicina. Anato-
mia ſuos debet habere morbos. Ignaro
anatomiæ durũ ac difficile eſt ſequi pro
bitatem, eiusq; ſimplicitatem, facilè au
tem ipſis, qui omnem probitatẽ negli-
gunt, turpitudine & vitijs non mouen-
tur: iſti ſunt luminis naturæ hoſtes. In-
ſpicite oculũ capitis, quàm mirabiliter
ſit formatus, & quãta admiratione me-
dium corpus ſuam anatomiam in ima-
gine conſtituerit, ipſique ſuum guſtum
tribuerit. Ex guſtu & ſpecie oritur cogni
tio ipſius medicinæ. Obſeruate anato-
miam, & vbi eius morbi aduenientes, vt
cataracta, macula, albugo, ſcotomia, &c.
habitent. Poſtquam verò ſimplicia ocu
lorum inueneris, diligenter inſpicias il-
la, vt reperias morbi ſpeciem in ſua ana-
tomia. Vt exempli gratia: Morbus na-
ſcitur aliquis ex tranſmutatione: iam &
tu tranſmutes eorundem oculorum a-
natomiã, ac in ipſa tranſmutatione in-
ſpicias anatomiam guſtus, & formę, ma
gis tamẽ guſtus quàm ſpeciei, vt habeas
concordantiam earũ rerum in prõptu.
Quis obſecro cęcus à Deo peteret panẽ
quum ſciret venenũ datum iri? Propte-
rea

rea ſis in anatomia peritus & doctus,ſic non dabis lapides pro panibus. Cogitabis enim te eſſe infirmorum patrem,nō doctorem : nutrias itaq; illos tanquam pater filiū. Ac veluti pater filio ad hoc datus & quaſi conditus eſt, vt illum pro neceſſitate ſuſtentet, eundemque, quē ipſe comedit cibū, prębeat: ſic & medicus ſuis ægrotis.Atq; ex huius vnici exempli intellectu, reliquorum omnium quoque morborum exempla ſunt accipienda. Quicquid trāſmutatum fuerit, id & tu tranſmutes, diligenterq; obſerues,vt ſanè coniungantur anatomiæ. Deinde quoties morbi ingruunt,etiam atq; etiā curato,vt eos certa proportione in vtraq; tranſmutatione conferas. Hoc modo omnia recepta ſeu formulæ medicamentorum ordinari & componi debent: non prolixis theriacæ, ſyruporum,aliorumq; ſimilium compoſitionibus, in quib. nulla obſeruata eſt anatomia,ſed ſolùm phantaſia. An nō igitur iure ipſorum ordinationes & recepta hæreditate quaſi accepta relinquā & abijciam? Profectò iuſtè & rectę. Quòd verò multę nonnunquam virtu-

tes & vires in nonnullis huiuſmodi receptis,in quibus operationes aliqua ex parte ad ſanitatem (licet non ſine periculo tendunt)reperiantur, id inde euenit,quòd fortè fortuna aliqua tangatur anatomia , aut aliquod principale ſeu peculiare ab egregio medico ſit inſertum,quod iſtorum ſtultitiam obſcurat ac tegit,ſimulq; defendit ſuum honorē & aſſutū ſibi nomen:hoc eſt magiſteriū talium hominum.Quàm turpiter errat iſte,qui fundamentum iecit in luto muſcoſo atque paluſtri,qui quotidie cogitur ſuffulcire,quò fundamentum lubricum & fictum conſeruet.Fulcra quippe plena ſunt ſophiſmatibus ac fallacibus blandimentis : varia ac preciosa in vnū cogit,quorum plures ſunt naturæ,magisq; variæ natiuitates, quàm nomina, quorum tamen numerus eſt infinitus. Sit hæc quæſtio propoſita: Vtrum vinū & oleum vulnerib. conducant, quemadmodum Chriſtus de vulnerato dicit in Hiericho.Negare non potes:ſed verū illud eſſe fatendū eſt,non figurā,non ſimilitudinem, non fabulas, non præſtigias.Hæc ita cū ſeſe habeant,& illa duo

ſint

ſint medicina: oportet vos agnoſcere veram ſtultitiam, cùm nihil iſtorum poſſitis ſanare, quæ Samaritanus curauit. Etiamſi verò hiſtoria hoc modo reuera geſta non eſſet, nihilominus tamẽ Chriſtus, qui eſt veritas, nequaquã inutilem aut falſam docuit medicinam, ſed veram anatomiam & arcanum. Abſit longè à nobis, cogitare Chriſtum ſimplicia naturæ malè allegaſſe. Cùm itaq; illud arcanum ſit ad vlnera, conſiderate quid vobis deſit, vel quid decedat. In hoc certè conſentire oportet, oleum & vinum ſufficere, alioquin nullum eſt in medicina fundamentum. Idcirco diligenter obſeruate & diſcite præparationes, vires, tempus horam, proprietates & conditiones, & quæcunq; alia ad hæc conducunt. Nam hoc ſi concedas, granum non proferre fructum, niſi iactum prius in agrum, putrefactum fuerit: & illud neceſſariò verum erit: vulnus eſt ager, oleum verò & vinum, ſemen: iam tu coniecturam fac, quid ſit fructus.

Caput VI.

HAec omnia manifeſtiſſimè in lucē proferũt artes illę, quæ diſſoluunt ac diuidunt corpus viuũ,quod nõ eſt microcoſmus: hoc eſt, in vita debet experientia fieri. Illud tamen verum eſt, experiri in vita,quid ſit in medio corpore,eſt diſſolutio præſentis, & commutatio in aliam. Primæ enim vitæ nihil ſuperſtruas,verùm ſecundam accedas, in eaq; quæras, quæ oritur ex artibus, non in vſum animæ:hoc eſt,non eſt hæc vita hoſpitium animę in pręſenti ſeculo ſeu priori vita. In hac ſecunda vita artes inueniuntur,& fundamentũ quod proponitur. Conſiderate enim infirmitatem prioris illius vitæ,quę ſi tranſitura ſit in efficaciam atque energiam ſuorum arcanorum, prius emoriatur neceſſe eſt, cùm nihil ſit in ipſa,quod homini proſit. Roſa magnum quiddam apparet in priori vita, & pulchrè ornata ſua fragrantia: quandiu tamen eam habet ac retinet non eſt medicina,ſed neceſſe eſt eam prius putreſcere,& in eadem putrefactione mori,poſteaq; renaſci. Hoc facto,loquere de virib. ipſius medicinę,& admi-

adminiſtra eam. Siquidē ſtomachus nihil integrum aut imputrefactū eius relinquat, quod in humanā tranſibit naturam, ſed omnia ſeparet, digerat, ac putrefaciat. Itaque & tu nihili facias priorem vitam, nec quicquā in ipſa quæras: vniuerſa eius cōplexio, & quicquid eſt, perit, nec quicquā permanet. Quicquid verò nō permanet, quicquid nō tranſit in regenerationem, id medico non eſt ſubiectum. Omnis labor, omnisque conatus illius tendet in regenerationem: inde ſcaturiunt tincturę, arcana, quintū eſſe, in quib. omnia myſteria, totum fundamentum, verus labor, omnisque cura ſita atque recondita ſunt. Vbi poſterior vita adeſt, ibi prima materia conſpicuè cernitur: cuius vltimam vides, dum prior vita medij corporis recedit: poſtquam mediam vitam noua vita debet incipere, quę nulli parti ſubiecta eſt, niſi fini, in quo omnia diſſoluuntur: & dum mors diſſolutionis inuadit corpus, noua vita non adeſt. Hæc in homine præmeditari, in ijsq; firma fundamenta iacere oportet. Nā in explicatione ac diſſolutione medij corporis pateſt prima

materia, quã qui cognouerit, eiuſdem quoq; ſubiectum callet vitamq; ipſius. Duo ſunt ſubiecta, alterũ eſt infirmus: hic non traducitur in nouam vitam, ſed media ipſi permanet. Alterum verò eſt medicina, quæ mediam vitam cõſeruat per ſuam nouam. His itaque de cauſis in noua vita conſiſtunt arcana, non autem in prima ſeu media. Bene quidem & rectè faciunt, qui anatomiam microcoſmi duplicem inquirunt, cuius altera eſt localis, altera materialis. Localis eſt diſſolutionis hominis in ſuas partes, vt appareat, quòd os, caro, neruus, & reliquę partes ſint, & vbi collocatę. Sed hęc minimi eſt momenti: altera hanc longè excellit, eſtque illa qua noua in hominẽ vita introducitur poſt primam mediam vitam in tranſmutatione, qua deprehẽditur quid ſanguis ſit, & eiuſmodi Sulphuris, Mercurij & Salis: ſimiliter quid ſit cor, quale ipſius exiſtat Sulphur, quale Sal, & qualis Mercurius. Eadem eſt ratio cerebri omniumque corporis partium. Hęc eſt vera anatomia, et primum omnium fundamẽtum. Hoc modo naſcetur medicus. At hęc natiuitas difficilis

lis eſt intellectu, & durus ſermo ijs, qui ſuæ phantaſiæ opiniones nolunt relinquere, quiq; proprij cerebri figmentis, non viuæ veritatis confidunt. Niſi profectò in artis vita educemur, quis nobis credet aut fidem habebit? Hæc verò eſt primæ materiæ inuentio: hæc quoq; eſt ipſa prima materia, quæ nobis morbos indicat: hanc nos nouiſſe oportet. tunc demum tranſmutatam quoque anatomiam poterimus cognoſcere. Ad hæc alia nunc ſequitur anatomia, quæ (vt ſæpius dictum eſt) morborum exiſtit, quæ hoc loco non opus eſt explicatu. Tres igitur anatomię in homine obſeruabuntur, quarum prima Localis demonſtrat humani corporis ſpeciem, figuram, formam, & quæcumque ipſi adhęrent: Altera examinat & probat ſulphur viuum, mobilem & fluidum Mercurium, & Sal acre in vnoquoq; membro: Tertia verò indicat, quo pacto nouam anatomiam mors introducat, quæ mortis dicitur anatomia: hæc docet, qua forma atque natura mors inuadat. Lumen enim naturæ docet, mortem tam varijs modis ac formis accedere. Quàm varię ſpecies

Anatomia triplex in homine

prodeunt ex elemẽtis, & quotuplex corporum ſunt differẽtiæ, tot mortis quoque ſunt genera. Vt porrò vnumquodque corpus aliud gignit, illud ipſum gignere hîc eſt anatomia: quæ profectò varijs fit modis, donec omnes ordine moriamur, ac per illam conſumamur. Præter hęc aũt omnia, conſimilis quoq; exiſtit ſcientia de anatomia Medicinæ. Quibus omnibus eadem proportione reſpondet ac præeſt firmamentũ, & ſic quoq; terra, ſic aqua, ſic aer. Poſtquam verò anatomia eouſq; in noua vita fuerit deducta, vt firmamentum appareat cum omnibus aſtris, bene ſe res habet. Neceſſe enim eſt vt Saturnus ſuum cõſtituat Saturnũ in corpore, & Mars ſuũ Martem. Id quàmdiu factum nõ fuerit, ars medica nondum erit perfectè inuenta. Sicut enim arbor naſcitur ex ſemine, & ſicut herba prouenit ex ſemine: ſic quoq; in noua vita prodire oportet id, quod inuiſibile proponitur, & reuera adeſt, eoq; deducendum eſt, vt conſpicuũ fiat ac videri queat. Si enim naturæ lumen, lumen dicendum ſit, neceſſarium vtique fuerit, vt conſpiciatur, & non ſit

ſit caligo neque tenebræ, ſed tale ſit,vt per illud oculis noſtris vti poſſimus ad ea,quę cernēda ſunt. Hi enim nō tranſmutantur in alios, quàm nunc ſunt,interim tamen aliter illos videre oportet quàm ruſticum: ad quod ipſos promouere atq; iuuare oportet lumen naturę. Quapropter etiam virtute anatomiæ, cuius fundamenta conſiſtunt in naturę lumine, morbi quoq; iure nomina ſortientur & ex naturali lumine,non tenebris:hoc eſt,vt cedri anatomia cedrinos efficiat morbos. Vnde ſequitur, in deſcriptione morborum ferri,ferreos dici morbos: ex deſcriptione Aſtronomiæ, Martis morbos. Sic enim ſinguli rectè nominantur morbi ac intelliguntur. Artis quoq; errore,& ſine rationis fundamento factū eſt,vt febris dicatur febris. Hoc enim morbi nomen ductum eſt ex ipſius calore, qui duntaxat ſignum eſt morbi,non materia,nec cauſa:debet autem nomen ſumi à materia,proprietate atq; natura veræ ſubſtantiæ. Sic vrtica rectè quidem dicitur,quòd vrat:ſed melius Sal vrinæ, eò quòd vnam habeant anatomiam. Vnde febris tale nomē eſt,

quod ſui magiſtri ſtultitiam prodat. Eſt enim morbus nitri Sulphuris incenſi: hoc cõcutit corpus: hoc frigus & horrorẽ excitat: hoc interuallũ efficit. Hæc aliaq́; nomina ſuis in capitib. inuenies. Similiter quoq; Apoplexia ſuum propriũ demonſtrat nomen, non magiſtri ſapientiam. Quod nomen medica con ſideratione, iuxta fundamentum medicinæ non debebat dici apoplexia, ſed Mercurius cachymialis ſublimat⁹. Hæc enim eius eſt materia peccans, & cauſa. Signa huiuſmodi ſolùm in hoc conducunt, quòd corporis ſubſtantia per illa cognoſcatur. Quiſquis itaq; falſa eiuſmodi ſigna inducit, eaq́; inuertit, in vniuerſa errat practica & reliquis ſibi neceſſarijs. Varia enim & multiplicia ſunt corporum genera cùm calefaciẽtium, tum refrigerantium. Vnde nomen febris falſum eſt: nitri verò non item. Adhæc febris nomen ex fundamento hu morum deſumptum eſt, vnde ſumi non debebat. Quamuis rectè quoq; nomina petantur ex arte curandi, ſiue medicina ſanante. Ita caducus quidam viridellus dicitur morbus, quòd ea caduci ſpe-

cies

cies viridello curetur. Hoc tamen niſi certa cum diſtinctione fiat, errorem eſſe ſcias. Diſtinctio enim anatomiã ipſius conſeruat. Nec te perturbet, quòd ruſtici & externi oculi hæc tibi non oſtendant, nec cernant: nam medium corpus iſtos excæcat. Ideoque ſcientia illa adeſt, in qua medicus conſiſtet, plura huic reuelans quàm ruſtico. Niſi enim plura videre atque cognoſcere velit quàm ruſticus, minimè vocatus, neque natus eſt ad medicinam. Ruſticus in cũ finẽ non eſt cõditus, ſed medicus: quod quidem efficit ſcientia ea, quam medicus callere debet. Medicus enim ille eſt, qui miranda Dei opera plurimis patefacit. Hac itaque de cauſa quum exiſtat, rectè ipſis vtetur, non malè: verè, non falsè. Quid enim in toto mari exiſtit, quod medicum latebit? nihil. Quid vaſtiſſimum continet æquor, quod ipſe non patefaciet? nihil. Omnia in lucem proferet, non ſolùm quæ in mari recondita iacent, verumetiam quę in terra, in aere, in firmamẽto, hoc eſt igni, quò pleriſque omnibus appareant opera Dei, quą de cauſa exiſtant, quidue ſignificẽt,

præſertim quātum ad morbos attinet: Hæc quoad non patefiunt, nec dū ſcientiam eam adeſſe oſtendunt, quæ adeſſe debebat. Quid verò cauſæ eſt, quòd tanta quidem ſtultitia, tam parum autem veræ artis ſit in hac profeſſione, quæ tamen magni vult æſtimari? Nec huic ſoli, ſed & alijs pluribus profeſſionibus ſimilis cęcitas & oculorum caligo atque defectus accidit. Sicut enim nos ignoramus Cetum, illud monſtrum marinum, ita quoq; altera profeſſio neſcit, quid illud in Apocalypſi ſit, quid Babylon ſit: ita vt partes vtrobique ſint cæcitates, quas minimè adeſſe conueniebat. Et quemadmodum medici cæcitas in iſtiuſmodi rebus infirmorum mors eſt: ita quoque prędicta cæcitas animarum eſt mors. Mirabilia ac rara Chriſtus loquitur, quæ & ipſa ſunt quædam medicina. Sicut vna, ſic & altera neceſſariò eſt inueſtiganda. Hæ enim duæ profeſſiones non ſeparabuntur. cùm enim corpus animæ ſit domicilium, neceſſariò vtique inter ſe cohærent, alterumq́ue patefacit alterum.

Caput

Caput VII.

OBſeruandũ porrò & hoc eſt:quandoquidem hactenus anatomia,& noua vita,vnà cum ſua ſcientia,in omnibus ſubſtantijs perpendendæ atq; inquirendæ ſint propoſitæ,idq; non ab re,cùm fundamentum ſit medicinę:neceſſarium inſuper eſſe, vt omnes interni noſtri defectus rebus externis paſcantur ac reſeruentur. Ita hoc ipſum quod nos ſumus,idem eſt & externum: quod licet non habeat eandem formam, ſemen tamen eſt eiuſdem corporis,quod in nobis formatur in id quod exiſtit. Veluti ſemen eſt ſua arbor, verùm in terra perficitur. Stomachus enim terræ,ſculptor ſeu ſtatuarius eius eſt, qui id ſub aſpectũ producit,quod ipſum antè occultum erat & abſconditum. Vnde omnes etiam morbi ſuas imagines ſortiuntur: itidẽq; huiuſmodi imagines ſuã à Deo ordinatã habent medicinam. Pulmo enim ſi laboret,propriam ſibi habet medicinã,quæ ſe transformat in ipſius anatomiã,prout ipſe morbꝰ fuerit.Hinc tale notetis exemplũ de nutrimẽto. Omne nutrimentũ noſtrum idem eſt,quod

nos ſumus, & ſic noſmetipſos comedimus, ita & medicina comedit, non tamē ſimpliciter, ſed pro ratione morbi, & quicquid ſanitati decedit, hoc ipſum reſtaurat idem membrū in ſuo membro. Hoc ne tibi mirum videatur: ratio in promptu eſt. Arbor campi nō eſſet certè arbor abſq; nutrimento. Sed quid eſt nutrimentum? Nō fimus aut ſtercoratio: nō putredo vel putrefactio: verùm ſemen, ſaturatio, famis. Quid eſt fames? Imago futuræ mortis in membrorum cōſumptione. Quia forma eſt in medio corpore ab ipſomet Deo inſculpta. Hęc ſculptura permanet in forma imaginis, ſed conſumitur ac perit abſq; additione primæ formæ. Qui nihil comedit, non creſcit: qui nihil edit, non permanet. Si ergo incrementum fiat ex nutrimento, informator ipſi adeſt, qui formam nutrimenti ab eo expellit, quod formam habet nutriendi, ſine qua is nihil quicquam poteſt efficere. Vnde ſequitur nutrimentum informatę ſtatuæ formam in ſe continere, in quam actu tranſit, creſcit & augetur. Pluuia continet in ſe limū & liquorē terrę: pluuia eſt

potus

potus arboris, liquor verò terræ, ipſius cibus: per hæc creſcit. Quid aũt hoc eſt, quod creſcit? Nihil aliud, quàm arbor, quæ quantum augetur, tantum ex pluuia & liquore terrę naſcitur ligni, corticis, & reliquarum partium. Informator exiſtit in ſemine: lignum verò, cortices, aliæq; partes in liquore & pluuia. faber ille ſeu artifex in ſemine exiſtens nouit ex his duabus rebus lignum conficere. Eadem eſt ratio herbarum, in quibus ſemen nihil eſt, niſi principium, in quo formator & fabrilis natura atque proprietas exiſtit: cui porrò orienti augmẽtando, pluuia, ros & liquor terræ herbam tribuunt, vnde in his cauſis, folia, flores, aliæq; partes inſunt. Eodem per omnia modo vnaquæque forma externo nutrimenro vegetata excreuit: quo & nos deſtituti non amplius creſcimus, ſed in deſerta morimur forma. Poſtquã verò adoleuimus, formam integrã conſeruare cogimur, ne quid deficiat aut decedat. Inſita enim nobis quædam eſt eſſentia igni perſimilis, quæ noſtrã formam & imaginẽ conſumit, vt niſi ſubinde aliquid adderemus, formamq; vitæ

noſtræ augeremus, breui moreremur ita deſerta forma. Quare noſmetipſos comedamus oportet, ne ex defectu formæ moriamur. Comedimus itaq; noſtros digitos, noſtrum corpus, ſanguinē, carnem, pedes, cerebrum, cor, aliasq́; partes. Hoc eſt, vnuſquiſq; bolus, quē mandimus, cōtinet in ſe omnia noſtra membra, quæcunq; integer homo toto corpore continet. Error illos magnus inuaſit, qui rectè quidem iudicant membra corporis nutrimento indigere, verùm quare alimenta requirāt, & ad quid, reticenr. Non intellexerunt quippe, quid alimētum hominis ſit, in quid conuertatur, & quis in id transformet. Faber itaq; ille nihil ad ſtatuam erigendam aſſumit, niſi quod ad ipſam eſt idoneum, id eſt, quod lignum eſt: reliqua per ſedes iterum eijcit, ſolaq́; ſtatua ſimplex permanet. In cunctis itē alijs rebus notandum eſt, nutrimentū eſſe duntaxat formæ cauſa. Ineunte æſtate incipit tēpus famis in arboribus, quæ tunc conantur folia, flores, fructus, & alia eius generis producere. Quid autē ex ijs prouenit, niſi formam prædictorū extrinſecè accipiant?

cipiant? In ſeipſis certè non habent. Si enim in ſuis corporibus illam continerent, vel exciſæ non minus eadē gignerent, quàm terris infixæ. Propterea terræ ſunt inſitæ, vt hinc prædicta forma in ipſas tranſeant, & fabricētur ſeu tranſformentur in ea, ad quæ cùm naturali proprietate ducuntur, cū ſuo magiſtro, id eſt dono. Homo autem inſitione huiuſmodi non indiget, quia fructus ſuos non eodē modo producit atque arbor, ſed longè alia in fructibus faciendis eſt creatura. Quare animaduertite, omnes res, quę viuunt ac vegetantur, ad formę ſuæ conſeruationem, eiuſdemque defectus reſtitutionē, famæ & ſiti præditas eſſe, vt his formam in ſe reſarciant atq; reſtaurent, non ſecus atque videtis pinguedinem & ſimilia liberiori nutrimento augeri, eoque detracto, eandem ſpeciei partem diminui ac recedere: ſic aliæ quoq; partes ſeſe habēt. Quamuis ſit naturę hæc imminutio, vt ſi principalia inuadat membra, mors celeriter adſit. Siquidem vita non permanet in diſſoluta interna imagine cōmunis corporis. ſic ex homine creſcunt homines:

id eſt, nutrimentum eſt homo, ac reſti- tuit hominem, hoc eſt, imaginē ipſius. hac ratione noſmet ipſos comedimus. quod niſi fecerimus, cōſumitur noſtrū corpus, noſtra media vita, & quicquid in nobis exiſtit. Vnde homines duo sūt, quorum alter videtur, alter nō. Aſpecta- bilis iterum eſt duplex, alter animalis, al ter corporeus. Qui ſub aſpectum nō ca- dit, ſimplex eſt, ſcilicet corporis ratione duntaxat, cuius talc profertur exemplū. Ex rudi fortè occurrente ligno ſtatua- rius concinnare atq; deſculpere ſtatuā poteſt, reſecando ea, quæ ad ſtatuam nō pertinent: ſicq; ligno ineſt ſtatua, quæ primò nequaquam apparebat. Eodem modo & nutrimentum eſt corpus hu- manum, nec tamen apparet, antequam in corpore tranſeat ac transformetur in membra: non vt peculiaris ſeorſim pars eiuſdem quantitatis maneat, ſed ar tificioſiſſimè transformetur. Hic enim ſculptor ac ſtatuarius eſt ſummus ille magiſter, & ſapientiſs. opifex: hic homi- nē informat, hoc eſt, membra per totū corpus iuſta proportione diſponit. Cū itaq; nobis conſtet, nō nos ſolū noſmet-

ipſos,verùm etiam omnes arbores, ſingulasque naturas, ſeipſas comedere & bibere: diligenter nobis cõſiderandum eſt, quid hinc ſequatur in re medica, quemadmodũ nunc ſequetur. Quãuis externus eius oſſis, neruorum,ligamentorũ,mirabilis cerebri, cordis,& pinguedinis,&c. non eadẽ in medicina comeſtione deſignet:quod ſic intelligas,vt os non preciſè faciat os, neque cerebrum ſimpliciter cerebrum,verùm quiſq; bolus omnia iſta exiſtit: ſi forma inuiſibilis adſit,oſſa etiam adſunt. Panis quoq; ſanguis eſt:ſed quis videt?eſt etiam pinguedo:ſed quis cernit eam?quis tactu animaduertit?Eſt & laridum:nemo tamẽ videt, nec ſentit illud : attamen fit laridum.Adeò bonus in ſtomacho eſt magiſter. Qui ex ſulphure conficit fertum, quod ſulphur eſt ,idem & hîc quotidie adeſt,& fabricat homini ea,ad quæ ipsũ primò formauit. Sic idem ex ſale nouit adamantem efficere,ex mercurio aurũ: cur non & homini talia præſtaret ? Maioris facit hominem , quàm iſtiuſmodi res. Quapropter ille omnia homini fabricat neceſſaria: tu modò apportes &

ſuppedites materiam: ipſe ſculpat atq; informet, prout ſingula formari conuenit: ipſe obſeruat numerum, menſuram pondus, proportionem, longitudinem, & reliqua eiuſdem generis omnia. Vnde animaduertēdum eſt, vnamquamq; naturam eſſe duplicem, alteram ex ſpermate, ex nutrimento alterā. Sperma eſt ſemen, quod ſimul atque adfuerit, alimentū quærit. Ipſum porrò ſperma eſt creatura, ſicut & alimentū: ſed illud formæ humanæ libertatem obtinet, vt comedat id, quod in hominem tranſmutatur, & ex quo mēbra humana formantur. Quapropter homo eſt conſumptio formæ, cōſtitutus per mortē, quæ præbet cauſam ſeminis. Hanc mortē ipſe cogitur ſuſtentare eo, quod nutrimētum efficit. Ex quo ſequitur, nō ſufficere, hominem eſſe natum ex matre, ſed neceſſario quoq; ipſi naſcendum eſſe ex nutrimento, quantum ad corporis attinet vitam, non animæ, quæ ſeparata eſt à nutrimento. Huius enim vitæ proprietas & conditio prouenit vnà cum anima, non corpore. Quæ verò cum corpore adeſt, quantum ad geſtus & mores attinet,

net,ex humana prodit ſapientia. Quicquid autem adeſt ex nutrimẽto, corpus eſt,in quo non conſideratur vel virtus, vel ira,vel probitas,vel nequitia. Quid verò ſit corpus, nouit medicus. Et qui corpus fabricat in vtero matris,idẽ quoque format illud in ſtomacho. Hoc enim modo hic faber laborem & opus ſuum indies perpetuoq; cõſeruat:quod non alio conſilio factum eſt,niſi vt quotidie reſarciatur ac reſtauretur:id eſt, vt forma conſeruetur,quæ nunc hîc,nunc illic perpetuò deficit, diſſoluitur, rumpitur & diſſuitur,nunc hoc nunc illo pacto,quemadmodum & in ſano, & in ægro corpore variè probatur. Sanitas enim non minus requirit ſui obſeruationem quàm ægritudo.

Vnde agnoſcamus nos duo habere corpora, & nilominus vnum eſſe corpus,ſed duplici modo creatum,in ſemine videlicet& nutrimento: & alimenti corpus idẽ planè eſſe corpus, quod ſpermatis,quamuis hoc illud pręcedat. Qua de cauſa obſeruabimus,nos omnes,quã primùm nati ſumus ex vtero matris,& in ipſo quoq; vtero, Dei gratia & miſe-

ricordia viuere, nec amplius corpus ex matre,ſed nutrimento habere. Alterum enim corpus iure originis ex patre & matre habemus. Verùm hoc ne conſumatur & pereat,recipimus illud per preces ad Deum ſparſas, dum oramus, Panem noſtrum quotidianũ da nobis hodie. Quod idẽ eſt,ac ſi dicas: Largire nobis hodie quotidianũ noſtrum corpus. Nam corpus ex matre natum ſuſtentatur vſq; in horam mortis,ideo petimus quotidianum: hoc autẽ eſt illud, quod nobis tribuit corpus. Vnde conſtat,nos duo habere corpora,alterum iuris,alterum miſericordiæ: ſic duas quoq; medicinas,iuris videlicet & miſericordiæ. hoc eſt,nos vocati ſumus ad vtrũq; corpus,& quod à patre & matre accepimꝰ, & quod ex cibo accedit.Itaq; Chriſtus nos docet orare panem quotidianum, quaſi diceret:Corpus illud quod ex matre ſortiti eſtis,nihil eſt, iamdiu cõſumptum, breuiſſimoq; tempore mortuũ fuiſſet,niſi ſuſtentatum eſſet:nunc verò panis eſt veſtrum corpus.Illud ergo vobis eſt obſeruandum, animoq; voluendum,nos nõ amplius viuere iure patris

& ma-

& matris,ſed, ex corpore miſericordiæ. Qua de cauſa orate Patrem veſtrum cœleſtem,vt largiatur vobis panem quotidianum,hoc eſt, veſtrum corpus:& dabit vobis corpus,videlic. miſericordiæ. In hoc viuimus in poſterum, & nihil ex corpore iuris habemus.niſi ſolùm generationis noſtræ initium. Vnde conſtat nos edere noſmetipſos ex gratia & miſericordia.Agnoſcendũ enim eſt homini,quòd quamuis prodierit ex vtero matris, non tamen ea de cauſa iam pergat eſſe matris aut patris filius:ſed ipſis iam deinceps ſit filius, qui illũ nunc nutrit. Quapropter cœleſtis ille Pater non ſolùm eo iure pater noſter eſt, quod Adamo eiusq; progeniei tribuit, verumetiam quotidie miſericordia noſter pater eſt,quum mortale corpus ex parentibus mortalib. ortũ amittamus. Nihil enim à mortali & terreno patre habemus præter ſemen:reliqua omnia à cœleſti accipimus patre,cuius etiã toti ſumus,& quẽ oramus,vt det nobis noſtrũ corpus(quemadmodum ſuprà dictum eſt)non iuris,ſed miſericordiæ. Quòd ſi corpus miſericordiæ nõ adeſſet, alterũ

illud prima quaque hora mortem obiret. Conſiderate igitur quid ſit corpus. Comedimus noſmetipſos, non iure, ſed ex miſericordia & precibus.

Caput VIII.

ANimaduertendum itaq; nobis diligenter eſt, quidnam ſimus: cùm non amplius viuamus ex materno corpore, ſed ex corpore panis, quod ex miſericordia, & non iure, exorandum eſt. Quod Ioannes Baptiſta ſignificauit, cùm de Iudæis loqueretur, Deum poſſe ex lapidib. Abrahæ filios excitare. Quid illud eſt aliud, quàm dicere, Deum ex lapidibus tanquam ex terra panẽ efficere, qui panis corpora filijs Abrahæ præbeat, quo hi deinde agnoſcant ſe corpore miſericordia conceſſo ex alimẽto viuere? Hæc propterea enarro, vt rectiùs intelligatur id, quod propoſui, quomodo videlicet homo ſuam habeat anatomiam extrinſecè, eamq; ſcire medicum, ſuæq; ſcientiæ fundamentum ſtatuere oporteat. Sic enim peruenimus ad triũ ſubſtantiarũ cognitionem, & quid ipſæ

ſint

ſint diſcimus. Ex huius iam corporis cõſideratione ſequitur victus & cibi ratio, quæ occaſionem & cauſam porrò præbebit deſcribendi morbos ex plenitudine & inordinata menſura, & malo nutrimento, quod corpori noſtro minimè cõuenit. Ac licet propterea corpus panis habeamus, vt quicquid noſtro tradimus ſtomacho, illud in nobis vel in nos conuertat, tamen precatio de ſolo loquitur pane, tacitè quidē ſimul includens petitionem, vt omnia nobis ſint munda ſubiectaque, nihilominus quò magis ād panem accedūt, & quantò iuſtior in omnibus ſeruatur menſura, eò ſanius exiſtit corpus. Hoc modo noſmet ipſos reſtauramus, priſtinumq; vigorem recipimus, ac qualem ex ſemine alimenti ſementē fecerimus, tale & corpus habemus. Prętere a habemus quoq; morbum ex corpore iuris. Quamuis iuſtitia nullum efficiat morbū, vt nec panis quem petimus: ſicut Ioannes Baptiſta & alij nonnulli hac de cauſa ſemper ſani abſque vllis morbis vixerunt. Sed quemadmodum in panis abuſu luxus contingere ſolet, ita quoq; in dono iu-

ſtitiæ. In vtraque enim parte nec mēſura, nec ordo obſeruatur: vnde ſequuntur morbi, aliaq; ſimilia mala, quæ nos nō affligerent, ſi leges & preces oſeruaremus. Vnde multos morbos ex vtero matris accipimus, & eò quòd ſecundo cogamur naſci, ſecundò quoq; eoſdem recipimus morbos, hoc eſt, per panem quotidianum. Nam ſi rectè, & quidem exactius de victus ratione loqui aut ſcribere velimus, haud aliam inuenire aut præſcribere diætā poſſumus, quàm permanendum eſſe in lege iuſtitiæ & cibi, quem petimus: in quibus perpetuò omnis ſanitas conſeruatur & præſeruatur aduerſus quemuis morbum. Quòd ſi iſtam victus rationem nō obſeruauerimus, non retinebimus quoq; corpus noſtrum ſanum. Deus aūt cùm ſit adeò bonus, vt nō ſeuerè agat cum præuaricatoribus ſui proprij cōſilij, & à ſe præſcripti pharmaci & ordinis: medicum fecit, qui non aliter conſtitutus eſt ſuo in officio, ac Apoſtoli in ſuo, cùm Chriſtus ipſis mandat dicens, Toties remittite peccata, quotieſcunq; peccator ingemiſcit: ſic & ille, quotieſcunq; morbus

bus inuadit corpus,toties præceptũ habet ſanandi,cuius diuini mandati vi recepta ſiue formulę conſiliorum omnes curant morbos, etiam lepram. Itaque ſicut medicina, ſic & medicus creatus eſt ad ſanandum corpus humanum per potentiam eius, qui animam in corpore conſeruat. Magna igitur & nequaq̃ leuis(vt nõnulli arbitrantur)res eſt,medici officio fungi. Quemadmodũ enim Chriſtus mandauit apoſtolis ſuis,dicẽs: Abite,mundate leproſos, claudos priſtinæ agilitati reſtituite, cæcis viſum reddite,& ſimilia: ita & medicis eadẽ præcepiſſe, non minus quàm Apoſtolis,intelligendum eſt. Qui itaq; lepræ curandæ ignarus eſt,nondũ intelligit vim medicinæ,qui claudis, contractis non reſtituit facultatem rectè incedendi, immeritò appellatur medicus. quæ ratio valet & in omnib.reliquis rebus. Qua de cauſa obſeruabitis,Deum nõ conſtituiſſe medicum duntaxat propter catarrhum,capitis & dentiũ dolores,ſed longè magis propter lepram, ſubitaneam mortem,epilepſiam, aliaq; eiuſdem generis omnia. Hæc mala ſi nequeamus

curare, deeſt nobis ars ea,quæ in medi-
co iure requiritur. Dei verò bonitas & fidelitas in genus humanum nō minui-
tur.Omnia quidē medicamenta paſſim in terræ ambitu præſtò ſunt, verùm illi nō adſunt,qui præparent ac diſpenſent. hoc eſt,excreuerūt quidem vſq; ad meſſem,ſed meſſores nondum aduenerunt. Simulatque meſſores veræ medicinæ abſque falſa cōceptis opinione fucatíſque ſophiſmatis aduenerint,mundabimus leproſos,cæcis viſum reſtituemus, aliosque morbos eiuſdem generis curabimus.Omnis enim virtus illa iam ineſt terræ,ac creſcit: verùm ſuperbia ſophiſtarū non admittit,myſteria atq; magnalia naturæ in lucem prodire. Aeſtimant medicinam ex ſuo ingenio, quorum ſcientias atq; probitates ſi quàm poſſes plurimas conquiſiueris,ne vnius quidem drachmæ pondere valebūt.Solent excuſare ſtultitiam ſuā hoc dicto: Iſte morbus eſt incurabilis:quo non ſolùm produnt ſuam ſtultitiā & ignorantiam,ſed etiam mendacium.Quia Deus nullum permiſit morbū prouenire,cui nō crearit & propriam medicinā.Cæterùm

rùm noſtra ignorantia talia fingit, dum obliuiſcimur, Deum nobis ſingulis diebus corpus tribuere quotidianum. Hoc itaq; cùm faciat, cur nõ largiretur quoque medicinam curandi morbum ſuo certo & præſcripto tempore? Sed huius nemo amplius meminit. Pars aduerſa hoc loco ſe vehementer opponit. Vt & multa quidem poſſe hîc in medium adferri videntur, quale illud fuerit: Deum nõ minus infirmos velle hîc in terris habere, atque ſanos: aliquando etiã vnius ob culpam integram legionẽ morborum exiſtere, nihilominus pro ſua ſingulari miſericordia impartitus eſt medicinam, inquiens, Infirmis opus eſt medico. Si eius opera indigent, proculdubio non in alium finem, quàm vt reſtituat eos ſanitati: hoc ſi nõ facit, ad quid ipſo indigebunt? opus eſt eo qui ſanet, & nõ qui relinquat ægros, & fallaciter ipſis indulgeat. Ex quo ſequitur, noſtri eſſe officij, omnes morbos poſſe curare, etiã lepram, cæcitatem, & contracturã. Huiuſmodi enim affecti, omnes ęgrotant, ac medico indigent. Illud tamen verum eſt, qui oculis ſuis abutitur ad videndũ,

ſallendum aliaque ſimilia mala, non indiget quidem hac medicina: nec ille qui lingua ſua blaſphemat, ac petulãter obtrectat, ea ſanè non opus habet. Si itaq; huiuſmodi hominem Deus tali mẽbro priuaret, ille verò diceret, ſibi opus eſſe medico ad oculos ſuos curandos: non immeritò cõtrouerti poſſet, ac reſponderi, non egere ipſum oculis, nec ſcortatori opus eſſe pedibus. Verùm hæc ſunt in manu Dei, non hominis. Aliquid certè cauſę eſt, nec omnino fallit, quin medicus excuſetur, non ſolùm in vno aliquo peculiari morbo, ſed in omnibus ijs, quos aliud aliquod peius malũ præcauendum requirit, quales quoque patientes reputantur feliciores impijs ſanis. Nam Deus eum quem diligit, caſtigat. Quod adeò tamen fit occultè, vt nemo medicorum ſcire atque dijudicare poſſit. Ne autem occultam & magnam Dei beneuolentiam ac fidelitatem hoc loco prætereamus, animaduertendum, adeò magnã eſſe medicinã à Deo creatam, vt non ſolùm curet eos morbos, quos recenſeo, & antea recenſui, verùm etiam eos, qui ab ipſa natiuitate inſiti ſunt,

ſunt, vt eſt innata cæcitas, contractura, & cœteri ſimiles morbi. Niſi ex huiuſmodi fundamentis atq; cauſis medicina oriatur, multa ipſi adhuc folia deſ[illegible]at: licet plurima folia nugis ſint referta, non tamē illud motum eſt, quod nō debebat immotum relinqui. Siquidem intuentes mirabilia naturæ, cernimus admirandas euenire natiuitates. Leo ſine vita naſcitur, quam clamore aſſequitur, quod profectò plus eſt, quàvīſum adipiſci. Nec ſolùm illud leoni euenit, ſed etiam multis alijs, de quib. nihil ſcimus, nec experientia didicimus, quib. natura nobis declarat multa nos latere occulta & abdita. Itaq; immeritò noſtris quaſi lacinijs atq; cētonib. triumphū (quod aiūt) ante victoriam canimus. Certiſſimum enim eſt, nos nondum tranſilijſſe crates, quas nos ſuperaſſe putamus. Iſte ſanè iubilationis dies eſt miſeriç, & amara valde. Quia nondum iactum eſt fundamentum, taceo occultam naturç cognitionē. Hæc qui vobis dicit, irridetur. Nihilominus neniæ ſunt omnes libri iſti, quibus veſtram ſcientiam acceptam refertis, voſque defenditis. Veſtra certè

teſtantur opera, vos veſtramq; doctri-nam nihil valere: qui clauim ſapientiæ, quæ eſt ſcientia & ipſemet Deus, veſtris in libris non recipiatis. Hoc itaque modo, quo narrauimus ordine ſuis in capitibus, intelligēda ſunt ea, quæ requiruntur in medico, & natura diligentiſſimè eſt inquirenda. Non enim manifeſta eſt in ſuis occultis, & pauca admodum apparent. Admiranda res erat, vnum & idē multari, aliud eſſe in principio atq; nūc, ex quo tamen omnes orti ſumus, licet diuerſo modo. ſed quæ erat diuerſitatis huius cauſa? Solùm naturæ arcanum, quod etiam gigantes efficit, quod etiā vitam hominum 500, 600, 800, & 900. annorum produxit. Hoc naturæ arcanū ipſi nouerunt, qui in illo vixerūt, eiuſq; vtilitates perceperunt. Nam omnia naturæ occulta fuiſſe in vno pomo incluſa, quod Adamo prohibitum eſt in Ebron, ne comederet, fieri nequit: ſed manifeſtè nobis demonſtratur, longè plura adhuc arcana ipſi ineſſe naturæ. Quia magnas & præclaras res certiſſimè ſcimus, vt prædictiones, ſcientias, & ſapientias: quæ nō fuerunt omnes in vno pomo

mo,verùm plenius in aliјs rebus. Multa etiam admodum rara & mirabilia quotidie reperiuntur,quæ nō decet reuelare:aliquarum verò rerum vires patefieri,niſi à Deo fuerit prohibitum. hæ enim non inueniuntur. Si enim reperiatur venenum in terris,in quo mors eſt: illud quoque erit,quod vitam efficit. Si cauſſa efficiens mortis eſt, cauſſa etiam vitæ erit. Cæterùm eiuſmodi res exigua induſtria & diligētia inquiruntur. Communis profeſſio medica perit in examinando vrinam propter ſordidam culinariam pecuniam, qua contenti ſunt, quantùm ad artem ſpectat. Si enim vrina ipſis tantum ſuppeditat quæſtum, quid amplius laborabunt? Nam pecuniam duntaxat quærunt.

THEOPHRASTI PARACELSI PARAmiri Liber ſecundus.

Caput I.

DIcturus quum ſim de compoſitione & mixtione triũ in vnum corpus, & quomodo conueniant, vobis tale obſeruandum eſt exemplũ. Quoduis ſemen triplex exiſtit: hoc eſt, vnum quidem ſemen, in quo tres ſunt & creſcunt ſubſtantiæ. Quemadmodũ ille vnum eſt ſemẽ & apparet, ſic etiam tres ſubſtantiæ apparẽt vna eſſe. Omnis res in ſemine eſt ſimplex, concors, & vnica, nõ multiplex aut diuiſa. Vt in nuce eſt lignum, cortex & radix, quę ſunt tres diuerſæ res in vno ſemine cõiunctæ. Sic homo quoque initio eſt in vno ſemine, cuius quaſi cortex ſeu concha eſt ſperma. Semen propter exiguam quantitatem & ſubtilem naturam nemo vnquã vidit. Ex ſemine proueniunt homines, qui creſcere dum incipiunt, augentur

tres

tres iſtæ ſubſtantiæ, ſingulæque,pro ſua natura miſcentur & copulantur in vnũ corpus,nõ tria. Veluti vnus homo creſcit in oſſa, carnem & ſanguinem, quæ quidem inter ſe diſtincta,ſunt tria,attamen vnũ coniunctione fit vegetans. Ita etiam tres ſubſtantiæ vnum conſtituũt corpus,cui inſunt,& nõ videntur. Coniunctim & occultè,certo quaſi concentu & proportione cõpoſitę creſcunt ad ſuum vſq; tempus, vt arbor, primò creſcit in medulla,quæ ſunt ſubſtãtiæ tres, & nihilominus in vnum tranſeunt corpus,quod eſt ipſa triplex ſubſtantia.Deinde in ligno tres eſſe ſubſtantias probãt,ars,natura & mors,quę ſingulas res diuidit ac diſſoluit, prout eſſe debent. Hoc modo conſiderate rerũ principia, quòd creſcẽdo miſceantur,ac omnia vnam rem conſtituant,ſingulaq; ſuũ habeant munus in cõplendo & perficiendo corpore.Adhæc notate diligẽter ſingulorũ trium officiũ. Ex ſulphure creſcit corpus, id eſt, corpus totum eſt ſulphur,& adeò ſubtile,vt ignis illud auferat & cõſumat,nemine id vidente.Sunt aũt varia ſulphuris genera,aliud eſt ſul-

phur ſanguis, aliud caro, aliud membra principalia, aliud medulla, aliarumque corporis partium eadem eſt ratio: hoc tamen Sulphur eſt notabile. Oſſa verò, quorum genera ſunt multa, etiam Sulphura exiſtunt, ſed ex ſulphure fixo. Singula porrò Sulphuris genera quomodo ſint affecta, per diſſolutionis ſcientiam inueniuntur. Ex ſale aũt corporis exiſtit congelatio: hoc eſt, abſq; ſale nihil cadit ſub tactum. quia ex ſale adamanti durities ſua, ferro ſua, plumbo ſua mollities, alabaſtro ſua: ſimili ratione omnium rerũ congelatio fit ſale. Qua de cauſſa aliud ſal eſt oſſium, aliud eſt ſanguinis, aliud carnis, aliud cerebri, & aliud in ſingulis alijs partibus. Quot enim genera ſunt Sulphuris, tot quoq; Salis exiſtunt. Tertia ſubſtãtia eſt Mercurius, qui eſt liquor. Omnes res habent ſuos liquores, in quib. conſiſtunt. ſic habet ſanguis, caro, oſſa, medulla, reliquaq́; ſingula, ſuum liquorẽ ſiue Mercurium. Vnus eſt quidem Mercurius, qui interim tam eſt multiplex & varius, atq; Sulphur & Sal. Vnde neceſſariò homo cõſtat vnò Sulphure, vna coagulatione vel ſale, & vno liquo-

liquore:quæ tria ſunt ipſe homo,qui eſt, vnum corpus. Igitur obſeruabimus vnum eſſe corpus, & tres res:& quãuis in vnũ concurrant corpus, tamẽ tres ſunt res. Propterea Sulphur ardendo conſumitur,eſtq; nil niſi Sulphur. Sal tranſit in alcali,quia fixum eſt. Mercurius verò in fimum:ſiquidem non abſumitur flagrando,ſed fugit ignem. Quare animaduertite omnes diſſolutiones & interitus iſtis tribus fieri, vt in arbore licet videre:quæ dũ liquor diſcedit, exiccatur: ſi auferatur ipſi ſulphur, nõ amplius habet ſemẽ:ſi verò adimatur ipſi ſal, caret coagulatione,ac diſſoluitur, non aliter atq; vas carẽs circulis. Corpus dũ augetur,tranſit in vnã eſſentiam ſiue naturã:vt pirus, quæ vnũ duntaxat genus pirorum ſeu fructuum profert, quemadmodum & reliquarum omnium arborum ſingulæ faciũt. Hoc tibi certiſſimè perſuadeas,tot eſſe ſpecies fructuum in microcoſmo,quot ſunt in vniuerſa natura. Ex quo ſequitur,quòd quiſquis nouit pirum, is quoq; nouerit eius arborem & ſubſtantias tres,quæ ſunt piricę, Nec alia ratione ſunt morbi intelligen-

di & conſiderandi:quorũ vbi aliquẽ videris,nõ aliter ages,ac ſi dicas,hoc eſt pirũ, hoc eſt malũ,hoc eſt illud aut illud. Conſiderabis eum quippe in tribus ſuis ſubſtantĳs, quæ ipsũ conſtituunt morbum, & arguunt cuiuſnã generis ſit arbor. Quare cùm hęc tria vnicum conſtituant corpus, & nõ triplex,quæ tamẽ ipſa in ſua vltima materia triplicẽ habẽt ſubſtantiam: itaq; & morbi ſibi cognoſcendi ſunt, vt habeãt & ſulphureũ corpus,& Mercurialem liquorẽ, & congelationem ex ſale:quæ tria ex alĳs tribus prodeunt. Ergo medicina morbo apta neceſſariò ignis exiſtet cõſumens, hoc eſt,ignis eſſentia: nec vlla eſt medicina ſine igni.Sicut enim ignis ita tollit arboris ſulphur,vt nec ſulphur,nec lignũ reſtet:ſic quoq; medicina erit conſumẽs, non ſolùm in ſulphure, ſed etiam in liquore & ſale. Quia in morbo ſunt iſta volatilia:quin etiam ſi fixa occurrant:tamen medicinæ admodum ſubĳciũtur, vt volatilia reddantur. De natura itaq; horum,videlicet morborum,ſic loquamur,vt ſingulis vnicum ſit nomen,tanquam pomis.Dicimus enim,hoc eſt pirum

rum,& omnia ſunt expreſſa:illud eſt malum,eoq; itidē nomine omnia ſunt cōprehenſa. Sic & reliquis omnib. morbis appellandis & tractandis agemus. Si repereris morbum leprā,dicas,illud eſt lepra,& ſufficit tibi. Non enim illic conſideranda ſunt frigus,calor,ſiccitas & humiditas. Nam ex illis nihil in corporib. nec ſubſtantijs creſcit, quod conſideratione dignum exiſtat. Medicina enim tranſit in lepram, tanquā regeneratio, quæ prorſus fit abſq; noſtra cura & medicatione:nō ſecus ac ſi plantaturus arborem,non inſpicies eius colorem,formam,aliaque iſtiuſmodi accidentia:verùm duntaxat obſeruabis ſemē eius, reliqua ſua ſponte prodibūt: quia ſunt vltimæ materiæ,ſunt ſubſtantiæ,quę ſunt ipſius arboris vita: propterea etiam nō ſunt conſideranda. Ita quoq; ages in icteritia:appellabis eam ſuo nomine,nec iudiciū feres, ſitne calida an frigida, ſed cura eius ſit tanquā ſecuris iam arborē excindens,vel quaſi ignis volatilia conſumens. Et quemadmodū ignis exemplum eſt in abſumendo:ita etiam medicina eſſe debet, nō in cōſideratione ca-

lidi & frigidi,verùm in tollendo.Hæc e-
nim eſt natura & proprietas arcani. Et
quemadmodum vna res vitam aufert,
ita quoq; vna res & cauſſa eſt, quæ mor
bum tollit. Quia pirum ſi decerpſeris
ex arbore,ipſa exoneratur.Talibus ratio
nibus & cauſſis auferes morbos, nō in-
hærendo corpori & ſubſtantiæ piri, ſed
conſideratione pediculi,quo pirum ar-
bori adhæret. Sic itaque animaduertas
quid ſit medicina,& in quorū cognitio-
ne ſit poſita,Et quò melius rem intelli-
gas,exemplum hoc nota. Manifeſtè vi-
des, quomodo hyems & æſtas certis ſe
mutuo vicib. ſequantur:nunc calor ex-
cedit,nunc iterum frigus ſuperat. Idem
quoque in corpore humano expectes:
attamen id propterea morbum eſſe nō
ſequitur: ſed ipſorum ſemper alterum
naturali viciſſitudine expellit alterum.
Nam homo tā hyemi quàm æſtati ſubij
citur,vt etiam ſi tempore hyemali vndi-
quaque cingatur igni, vt hyemem non
ſentiat, nihilominus hyems ſuas vires
exercet,& non ſinit eas ſupprimi,ac ſin-
gulis menſibus diuerſas oſtendit: nihil
hîc prodeſt incluſum eſſe. Eodem mo-
do &

do & æſtas ipſum reuiſit. Cur medicus illud nõ agnoſcit? ac cœleſtes huiuſmo di curſus non aliter ſibi proponit ac ſi natura erraſſet, eosq́; arcere ac depellere ſtudet. Quæ quidẽ ad malum, & non ad bonum tendũt, huiuſmodi res videntur eſſe morbi: vt hyems homini noxia & aduerſa eſt, ſicut & æſtiuus calor; reuera tamen nõ ſunt morbi. Eodem modo & ſtellæ ſuæ reuolutionis excitãt calorẽ & frigus certis & interpollatis diebus, vt in febribus ac alijs ſimilib. Quæ obſecro huius poteſt alia cauſſa eſſe, quàm cœleſtis, quæ talia mouet? Medicus aũt aſſcripſit microcoſmo, ex propria quaſi prodiret natura, ac cœli prorſus non meminit. in quo certè errauit. Illud quidem verum eſt, ſępe hominem incidere in ardorem, qui tamen non eſt ex ipſo, ſed ſimilis Soli exiſtit, qui dum imperium exercet, cõtinuè, nec ipſi, cui aduerſatur, innatus eſt, verùm accidens. Solem qui vertit, etiam vertit vmbram. Vnde hoc obſeruandum: Quotieſcunque talis cœleſtis calor incipit, animo cogitandum eſt, aerẽ borealem eſſe incluſum, eiuſque obſtructiones eſſe ape-

riendas, quò verum temperamentum redeat. Diſcatis igitur vnde hominis calor proueniat, in quo ſunt omnia cœleſtia, terreſtria, vndoſa & aerea. Hæc omnia vbi æquali pondere fuerint cōiuncta & compoſita, vnū corpus eſt, quod nec calidum, nec frigidū exiſtit. Attamē calor alter præualet alteri, qui oritur ex ſtomacho, qui corpus calefacit. De calore ſtomachi hoc ſcias, eum adeò feruere & concoquere, vt reuera externo igni non ſit admodū diſſimilis. Nec duntaxat vnus eſt ſtomachus talis in corpore, cæterùm ſingula membra continent huiuſmodi ſtomachū: Ergo & ſingulis membris ineſt ignis, qui eſt ignis digeſtionis. Ex hoc quotidianus naſcitur homini calor, nō ex elementis, aut alijs eius generis, quæ ſunt in corpore. Hic eſt præſtans ille calor, quē digeſtio præbet, quanto copioſiorē digeſtio habet materiā digerendi, tanto magis augetur calor: & quanto minorē, tanto frigidior homo exiſtit. Calor producit colorē, qui in corpore latitabat, & microcoſmū cōmouet ad florēdum. Quis aūt ex hoc flore differet, hominem eſſe ſangui-

guineum,quum ignis digeſtionis ipſum protrudat? Nec diſſimili ratione calor quotidianus reliquos omnes calores producit,quorum alij ſunt prima ętate, alij media,alij in ſenectute, multùm inter ſe differētes. At hîc obijci poteſt,eas eſſe cōplexiones. Sic prima ætas eſt ſanguinea,media verò cholerica,alia phlegmatica, alia melancholica, aut aliquid tale. Hæc qui dicunt, non recordantur caloris digeſtionis, nec materiæ trium præſtantiſſimarum ſubſtantiarum. Siquidem arbor quæq; ſuos habet peculiares flores,ſic & homo: hos flores falſo canone vocant cōplexiones. Ergo idem in his rebus obſeruādum eſt,quod in natura, & omnibus huiuſmodi creſcentibus rebus. Vnde ſequitur,nō eſſe gradus,ſed ſpecies:in certas diſtinguentur ſpecies,non gradus. Nullæ enim res exteriores retinent ſuum gradū, quem Platearius,alijque herbarij ſcripſerunt. Quicquid in ſtomachum peruenit, ſi non præparaueris,ipſe præparat(modò poſſit)& interrumpit omnia iſtiuſmodi frigora,calores, aliaque ſimilia,& inquirit arcanum,quia talia in ſtomacho

moriuntur. Quicquid verò moritur, hoc non ſuſcipiet curandum medicus. Quòd ſi autem ſtomachus nō diſſoluat ac diſrumpat id quod accipit, ſignum eſt ipſius imbecillitatis & morbi. Nec medicina tunc bona eſt, quia non corrumpitur in ſtomacho, in quo debet corrumpi. Medicinæ autem calidæ, vt radices, & alia ſimilia peſte laborātibus traditæ, ſi nō putrefiant, nihil boni præſtant: ſi profutura ſint, neceſſariò putreſcunt. Qua de cauſa iſti non reſtituuntur ſanitati, quorū ſtomachus non corrumpit. Ex quo ſequitur, quò celerior putrefactio, eò celerior ſanitas. Quæ putrefactionem impediunt, eadem & ſanitatem. Malus eſt ſudor, qui expellitur medicina non putrefacta, nec tendit ad vitam. Ergo animaduertendum eſt, eas res, quæ ex complexionibus & gradibus ſtatuuntur & conſiderantur, nihil negocij in corpore habere. Nam in ipſa corporis radice nec calidi, nec frigidi ſunt morbi. Aduerſus quid igitur pugnaret calida vel frigida medicina? Oportet decerpere pirum ex arbore frangendo pediculum.

Caput II.

ARcana igitur non ſunt res veteres, ſed nouę: non veteres natiuitates, ſed nouæ. Veteres generationes ſiue natiuitates ſunt ſubſtātię & formæ rerum externarum in hoc mundo, quæ nobis vt omnino nō proſunt, niſi diſſoluantur ac rumpantur, & nouæ fiant formæ, ita oportet quoque vt omnem veterem naturā & proprietatem amittāt, tam calorem, quàm frigus. Hoc eſt, Niſi ſolatrum amittat ſuam frigiditatē, non poteſt eſſe medicina: & vt vno dicā verbo, niſi vniuerſa vetus rerū natura moriatur, ac tranſeat in regenerationē, nulla ineſt medicina: ipſa verò mortificatio eſt principiū diſſolutionis & ſeparationis mali à bono. Vnde poſterior natiuitas, id eſt, renouata medicina, permanet liberum arcanum, abſq; omni complexione alijsq; ſimilibus. Quare errantes medici inquiunt, Gradu nimis alto ne vtaris? hoc eſt, Quicquid primò efficere poteris, id nō conaberis tertiò vel quartò præſtare. Cauſſa verò hęc eſt, quia ſtomachus non poteſt res ſupremorū graduum putrefacere propter imbecillita-

tem enim nõ poteſt eas ſuperare. Alioquin ſuis rationibus ſuperiores tanquã cõmodiores probarent. Sic quanto gradus foret frigidior, tanto melior quoq;, & ideò minor doſis porrigeretur. Quapropter magnus error ibi cõmittitur, cùm volunt dici, hoc maioris altiorisq; caloris exiſtit, quàm illud, quum duntaxat vnus ſit gradus frigoris. Melius dicerent, Iſta herba habet niſi ſemunciã frigoris: illa verò quatuor, modò æquale pondus accipiatur. Ex quo ſequitur: Accipe frigidum, vt inueniſti, vnam eius drachmã porrigas contra calorem. Cęterùm peculiares quia herbas coguntur habere: nõ portulacam, ſed nenuphar: non chamomillam, ſed piper: eo ipſo ſanè teſtantur, ſe non calorem ſed frigus quærere, ſed arcana, quæ arbitrantur ipſis eſſe gradus. Quòd ſi certò ipſis cõſtaret vnicum eſſe frigus, vnicũ calorẽ, vnicam humiditatem, & vnicã ſiccitatem, à propoſito ſuo deficerent. Sin verò probari poſſet duplicẽ vel triplicẽ eſſe frigidam ſubſtantiam, calidã ſubſtantiam, humidam ſubſtantiam, & ſiccam ſubſtantiam, cogerer palmam ipſis tribuere:

buere. Iuſtis profectò omnibus probāt, magnum eſſe commiſſum hactenus errorem in gradibus obſeruandis, & rerū complexiones nō rectè intellectas, quæ nomine quatuor, vna ſunt res. Humores quatuor poſuerunt, qui vnicus Mercurij liquor exiſtit, qui nō eſt ſimplex & vnica ſubſtantia, verùm quadringentarum naturarum, proprietatum, operationū, & ſimilium: nec ipſe ſolus eſt rerum cauſſa, verumetiā ſulphur & ſal cū eo. Singuli enim morbi cōponuntur ex iſtis tribus. Quid verò ſulphur & ſal cōmoueat ad morbos, certis capitibus tractabitur. Nam eodem modo cuncti oriuntur morbi, Lucifer è cœlo deiectus, ex propria ſuperbia, quę omnia bella excitat inteſtina: Mercurius dum ſeſe extollit ſuo liquore, qui valde magnus & admirabilis eſt. Quia Deus ipſum creauit mirabiliorē cunctis rebus. Hic quoties aſcendit, ac minimè ſuis in gradib. permanet, initium eſt diſcordię. Eadem eſt ratio ſulphuris & ſalis. Quoniam ſal dum exaltat ſe ac ſeparat, quid aliud eſt quàm res mordax? Vbicunq; conſiſtit ſuperbia, ibi rodit ac mordet, ex qua ro-

ſione & conſumptione naſcuntur vlceꝛ ra,cancer ,cancrena,& eiuſdem generis alia mala. Quòd ſi permaneret ſuo in gradu,nunquã homini cutis aperiretur. Sulphur quoq; dum in ſuam tranſit ſuperbiam,liquefacit corpus,non ſecus ac Sol niuem ſibi obiectam commodo in loco. Mercurius adeò fit ſubtilis,vt nimis altè aſcendat: ac ex nimia ſubtilitate gradus longè naturales excellente,ſubitaneam efficit mortẽ.Sic enim ratione ordinatum eſt, vt maneãt ſuis in gradibus abſq; ſuperbia : ſic quoque natura ſine eadem ſuperbia in ſuo officio. Verùm adeò varia ſunt capita & ſentẽtiæ,vt rumpant violenter iſtos gradus. Nihil certè perpetuum erit inter carnales creaturas : propterea etiam neceſſariò diſſoluuntur per multiplicia munera, virtutes & vires, quæ ipſis inſunt. Nec aliter ſanitas ſe ipſam diſſoluit, ac regnum quod diſcordia diuiditur ac perit. Vnde colligendum nobis eſt, vniuerſas res eiuſdem eſſe valoris: carbunculum non præſtare topho,pinum non eſſe cypreſſo deteriorem : quod verum eſſe probat naturæ lumen. Qui primò
tum

aurũ prætulit argento, fecit id auaritia. Nam æquè magnum eſt argento tributum donum ac auro. Itaque illud non ſapientia naturæ factum eſt, verùm prudentia rerũ caducarum. Mors verò cùm videt regni interitum inſtare, inuadit illud. Sicut enim regnum interiturũ alienas incidit in manus: ita quoque trium quoties ſubſtantiarum amicitia & concordia diſſoluitur, adeſt contiuò mors tanquam vicinus, ac de hora in horam, de die in diem pro ſua induſtria corpus inuadit, donec omnes partes ordine accipiat, & ſubſtantia vincat ſubſtantiam, ac poſtremò cuncta vi occupet, totiq; dominetur corpori: tum demũ nemo poteſt ipſam abigere, nec vi depellere. Vbi aũt illud nondum contigit, ſed aliquas duntaxat partes poſſidet, ibi medicina naturæ eſt auxilio, quò natura vires recipiat. Hac ratione quicquid ſal corroſit, hoc ſanat cõſolida: & quicquid ſulphur in diſſolutionem adduxit, hoc reſtaurat crocus: & quicquid Mercurius nimium attenuauit ſubtileque fecit, illud ſolidum & craſſum efficit aurum: atq; hoc modo ſuccurritur natu-

ræ. Quemadmodum verò nullum expugnatur regnum abſque magno eius damno: ſic quoq; caro, quam roſit ſal, ad paupertatem redigitur, nec vllũ poteſt reſarcire damnum. quod etiam in reliquis euenit. Quare magna diligentia & induſtria eſt adhibenda, quò corpora iſta in ſua naturali cõſtitutione permaneãt, quę alioqui facilè aut omnino corrumpuntur, aut ſaltem duriori aere offendũtur. Tanto enim Deus nos munere donauit, vt medicinã à condito mundo habuerimus in hanc horã, & ad finẽ vſq; mundi ſimus habituri, ea poteſtate, virtute & efficacia, quam tribuit ſuis Apoſtolis in curandis infirmis: quæ profectò cura ducit originem ex præcepti virtute. Medico igitur hoc ipsũ eſt mandatũ, quod olim Apoſtolis: & præcepto quum ſubiectus viuat, cogitur verum quoq; præceptum ſequi, docere ac ſcire. At multi fiunt adulteri, id eſt, cõplures violant præceptũ diuinum, nihilq; faciunt illud. Cui verò iſtos cõparabo? Dicto huic Chriſti, Natio praua & adultera ſigna quæſiuit, & nihil voluit boni facere: quapropter ſignum illi nullum

dabatur

dabatur niſi Ionę, qui in vtero piſcis delituit. Sic & iſti medicinam inquirendo debent ſcrutari in terra, quemadmodū Iudæi reſurrectionem in Cete. Adeò ars eſt varia & certa, tres ſubſtātiæ, Sulphur Mercurius & Sal, vt ſeipſas demonſtrēt in quatuor generationibus, dum in naturam matris & elementorū tranſeant, ipſamque induant; quo ſignificatur omnia ex quatuor elementis prodire. Ex terra herbæ, ligna & alia eius generi oriuntur: Ex aqua, metalla, lapides, & eorum mineralia: Ex aere ros, tereniabin: Ex igni fulmē, nix & pluuia, quæ cōmendo meteoricis, quæ ex lumine naturæ conſcribuntur. Vnde microcoſmus in diſſolutionē quando peruenit ac redditur, ex ipſo fit terra, quæ adeò eſt admirabilis, vt fructus ſuos gignat breui tempore ex ſemine ipſi mandato. Hæc eſt illa præparatio quā medicus ſcire debet. Similiter & ex hoc corpore fit alterū elementum, aqua: quę mirabilium cùm ſit mater, Spagyrus ex ea conficit rubinos. Nec alia ratione præparatio elementū tertium, ignē tribuit, ex quo grandines extrahūtur: & aerē, qui in occluſo vitro

ex aſcendente ſpiritu rorem cõficit. De hiſce generationibus multi inceperunt tractare, verùm citò deſperarunt. Non ſanè decet ſuem verſari in agro, vbi rapæ proueniunt. Eſt pręterea & alia tranſmutatio, quę omnia genera ſulphurea, mercurialia, & ſalia efficit: quemadmodum minoris mundi officium eſt, manifeſtè illam oſtendere, in qua magna ſanitatis humanæ pars ſita eſt, vt eius aqua vitæ, eius lapis philoſophorũ, eius arcanum, eius balſamus, eius aurum potabile, ac ſimilia Et vera quidẽ hęc ſunt. ſiquidẽ ea omnia ipſi inſunt, ſicut etiã in exteriori ſunt mundo. Et quẽadmodum rurſus ea in mundo exteriori habemus, ita quoque in interiori omnia ĳs ſimilia exiſtunt. Quòd ſi intelliges: Nullam rem eſſe adeò atram, vt non contineat candorem aliquem in ſe: & nihil adeò candidum, quod non contineat nigrorem: quæ ratio eſt omnium colorum. Vt ergo iſti colores producuntur in lucem, ita & prædicta. Sal quidem eſt candidum, attamen omnes in ſe continet colores. Sulphur ardet, propterea omne oleoſum ipſi ineſt. Mercurius eſt liquor,

liquor, ideò omnes ipſi humores inſunt: quæ ratio & in reliquis obſeruanda eſt, quæ omnia philoſophiæ cõmendo Qua de cauſa homo ſuiipſius eſt medicus. Quandocunque enim ipſe ſuppetias fert naturæ, illa viciſſim neceſſaria ſuppeditat, ſicq; largitur ipſi fundamentum pro vniuerſæ anatomiæ ratione. Si enim diligentiſſimè omnium rerũ cauſas inquiramus,, ſcrutemur & meditemur, inueniemus noſtram ipſorum naturam noſtrum eſſe medicum: hoc eſt, ipſa in ſe omnia continet neceſſaria. Inſpicias extrinſecus vulnus, quid ipſi deeſt? Nihil ſanè, niſi quòd caro debeat ab internis extrorſum creſcere, & nõ contrà introrſum. Vnde medicina vulnerib. ſolùm eſt aliquod defendẽs, ne aliquid mali extrinſecùs accidat naturæ, impediaturq; ſuis in actionibus. Hoc modo natura curat ſua, natura ordinat ſua, natura extrúit ſua, vt demõſtrat chirurgia, peritusq; docet medicus. Quia mummia eſt ipſe homo. hęc mummia eſt balſamus, qui vulnera ſanat. At maſtix, gũmi, lithargyrium, aliaq; eiuſdem generis, ne carnis vnam micam efficere poſ-

ſunt,ſolùm ineſt ipſis facultas(vt modò diximus)defendendi naturam,quò libere faciat ſuum officium. Eadem quoq; naturæ eſt ratio in corpore,internisque morbis curandis, vt, ſi modò defendatur,ipſa ſit ea, quæ ſuos morbos curet. Ipſa enim nouit, qui debeat eos tollere, medicus verò non poteſt ſcire:igitur ſolùm defendat naturā. Vnde in natura tot ſunt operationes,quot extra eam in ſcientia comprehenduntur:ipſi innatæ ſunt,nos per doctrinā aſſequimur. Tantum ab ipſa accipimus, vt eadem poſſimus quæ ipſa.Hoc declarat nobis,duplicem eſſe medicinam ſua in potentia:alteram in medicina maioris mundi: alteram in homine: quarum illa eſt ſita in defenſione,hæc in curatione. Si nos naturam defendamus, ipſa neceſſariò habebit ſcientiam. Quia ſine ſcientia non poteſt ſanitati reſtituere quicquam. Si conſtat nos in defenſione vti ſciētia,debemus quoque curando ſanare. Antea enim locutus ſum ex communi medicorum vſu,errantiū conſuetudine probato.Quare duo ſunt genera medicorū quorū alij ſuam naturæ tribuētes ſcien-

tiam

tiam,ſolùm defendentia(quãuis ſemet ipſos non intelligant)vſurpare ſolent. Deinde ſunt alij curatores, qui naturæ vtuntur ſciẽtia.Vt ſi quis vulneratus ſit, duæ ſunt viæ ſanandi,defenſio, & curatio. Defenſio ita ſe habet,quemadmodum prædiximus. Curatio autẽ in hoc eſt ſita,vt vulnera fiant ſtomachus: hoc eſt,vulneribus vt imponatur medicina, quæ tranſmutetur in carnem: quæ medicina dum vulneribus immittitur,continuò natura prodit foras,ac redigit cõuertitque illam in carnem, ita vt ſtomachus ſint ipſa vulnera: nam abſq; ſtomacho talia fieri nequeunt.Hæc autem in Chirurgia latiùs explicantur. Idem obſeruabitis etiam in omnibus alijs morbis,videlicet quòd altera ſcietia in medico exiſtat,altera in microcoſmi natura. In iſtis omnib. & illud ſciendum eſt, hominẽ & res externas amicitiam,concordiam,& naturæ cognitionem habere,in hoc,vt ſe inuicem excipiant & amplectantur: hoc eſt, homo callere debet in naturę cognatione,quę ſeſe inuicem excipiant & amplectantur: ſic enim anatomiæ peritus erit. Homo quan-

doquidẽ ex limbo factus eſt, ac limbus exiſtit vniuerſus mundus: animaduerte mus ſimilia ſimilibus delectari, eaq; am plecti. Nã homo ſi nõ eſſet natus ex hac vniuerſitate, eiusque ſingulis partibus, nullo modo eſſet minor mundus, nec aptus foret ad recipiendum ea, quę ſunt in maiori mundo. Cæterùm ex hoc cũ originem duxerit, omnia iſta homo eſt, quæ in alimentum ex ipſo ſumit. Quia homo ex ipſis natus eſt, propterea quoque in ea cõuertitur, & ea viciſſim fiunt homo. Siquidem homo ex nihilo non eſt factus, ſed maiori ex mundo: vnde etiam in ipſo conſiſtit. Hinc ſequitur, vt ex quocunque genitus ſit, ex eodem etiam viuat. Si ergo eadem ſit ratio inter hominem & mundum, quę inter filium & patrem: profectò neminem magis decet filium alere, quàm patrem. Vnde membrum externũ eſt medicina membro interno: ſingulaq; membra illa ſuſcipiunt, quę in reſpondentib. ſunt maioris mundi, & omnes humanas proportiones, diuiſiones, partes, membra, tanquam ipſe totus homo. Ideo etiam homo iſta in alimentum ſumit vnà cum

cibo

cibo & medicina, quæ ſolùm differunt medio corpore,figura & forma:in ſcientia verò vnum eſt medium corpus, vna forma,& vna figura, quantum ad phyſicum corpus attinet. Itaque humanum corpus excipit mundanum, quaſi filius ſanguinem patris. Quoniam ſanguis eſt vnus & idem, anima tantùm ſeparatus, ſcientia coniunctus. Ex his ſequitur,cœlum ac terram,aerem ac aquam in ſcientia vnum eſſe hominem,qui viciſſim vnus eſt mundus perfectus ex cœlo ac terra,aere & aqua, alijsque ſimilibus conflatus. Vnde Saturnus microcoſmi ſuſcipit Saturnum cœleſtē: ſic Iupiter microcoſmi Iouem cœli,quos cœlum, nō cōiunctio ſeparat,excipit:ſic meliſſa terræ meliſſam microcoſmi amplectitur, & cheiri microcoſmi maioris mundi cheiri:ſic cachymia aquæ cachymiā microcoſmi excipit, & talcū microcoſmi talcū aquæ: ſic ros aeris rorē microcoſmi, & tereniabin hominis tereniabin aeris. Iſtiuſmodi cōcordia res vniuerſæ cohærent. Cœlum itaque & terra,aer & aqua ſunt vna res, nō quatuor, nō tres, nō duæ,ſed vna duntaxat. Vbicunq; iſta

coniunctim nō accipiuntur,ſunt diuiſa in fruſta & partes. Ex quo colligimus,ac cōmodaturis iſta rei medicę ſemper in medicamētis adminiſtrandis obſeruandum eſſe,nos totum ibi mundum porrigere, hoc eſt, omnes virtutes, cœli ac terræ,aeris & aquæ. Cuius argumētum & hoc eſt. Quotieſcunq; morbus inuaſit corpus,omnia coguntur membra etiam ſana cum ipſo purgare:non vnum aliquod ſolum, verùm cuncta: morbus eſt omnium ipſorū mors. Quod ſcit natura,quæ propterea omnibus etiam viribus reſiſtit morbo, ac,ſi poteſt, ipſum repellit. Ita quoq; medicina neceſſariò cōtinebit vniuerſum firmamentum inferioris & ſuperioris ſphæræ. Vnde perpendas quanta vi natura cū morte pugnet,quum cœlum & terram, omneſq; ipſorum vires & virtutes inuocet,ac aſſumat in auxilium:non ſecus ac videtis animam omnibus ſuis viribus cogi pugnare cum diabolo,& Deum in auxiliū vocare ex toto corde,ex toto animo, & cunctis viribus, ſic & diabolo reſiſtere. Eodem modo & natura tot tantiſque ſolicitudinibus & anguſtijs premitur

mitur, vt omnia in auxilium ſumat, quę cunq; Deus ipſi conceſſit ad mortem arcendam & repellendam: adeò mortē illam terribilem amariſſimamq; auerſatur ac reformidat, quam ipſa horridam apertè cernit. noſtri quidem oculi non vident, nec manus palpitant: ipſa verò mortē videt, tangit ac nouit. propterea implorat ac aſſumit ſibi auxilio cunctas cœleſtes ac terreſtres virtutes, quò poſſit morti truculentiſſimæ reſiſtere. Eſt enim mors valde horrida, truculenta & ſeuera, quæ ſuum adeò creatorem Chriſtum terrefecit in monte Oliuarum, vt ſanguineus ſudor ex corpore ipſius effluxerit, cùm Patrem rogaret, vt ipſam à ſe tolleret. Itaque non immeritò & natura creaturarum ipſam maximo cum horrore metuit. Quò enim mortis cognitio maior habetur, eò quoq; maior eſt cura, cuſtodia & inuocatio medicinæ, quam ſapiens inquirit.

Caput III.

HOc itaq; maximum eſt compoſitum, id eſt vera medicina, quod (vt ſuprà dictum eſt) cōponitur ex cœ

lo & terra, elementis ac ipſorũ virtutibus. Hoc eſt illud compoſitum, cui medicus ſtudebit, & quod diſcet: hoc eſt receptum, hoc eſt quod cõtinet omnia ſimplicia. non quidem cõſiſtit in numero & multitudine ſimplicium, ſed in cõpoſito, in quo totus externus homo collectus eſt: qui cùm ſit vnus, omnia remedia medica & arcana, omnes vires ſimul adſunt. Quæ vires ſi adſint, morbis poſſunt reſiſtere: ſin minus, ipſarũ arcana committimus inter ſe, vel omnino quieſcunt. Hæc melius vt intelligas, hãc obſerua ſimilitudinem. Ex vno ligni genere ſtatuarius ſexcentas ſtatuarũ formas efficit. Sic quoq; corpus humanũ, quod vnum eſt, ſexcenta morborum genera parit, quæ omnia ex eodẽ formantur. Et quemadmodũ ſtatuæ omnes vno igni cõſumuntur: ita quoq; intelligendum eſt, vnam eſſe medicinã in magno cõpoſito, quæ tanq̃ ignis operatur, & conſumendo immundum ſeparat à mundo. Hac ratione magna compoſita ſunt cognoſcenda. Quum verò contrariæ (licet in bona diſpoſitione) ſumũtur medicinæ, ſucceſſus periculoſus eſt. Sic quoque

quoq; in hoc magno compoſito, mundi omnes partes tribuunt ſua: cœlũ ac terra vires ſuppeditant, & microcoſmi totus homo, veluti mundus, in ipſo cõſiſtit, ac in vna gutta conſtat: ſic & homo cum omnibus ſuis membris, articulis, natura, proprietate & eſſentia, ſani & mali morbi & boni in eo ineſt. Illud ſi in corpus aſſumat, ſui ipſius limbum accipit, ex quo genitus eſt, nutritur ſemetipſo, &, quantum ipſi deeſt, medium corpus coniungit cũ eo, ex quo deſumptus eſt. Hoc compoſitũ omnes excedit medicinas, non ſecus atq; Sol omnes ſtellas. Quid Sol differt à Luna? quid dies à nocte? Solùm ſeparatione, qua Sol ad ſuum lumen diſpoſitus eſt, & Luna ad ſuum. Sic quoq; cœlum & terra, omnes flores, radices, lapides, gẽmæ, omnesq́; res diſtinctæ ſunt. Similiter & medicus neceſſariò diſtinguet medicamẽta, tanquam ſepararet tenebras à luce, diem à nocte. Ita enim medicus ſuam conſiderabit ac habebit medicinam: vt Moiſes dixit in libro Geneſeos, Deum Patrem ſingula ordine ſeparaſſe, hoc die hodierno, illud craſtino, aliud perendie. Cogi-

tandũ certè eſt,nobis talia eſſe propoſita,qualia Deo:nos quoq; ſcientiam habere ſimilem præparandi & ſeparandi nigrum à candido, lucidum à tenebroſo,hoc eſt,medicinam ab excrementis, in quibus latitat. Sic enim Deus ipſum creauit. De operatione porrò(vt & ipſa explicetur)quid dicendum eſt? Nõ ſanè aliter Deus vult nos eam accipere & intelligere,quàm ſecurim ad arborem poſitam, reuera ſecantem.Nam eo modo vult ſuas operationes in arte medica intelligi,easque ſimili virtute & potentia agere & efficere, qua olim in terra ſanauit homines : antequã vox perfecta ore prodiret, omnes illic infirmi reſtituebantur ſanitati. Quamuis hîc multa forent conſideranda,vt maxima incertitudo & ignorantia medicorũ:vt imperfecta cognitio medicorũ,qui tamen ægrotis aliquid auxilij prẹſtãt:vt culpa ægrotantium, & multæ cauſæ in manu Dei occultę,quas nunquã inueſtigare poſſumus.Si ergo medicinæ operatio ſit vis adeò magna cum omnib. cœleſtium ac terreſtrium ſphærarũ viribus coniuncta,cuncti facilè intelligunt, nullã hyemem

mem conſumere æſtatē, nec etiam contra æſtatē conſumere hyemem: hoc eſt, nos non poſſe aquam elementarem per ignem elementarem auferre, vel abigere. Vt enim aqua non depellitur igni, ſic quoq; non depelluntur humiditas & frigiditas à caliditate & ſiccitate. Præterea elemēta nō ſunt ipſi morbi, ſed quaſi arborum ſtoli vel ramuli, ſignificantes morbos adeſſe. Pari modo & cōplexiones ita ſunt impreſſæ, vt nulla alteris cędat, nec vlla reliquis depellere queat. Ita nec cœlum mouet terram ſuo loco, nec viciſſim terra ipſum cœlum. Hęc ſimili modo in homine fiunt: quicquid gradū ſuperat, illud accidēs eſt, nō complexio. Quomodo aūt res in eum perueniant ordinē, certis in capitib. docetur.

Poſtquam ſanitas & homo ipſe cum ſuis morbis deſcripta ſunt communi, theorica & phyſica, ex qua omnes tractationes, quæ peculiariter de morbis ſcribuntur, petendæ ſunt, communiq; huic theoricæ tanquam firmiſſimo fundamento ſuperſtruendæ: ſequitur iam, dicamus de morte, & eius irruptione, & quid illa ſignificet. Cunctis reb. certus

permanendi præſcriptus eſt terminus, tum ad bonum, tum quoq; ad malum. Ita Sancti ſuum habent certũ tempus hîc ex terris & in terris viuendi, quo elapſo amplius non erunt:ita & mali ſuũ habent tempus. Omnibus deniq; rebus præſcribit deus ſuum terminum, quem nulla earum tranſire poteſt. Sic nec homo, quantumuis pius, iuſtus & vtilis populo, hanc vnquam metam ſuperare poteſt: terminus vitæ vbi adeſt, nihil aliud ſpectatur, quàm Surge & abi. Huius temporis finis eſt mors, quæ ſemper nobis aſſidet, expectatq; noſtra bella inteſtina, quò poſſit alibi facere irruptionem. Neſcit enim horam inuadẽdi hominẽ, vel quando debeat occidere: nihilominus adeſt parata cũ ſumma diligentia, tũ maxima induſtria inuadendi, ne temporis minutum negligat, ſed potius ſuo domino Deo, qui in cœlis eſt, obedientiam prꝺſtet. Quum itaq; per ſe non nouerit horam nec minutum noſtri termini, medicina depellitur: quãuis adeò inſtet ſemper, quia credit finem iam inſtare, ac ſibi eſſe aggrediendum & inuadendum. Attamen ſæpe cũ erret, accedit & re-

recedit. Licet cuncta apud nos ſunt pulchra, bona & pura, læta & laude honoribusq; abundātia, nihil tamē aliud eſt, atq; theſaurus precioſius auri, & margaritarū in ciſta, quem fur aufert, patrisq; familiàs relinquit arcam inanem. Quia nullius illic habetur reſpectus, ſiue ſit vtilis, ſiue inutilis, ſiue probus, ſiue improbus: vnica definitiua ſentētia fertur, Surge & abi. Quòd ſi vel vniuerſus mūdus ab vnico dependeret homine, ipſe tamē Deus nihili id curaret, ſed ſuā perficeret voluntatem. Quare noſtra vita eſt inuiſibilis quidā theſaurus, quē licet ſemper diligentiſſimè obſeruemus, & vigilando cuſtodiamus: quid tamē obſtabit quò minus inter diligentiſſimas noſtras cuſtodias & curioſiſſimas vigilias huiuſmodi fures clàm eū auferant? An non optimæ ſunt vigiliæ, quoties æger decumbē. nunc ad Deum cōfugit, inuocat auxilium, nunc ad medicū currit, petitq; remedium? quibus omnibus auxilijs fretus cùm minimè arbitrātur, vitam cum morte cōmutat, & hinc cōmigrat. An non & ille ſatis cuſtoditur: qui rex eſt, habetque omnes vires ſuas

penes ſe pugnaudo contra hoſtes ſuos, caſtra firmiſſimè ſera, vallis & foſſis munijt, equitibus & peditibus optimè inſtructus? Tandem verò vbi arbitratur ſe tutiſſimum eſſe, traijcitur globo tormentario: iam mors adeſt, cuius officiũ eſt, varijs modis vitam nobis adimere. Beatus ille, quẽ ex hoc mundo tollit eo animo, quo Ioannẽ Baptiſtam, Prophetas & Apoſtolos. Qua de cauſſa diligenter aduigilabimus & obſeruabimus eã. Quia nos prouocat & promouet in iudiciũ, in quo reddemus rationẽ de minimis, ad minutiſſimum vſq; quadrantem: atq; ipſa eſt lictor & executor, qui vocat in iudiciũ Dei, in qua vocatione ſeparantur anima & corpus. Quæ eſt ipſius alia in iudiciũ citatio, quàm hæc? Itote in iudiciũ ante faciem Dei, addita certa hora & die miſeriarum, qua cœlũ & terra contremiſcent, & eleuabuntur, qua etiam die cornua excitabunt mortuos in iudicium vocatos: mors quoq; nos excitat, ac reſtituit id, quod eripuit. In iſta vita ſiſtimur coram tribunali vnà cũ lictore. Captiuitas & carcer eius eſt terra. Omnes enim in hoc terrę ambitu pecca-

peccatis obnoxij morimur: propterea cogimur ingredi captiuitatem, ac ea cuſtodiri, donec iudicium incipiat, in quo ſententiam expectabimus tanquam captiui homines. In ipſa verò vocatione ſpiritus migrat ad Dominum, corpus in terrã. Quia non eſt terra carcer ſpiritus, verùm ſolius corporis. Ita ſingula ſuis permanent in locis, donec iterum conueniant. Tunc enim ipſamet erunt rurſus ſuo in ſanguine propriaque ſubſtantia. Quid verò vlterius inde fiat, penes ipſum eſt, qui corpus & animam formauit, omnibus hominib. occultum. Tunc nulli amplius erunt morbi, nulla medicina, nullus medicus, nullus infirmus: iſtiuſmodi omnia abrogabuntur. Interea verò nos (quemadmodum ſuprà dictũ eſt) debemus nos conſeruare, & ad ſcientias confugere, quo noſtræ vocationis poſſimus reddere rationem.

Caput IIII.

Etſi nunc mortem quæ vltimus eſt rerũ terminus, indicauerimus, nõdum tamen tractatio eius abſoluta

eſt. Quia oportet latius explicare ea, quę cum morte cohærent, quò melius intelligantur ea, quæ propoſita ſunt. Quare generali progreſſione latiùs explicandę ſunt trium ſubſtantiarũ ſuperbiæ, hoc eſt, quando tranſeant gradũ in quo conſiſtere deberent. Et primò quidẽ dicturi ſumus de Mercurio. Hunc prædiximus, in homine liquorẽ eſſe, eumq; varium, vnde & variæ naturæ ex ipſo prodeunt. verùm nunc porrò ſciatis, tres duntaxat in eo vias eſſe diſſolutionis, quarũ vna eſt Mercurij eleuatio, quæ dicitur deſtillatio, altera eſt ſublimatio, tertia præcipitatio. In hiſce ſingulis vijs quamuis multæ ſint ſpecies, tamen opus non eſt vt eas minutim enumeremus, ſed præcipua tantùm capita ſunt enumeranda. Quemadmodum tres iſti modi ſunt extrinſecè, ita quoque ſe habent intrinſecè in corpore humano, quæ naturæ eſt operatio. Ante omnia itaque de primo dicendum eſt, quid ſit illud, quod Mercurium in triplicem exaltationem perducat, hoc eſt in tres illas vias, quibus ſe ipſum ſublimat, deſtillat ac præcipitat. Per ſe enim ſua ſponte nihil iſtorum facit,

cit,ſed neceſſariò aliquid extrinſecè aſſumit,per quod aſcendat,ſeparetque ſe reliquis à tribus. Cuius hoc vobis ſit exemplum. Lucifer non natura ſua habebat ſuperbiam,ſed aſſumpſit illam, propterea aſcendit ſuper alios: ita & hîc id non eſt propriæ naturæ, verùm ſuo vt nomine illud appellemus,quod Mercurium naturali ex gradu deturbat, calor eſt,per quem aſcendit. Calor autem aduentitius eius triplex eſt: Primus eſt calor virtutis digerendi,qui eſt accidentalis,magnus & vehemens,Mercuriũ vincens,quem etiam in altum eleuat: Hoc eſt, dum ſuperat Mercuriũ & impellit, non aliter agit,atque calor vehementiſſimus Solis, dum incendit lignũ & comburit. Sic ergo Mercurius aſcendit externo aduentitioq; calore. Qui calor vna eſt cauſſa,impellens Mercurium in tres illas vias prædictas iuxta ſcientiam ſuæ magiſtræ,quę eſt ars mechanica. Secundus calor oritur ex motu & agitatione corporis,qui non eſt priori inferior,ſed multò mirabilior & incertior. Quocunque tamẽ modo accidat,ſemper incendit Mercuriũ ac eleuat. Pręter hos duos

& tertius eſt obſeruandus, qui aſtrorum vi incendit Mercuriũ, vnde colliguntur prędictiones ſubitaneę mortis, aliorũq; morborum Mercurialium, hoc vel illo anno, hoc vel illo menſe aut die. Tres igitur ſunt aduentitij calores, qui Mercurium exaltant, ex qua poſtea exaltatione morbi oriuntur: hoc eſt, ſuam cõuertunt ſuperbiam in mortem. Itaq; oportet medicum diſcere ac ſcire calorẽ aſtrorũ. Sic enim poterit ſuos infirmos conſeruare, ac pro ratione iſtorũ trium præſcribere victus rationẽ, & preſeruantia conficere. Ad hæc notandũ eſt, Mercurium tribus incendi modis, humiditate, ſiccitate, vel depreſſione eius, qui humidus vel ſiccus eſſe poteſt. Singulis hoc ineſt membris totius corporis, & quot ſunt membra, tot quoq; Mercurij ſpecies exiſtũt. Ex quo obſeruabitis, plurimas ipſum eſſe diuiſum in corporis partes, quarũ ſingulę propria habẽt officia: aliud eſt intelligẽtię officium, aliud aſpectus, aliud auditus. Vnde etiam ſequitur, varias eſſe morborum naturas. Huic adimit Mercurius intelligentiam, alteri ligamenta, alteri linguã, & ſic alijs alia.

alia. Idcirco calor hoc modo ſuas incipit operationes: corpus primò accēdit, & quocunq; potiſſimùm aſcendit,& vbi ſimul loca implet, ibi ſuas inchoat operationes: hoc eſt, ibi inflāmat omnia tanquam Mercurij fornax, in qua hic iaceat. Quòd ſi calor ex repletione cōtingat, ac ipſa repletio adeò ſubtilis ſit caloris, ſuo ſpiritu vt penetrare queat, aſcendatq; iſto ſpiritu in cerebrū: calore ſufficiēter aucto Mercurius vltra ſuum amplius locum aſcendit, læditq; omnia quæ attingit. Sic etiā cor ſi accedat, hoc cogitur illius eſſe fornax ad proprij Mercurij expulſionem, vt prædiximus. Eadē ratione in homine vel optimæ conſtitutionis, ſi quotidie ſe impleat, vel præter naturam ſe exerceat, aut talis aſcenſus, qualem diximus, contingat: commouetur totum corpus: hoc eſt, omnia eius membra incenſa ſunt. Vnde Mercurius continuè aſcendit ac deſcendit, mouetúrq; vltro citroq; deſtillando in corpore, tanquā in pellicano. Vbi aūt peruenit in ſuum gradū, exercet ſuas nequitias: hoc eſt, poſtq̄ diu fuerit motus, adeoq; ſubtilis effectus (ſiue id fiat deſtillando

in corpore,ſiue præcipitando,ſiue ſubli mando(vt in ſuū aſcendat gradū) depel litur ſuo aſtro, quod eſt corporis morbus & pſentiſſima mors.Ante hoc tempus aūt id nō facit,quiacogitur aliquan diu aſcendere,in orbē ferri,& pręparari, antequam ſummum in gradum perue niat:vnde iterū in profundiſſima cadit. In aſcendendo autem ſi partem aliquā adipiſcitur,ac in ea ſemetipſum accendat, non quieſcit, donec perueniat ad ſummam ſubtilitatē, quo tempore gignit morbos.Hoc modo Mercurius ſuo ex ſtatu pellitur vi caloris in exaltationē, quæ nihil aliud eſt, quàm depulſio: quod eſt morborum(veluti diximus)ſemē.Tres verò eius ſunt modi,vnus mortem ſubitaneā eiusq; ſpecies efficit,quę eſt deſtillatio:Alter gignit podagrā, chiragram,arteticam,quæ eſt Mercurij pręcipitatio:Tertius facit maniam,& phrenesim, quæ eſt ſublimatio Mercurij. quorum omnium tractationes ſuis in libris cum omnibus formis, quæ illic etiam explicantur,ſunt deſcriptæ. Itaque multiplex eſt vltima materia earum rerum,quæ ſuum tranſcunt gradū. Nam

variæ ſunt mercuriales ,varia officia, & variæ partes:quorum omniũ multiplex natura,proprietas,conditio,& cõſuetudo,quę ſi concurrãt, mirabiles morbos cum admirandis ſignis, geſtibus & moribus,alijsq; ſimilibus pariũt.Adeò ſubtilis fit Mercurius iſtiuſmodi præparatione, vt nemo ipſi poſſit reſiſtere,propter vim internæ naturæ. Cuius iterum cauſſa in promptu eſt: Sulphur & ſal nõ poſſunt ipſum coercere propter vehementiſſimum calorẽ, qui repellit hæc duo,& Mercurius adeò attenuatur, vt oſſa & carnes penetret,nõ ſolùm poros,verùm & alijs in partibus,tanquã ſudor,tranſit ac penetrãt:Vnde ſciendum eſt, morbi Gallici puſtulas, leprã, aliaq; eius generis mala oriri, ac ipſorum primam materiam & cauſam cum alijs cohærentibus inde prodire.Quo aũt modo fiant,ſuis in capitib. docetur.Quemadmodum tam magno aſcendit calore, ita quoq; animaduertendum eſt,ipſum efficere varios rigores,calores,horrores & cõquaſſationes, quoties eius paroxiſmus incipit, aut aliqua tantùm ſpecies. Quia ſubtile & acutum adeò venenum

quum inuadit naturam, ipſa incidit in quandam deſperationē ſiue terrorem, qui eſt corporis tremor prodiēs ex metu & rigore: calor ſimul mouetur, cò quòd ſit obſtructio, & nimis vehemens vapor, ceu in occluſa & feruēte olla, cuius operculum vi deponitur. Frigus eſt materia & natura omnis timoris. Vbi autem calor vires acceperit, frigus cedit calori in regnando. Varia igitur eſt Mercurij natura, cuius ſubſtantiā & vires latius deſcribere tempus quum nō permittat, maiorem partem differo in aliud tempus, aliaque mea volumina.

Caput V.

His de vna trium ſubſtantiarum, videlicet Mercurio, abſolutis, conſequens eſt, vt etiam de altera, videlicet ſale eodem dicamus modo. Hunc in primis notandum eſt quatuor vijs mutari, quoties in ſuum tendit factum, reſolutione, calcinatione, reuerberatione & alcaliſatione. Sunt etiam ſalis multiplices naturæ, quæ multis & diuerſis fiunt modis: quare etiā variæ ſunt præparādi ſpecies.

Sal

ſpecies. Varia enim ſalia ſeipſa calcinãt & reuerberant:ſic etiam varia ſeſe alkaliſant & reſoluũt: quæ omnia pari fiunt ratione in homine, qua extra ipſum in ſua ſcientia. Ante omnia ſcire hîc oportet, quid illud ſit, quod ſal ita frangat & diſſoluat, vt in prædictas tranſeat præparationes ſummi gradus, in quem nõ deberet peruenire. Cauſæ verò ſunt tres: Prima eſt nimis magna cibi impletio, quæ digeſtionem impedit, ac partes corporis efficit nimis laſciuas, carnem lubricam, hoc eſt, nimiũ delicatę, nimiũq; mollis carnis ac medullæ, nimium ſanguinis & aliarum partium ſimiliũ. Hæc cùm nimis laſciuiunt, non poteſt ſal conſiſtere in ſuo gradu ac ſtatu, quo deberet. Perſimilis etenim eius eſt ratio, quæ arui eſt pinguis, quod nimis luxuriando perit, vt fructus celerrimè putreſcãt, aut quoties aruum pluuia maxima adeò irrigatur, vt fructus pereant, vel alia quauis ratione. Similiter quoq; via ſecũda eſt intelligẽda, qua maior, quàm par eſt, luxus ſal in ſuam exaltationem trudit: quod maximè fit, quoties luxus coitus ſuam originem ſortitur ex medi

cina pruritus ſudoris & cruoris. Tunc enim magis augetur & exercetur: qua exercitatione corpus nanciſcitur ſpiritum frigidū,qui eſt ventus:hic ſal commutat in aliam ſubſtantiam,& præ reliquis maximè hoc facit. Nam ſpermatis ſuperfluū ſi tendat in ſuum fluxū, ſalis frangitur ſubſtantia, & nimiū ſubtrahitur liquidi,vnde ſal tranſit in ſpiritū,qui eſt alia ſubſtantia à priori. Tertia via ſal extrahitur per ſtellas,quoties ſal in earū incidit partes, exiccant quaſi ventus,& liquefaciunt ſalia ceu Sol grandines. Siquidē ſalia in corpore iacēt,quaſi grando in agris,quorū conditio & natura eſt manere in eodē ſtatu, ſed non poſſunt reſiſtere aduerſis: itaque franguntur & diſſoluuntur. Sal enim ita comparatū eſt,vt nequeat reſiſtere:aliquod ſi occurrat contrarium,commutatur abundantia carnis,pinguedinis,ſanguinis,vel per eorum delicatam naturam,vel coitum, vel aſtra. Sunt etiam aliquod ſalis genera, quæ inſtar niuis liquefiunt, quoties aliqua talis vis contraria accedit: & in hūc modū liquefiunt:calor quoq; adeſt in corpore,tanquam dictum eſt in Mercurio,

curio,qui ſal reſolutum ex corpore pro pellit. Nam iſte calor multis de cauſſis non relinquit ſal reſolutum in corpore, ſed oportet id expelli: nec ſolùm illud, verũ & reliqua ſalia calcinata & reuerberata. Vnde ſudor ſalſus exiſtit, quia nihil aliud eſt, quàm huiuſmodi ſal reſolutum. Hinc ſequitur, alios ſudores ex ſanguine, alios ex carne, vel oſſibus, vel medulla, vel alia parte aliqua corporis prodire. Sequitur etiam iſta ſalia varias habere naturas, cùm ex ipſis naſcantur, ſerpigines, impetigines, pruritus, ſcabies, aliaque eiuſdem generis, quæ in chirurgia deſcribuntur, quapropter & hîc illa omitto. Salia porrò naturæ tunc ſunt calcinata, vbi liquidũ ſuum amiſerint. Tunc enim reuera ſunt calcinata. Nam ſal reuera calcinatum eſt in ſua natura, vbi amiſit ſuum temperatũ humidum. Sic enim calcinatum iacet quaſi alumẽ in ſua præparatione, aut vitriolum, aut aliud aliquid. Eodem enim modo cogimini & hanc præparationem intelligere. Calcinatione incipiente, humidũ exhalat per ſudorem. Eſt autem illud humidum, quod pruritum in cute excitat.

deinde aperit eam, poſtea ſequuntur fo ramina. Quia tandem vbi ſal nõn amplius ita humidum eſt, vt deberet, foras tendit, ac ſibi rodendo foramina, aperit viam in eo corporis loco, in quo exiſtit, vt latiùs in Chirurgia docetur. Quod autẽ reuerberatur, aliud eſt ſal, videlicet liquidum, humidum, quod in ſua propria anatomia deſtillando ſeorſum mouetur, id quod reuerberatio appellatur. Quia nullus calor, nec externus aliquis luxus poteſt eius ingredi ſubſtantiam: cæterùm veluti oleũ & aqua nequeunt miſceri, ita nec aliæ res in huius ſalis ſubſtantiam miſcendo tranſeunt. Spiritus itaque ipſius vltro citroque ſurſum ac deorſum feruntur, donec fiat mucilago ſiue viſcoſitas. Tunc enim lõgè acutiùs factũ, quàm deberet, egreditur: hoc eſt, calor internus expellit eius ſubſtantiã foras, ac ipſum incipit foramina rodere aliaque externa vitia efficit. Notabitis ergo, ſal eò tendere, quò natura ſua ipsũ ducit: vnde morbi cõplures ſcaturiunt, quos in Chirurgia appello vulnera æruginoſa. Nam quælibet ærugo foras protenditur per poros, ac in aere ſuas perficit

cit

cit operationes. Prçterea animaduertẽdum eſt, nulla in cute foramina, vel morbos externos fieri, niſi ſal iſta fecerit: illud verò ſemper foras tendere, quò perueniat in aerẽ, cum quo in cute operatur. Ex quo intelligitur, quomodo ſal variet, nunc hoc, nunc illo modo. Vnde vitia ſicca, humida, fluentia, purulenta, eiuſque generis alia oriuntur. Quamuis huiuſmodi variè etiam naſcantur, corroſione ſubſtantiæ medij corporis, nutrimento, alijsq́; ſimilib. quę hîc non eſt enarrandi locus. Ex ſale quoq; fiunt vulnera ſalis ambulantia, pergentia, corrodentia, cancriſantia, profunda, putrida, multaq́; ſimilia: itidem ſcabies, & morbi alij abſque foraminibus, vt alopecia, puſtulę, cicatriſantia, condilomata, & eius generis plura: ſic & morphea, & lepra, earumq́ue ſpecies: ſemper pro natura ſalis morbi & dolores exiſtunt: nec non pro natura ſtéllæ, quæ ſuã hîc quoque protulit ſcientiam. Nam ipſa in ſua exaltatione ſal exercet ac commouet, aliaq; plurima facit. Poſtremò conſiderate, ſalia varias efficere formas vt in cãcris, fiſtulis & cancrenis corrodentibus

euenit, quæ profectò ex ſale oriuntur, quod eiuſdem eſt naturæ. Nam ſal cunctis rebus formam tribuit, veluti naturæ lumen docet. Ac ſemper pro natura ſalis morbus eſt vehemens, longus, breuis, aut mortalis, quæ omnia ſuis ſunt locis explicata.

Caput VI.

SImili ratione quatuor res frangunt & exaltãt ſulphur, quę ſunt quatuor elementa. Ipſius verò natura huiuſmodi eſt, vt humidum ſi elementũ inuadat ipſum, ſimile fiat ei, hoc eſt, humidum & madidum, aut ſimile aliquid prout talis impreſſio ex elemento aquę ipſi euenit. Sic etiam aer elementũ quoties ipſum in ſuam deducit naturam, fit ſiccum: & ex hoc accipit gradũ ſiccitatis, ſicut humiditatis ab aqua. Siquidẽ in aqua elemento exiſtit humiditas, in aere ſiccitas. Hi duo ſunt modi Sulphur exaltandi, pro natura duorum elementorũ. Nec alia ratione intelligetis duo reliqua elementa, ignẽ & aerem, ipſum exaltare. Terra quoties ipſi dominatur,

efficit

efficit ipſum frigidum, eodemq; in gradu conſeruat. Similiter ignis, hoc eſt, firmamentum, retinet illud calidum, vbi eò deduxerit. Quatuor ergo elementa ſunt artifices quatuor, qui Sulphur trāſferunt in ſuam tranſmutationem, vt ab officio diſcedat ſuo in morborum generatione: quorum multa naſcūtur genera, vt aliud frigidum, aliud calidū, aliud humidū, aliud ſiccum: & rurſum in quolibet genere multæ fiunt ſpecies pro natura materiæ Sulphuris, quæ inuaditur ſuis in regionibus & membris. Vnde Sulphur ſit frigidum, & per idē elementum volatile & fixum. Frigus autē hoc multiplex & varium eſt, congelat, reſoluit, coagulat ac diſſoluit, quæ ex quatuor elementis accipit, quāuis omnia vno elementi terræ intelligantur nomine. Quandoquidem ex aqua, vna frigoris pars prodit, ex igne vna, ex aere vna etiam pars. Singula igitur elementa vnam frigoris partem conferunt, nihilo minus ſolū frigus vocatur elementum terra: quod fit certis de cauſſis, quas philoſophię committo. Quare frigus conſiderabitis in rebus ipſis, quæ frigore v-

nam habent ſubſtantiam. Quia vna eſt duntaxat frigiditas, non multæ: pondera quidem ſunt plura, vt in vna re plus ſit frigiditatis, quã in altera, vnde frigidior etiam apparet, nihilominus tamen vnica eſt frigiditas. Quantum verò ad ſubſtantiam attinet, in duas ſpecies diſtribuitur, in duram & humidam. Dura iterum eſt duplex, congelata & coagulata. Ita quoque humida duplex, diſſoluta & reſoluta. Cõgelatio fit per humidam frigiditatem, vt aquę gelu conſtrictę, niues grandines & ſimilia. Sic quoque in Sulphur ex igni elemento euenit congelatio, cum certis morbis & eorumdem formis, qui non immeritò, niui pruinæ ac grandinibus ſimiles ſunt, ac ſimili ortu ſunt intelligendi, hoc eſt, vna ex parte aſtris eſſe genitos, vocariq; frigidum ignem. Quia ignis eſt firmamentum. Coagulatio autem eſt alterius frigiditatis, quæ originem ducit ex aqua. Eſt quidem alia frigiditas, attamen vnius gradus cum frigore ignis: Vbi ſuam in operationem peruenit, omnia ſibi ſubiecta coagulat. Coagulationes hę in hoc ſeparantur à congelationibus, quòd coagu-

latio

latio ſit ſixa, congelatio verò volatile. Quicquid enim ex aqua elemento fit, illud totum eſt coagulatum. Ac frigida quidem eſt huiuſmodi coagulatio, veluti cernitis corallos coagulatos, alumina, entalia, & his non diſſimilia vitriolata, ſalia, aluminoſa, aliaque eius generis. Eodē in ſtatu ſunt & morbi prouenientes ex frigiditate coagulata, hoc eſt, frigiditate aquę. Ex aere etiam oritur frigiditas, quæ ſua ſubſtantia nec eſt congelata, nec coagulata, ſed eſt ſolùm vētus. Quemadmodū Boreas & Zephyrus frigiditatem inferunt calori, ſic quoq; hoc elementum natura comparatum eſt. Propterea etiam, quòd partem obtinet frigiditatis in flatu & vento, excitat in corpore ventoſas frigiditates, chaōs frigiditates, flatus frigidos abſq; tactili & viſibili ſubſtantia, quæ ſuos peculiares habent morbos cum ſuis ſpecieb. Pari ratione & terra propriè ac per ſe accepta poſſidet generationē morborū, quę ex ipſa proueniunt, eo modo, quo frigidæ herbæ ex ipſa oriuntur, veluti ſolatrum, roſa, lactuca, portulaca, aliæq; ſimiles: quæ ſicut à ſe inuicem ſunt ſepa-

ratæ, ita quoque morborum genera & ſpecies. Vnde & in homine vobis tenenda eſt ſcientia ſeparãdi quatuor elementa, vna cum cautione prædicta eiusq; noticia. Nec aliter elementum ignẽ, ſiue calorem intelligetis, hoc eſt ignem quoque ſcrutabimini in quatuor elemẽtis. Quoties itaq; Sulphuris inuenitur morbus, habet vnius ex quatuor naturã, pro Sulphuris naturali officio. Si accendat ipſum ignis elementum, qui ineſt firmamento, fulgureus ſeu tonitruus lapis id facit. Vnde neceſſariò ſequitur, Sulphur non ſecus atq; arborem fulmine ictam, conflagrari. eodem modo firmamenti operationes omnẽ ſenſum fugientes in noſtris corporibus aduerſus nos agunt. Quemadmodum enim Sulphur arborũ accendit, ita & ſulphur in homine: ac quodcunq; membrum inuadit, eidem dominatur. Eſt quoque alius in aqua ignis, qui non minus incendit Sulphur, atque ille cœleſtis. Nam ſilex, calcedonius, aliaq; ſimilia ignem ſi continent, alijsque tribuunt: neceſſariò etiam hoc elementum internum habẽt, quem nos non videmus. Siquidẽ elementis ineſt

fabri-

fabricator, qui noſtrũ ſub aſpectũ non cadit, nec comburit, veluti in multis declaratur morbis. Elemento terræ ineſt ſimiliter ignis, qui Sulphur ita incendit vt ipſi cernitis. Sic flammula & vrtica ex terra proueniunt. Quantas verò herbæ iſtæ, aliæq; huiuſmodi, vires exerceant, quoties phyſicũ attingunt corpus, mini mè vos latet. Iſtiuſmodi quoq; generationes in homine fabricantur, quæ omnes ſuis capitibus indicantur, & ex ipſis varia morborum genera intrinſecè & extrinſecè oriuntur, re vera inter ſe differentia, vt morbi mercuriales & ſalini, de quib. peculiaris libellus eſt cõſcribendus. Nam alius morbus eſt flammulæ, alius piperinus, alius aronicus, & ſic de reliquis. In aere quoque calidum eſt elementum ignis, non ſecus ac de frigore dictum, ex ignea & aſtrali natura, quæ ignitos efficit morbos, hoc eſt, ſui elementi morbos. Præterea coagulatio eſt in igne firmamenti, & aquæ & terræ. Quiſq; enim calor ſolus coagulat. Vnde tres coagulationes ex terra ſunt: & paruulum arenæ granulum ex aqua ortum ſimile eſt calidis mineralibus, & vna eſt

coagulatio ex igne, quę eſt impreſſionis Sic in frigiditate aqua elementũ ſuam habet coagulationem, veluti coagulatio eſt ſolatri & ſimiliũ. Habebitis quoque humiditatem ex quatuor elementis, id eſt, vnam ignis, vnam aquæ, vnam terræ, & vnã aeris, quæ omnes ita ſe habent vt prædiximus. Vnus itaq; gradus elementi, & vna eſt cauſſa prioris morbi, videlic. vnica, cũ quatuor tamẽ morborum generibus, quorum alius eſt humidus ex humiditate ignis, alius ex humiditate aeris, alius ex humiditate terræ, alius denique ex humiditate aquæ cum ſuis ſingulorum ſpeciebus, quę ſub ipſis continentur. Ita quoque ſiccitas quadruplex obſeruanda eſt ex quatuor elementis. Nam aliæ ſiccitates ſunt ex igni, aliæ ex aqua, aliæ ex aere, aliæ ex terra, vt morbi ſicci demonſtrant. Sunt enim quatuor primi & principales morbi, frigidus, calidus, ſiccus & humidus. Qua de cauſſa nõ immeritò ſinguli morbi hiſce gradib. incipiũt & intelligũtur. Et quamuis non certo ordine neq; hac methodo à nobis in hac theorica deſcribantur, tamen certo & vero ordine traduntur

duntur alio loco, vbi ipſorum practica docetur. Et quòd hoc loco omia quàm pauciſſimis abſoluamus, ratio eſt, quòd ſingula alibi plenius explicentur, vt de complexionibus & gradib. alijsq; naturalibus, quæ maximè attingunt philoſophiam. Attamen hoc addemus, certos naſci morbos aliunde, quàm ex elementis, qui tamen elementorum ſimiles apparent. Vt ſal dum ſeipſum calcinat, ac humido corporeo incenditur. Vnde fieri poteſt, ac fit etiam nonnunquam, vt ſuum accendat Sulphur, in quo cõſiſtit, idq; nõ vno, aut hoc tantùm fit modo, verùm & omnibus alijs. Quapropter huiuſmodi res ſignis agnoſci & diſcerni debent. Qui autẽ hæc diſcrimina nõ nouit nec intelligit, immeritò iſta ſigna percipiet, quæ de bellis inteſtinis declarabũtur ſuis in locis. Quare & reliquos videte & conſiderate libros, non ſolùm quantum ad ipſam attinet diſtributionem, ſed & alia multa. Titulus etſi de tribus ſit, id eſt, de agẽdo vel fieri per ſe, de accidentibus, & de fine: nihilominus & alia obiter intelligentur accidentia generalia, quæ non ſolùm continent ſym-

ptomata externa, aut temerè cõtingentia, verumetiam elementa, & eius generis plura. Nam morbus ſi nominandus ſit, etiam indicanda ſunt ea, quæ ipſum efficiunt. Quare ordo integraque tractatio iſtis in capitibus docetur, quæ ſunt de illis morbis, licet hic liber eum ordinem non ſequatur. Quia libri hi permanent in ſua theorica & phyſica: fortè aliàs aliter practica ſuis in voluminibus tradetur.

Caput VII.

PRæter prædictas formas omnes reſtat adhuc & aliud morborũ genus, cuiuſmodi duo hoc traduntur capite, alterum ex ſemine ſpermatum, alterum ex ſpecifica ortum forma, quæ nõ modò vtiliſſimè, verumetiã neceſſariò diſcuntur, & à ſe inuicẽ deſtinguuntur. Conſtat vobis, res vniuerſas in primis ſubſtantijs tribus conſiſtere, vt prędictũ eſt. In ijs autem rebus peculiare aliquid accreſcit, ſubſtantiæque à natura inhæret, quod tamen nõ eſt ex illis rebus, quę hactenus ſunt tractatæ. Quod ita intelligendum

ligendum eſt. Sunt res, quę ſudorem excităt, laxant, vrunt, aliaq; ſimilia faciũt, quæ profectò ſumma diligentia debent perpendi. Quia vocantur ægritudines ſpecificæ, quæ nõ oriuntur prædictis ex cauſis, verùm innaſcuntur, ciuſq; ſunt naturæ, vt aliæ moueant ſudorem, aliæ laxum reddant, aliç alio modo efficiant. Similiter animaduertendum eſt, ex ſpermate multas fieri generationes, quę vel non obſeruantur, vel ignorantia alijs aſſcribuntur rebus. Id enim camphora, ſperma ceti, aliaque plurima probant. Ex hac cauſſa originem ſumunt morbi veſicæ & renum. Et quamuis tartarum ſit lapis, vel potius materia eius, tamen ibi non mutatur ita in lapidem, niſi frigiditas ſpermatis ipſam congelet, vel calor diaphoreticus ſpermatis, quod eſt coagulatio. Caliditatem & frigiditatē hic non intelligemus eo modo, quo antea ſunt traditæ, ſed obſeruabimus ſperma propriam habere anatomiã & phyſicam. Diſtributio autem prorſus vna & eadem eſt, quæ ſuprà eſt dicta. Quæ verò hîc inſuper oporteat ſcire, ſuis capitibus proponentur. Hi duo morbi pe-

culiare caput requirunt. Nam & hac ratione poſſunt ab alijs diſtingui morbis. Quicquid innatum eſt, hoc ſanare non poſſumus: Specifica aũt & ſperma ſunt innata: igitur hoc, quod ſunt, natura exiſtunt, ac radix ſuam vegetãdi facultatẽ retinet. Cœcitas verò non innaſcitur, etiam ſi cœcus prodeat in hanc lucẽ: qui licet aſpectum non habeat, attamẽ ipſa potentia ineſt ipſi, etiamſi nõ ſit ſuo in vero loco, quod ſolùm eſt cauſa cæcitatis, vt appareat cæcus naſci, qui nihilominus in ſe habet aſpectum: quaſi hominis vna in manu ſex forent digiti, in altera quatuor, aut alioqui non eſſent ſuis locis poſiti. Nullus ſanè medicorũ hîc poterit verè dicere, talẽ cœcum nõ poſſe curari. Quia natura eſt potens & admirabilis. Donec adeſt viſus, poteſt in ſuum deduci locum: digiti nõ poſſunt, quòd ſint corporis ſubſtantiæ, ille verò ſpiritus ſiue ventus corporis expers, vnde loco moueri poteſt: quod in partib. corporis tranſpoſitis fieri nequit. Hæ itaque cauſſæ, quę hoc capite proponuntur, nõ ſunt eius generis, cuius reliquæ. Nam illæ à natura inſunt, tanquam ferro du-

ro duritics, cretæ ſuus color: ex quo intelligimus hæc eſſe naturalia accidētia, tanquam niuis candorē. Talia accidentia nemo poteſt arcere nec tollere: nihilominus effici poteſt, vt nihil homini obſint. Sperma igitur cùm ſit limbus, ac in quatuor elementis exiſtat, ſciendum etiam eſt, ipſum eiuſmodi vires habere, quas homines impreſſiones non malè appellant, quia ſunt impreſſiones. Notate hoc loco in aſtronomia errorē, qui ita ſe habet: Aiunt impreſſionē ex cœlo prouenire, quod falſum eſt. Cœlum enim nihil nobis imprimit: Formam & imaginem obtinemus ex Dei potentia, abſque noſtra opera, imaginesq́; permanemus pro noſtro arbitrio. Sic etiam omnia membra ſunt manu Dei elaborata & formata. Conditiones, proportiones, mores, aliaque ſimilia poſſidemus ex inſpiratione vitæ, cum qua hæ res nobis ſunt innatæ. Morbi, quibus obnoxij ſumus, oriuntur ex tribus ſubſtantijs, ea ratione qua narrauimus. His cœlum poteſt aliquid imprimere, veluti ignis ligno aut lapidi. vel crocus aquæ. Cogitabitis itaq; impreſſionem illud eſſe, quod

non poſſumus à nobisdepellere,vt ſunt morbi ex lymbo cauſſis externi effecti. Sic quoq; impreſſio ineſt ſpermati, & ſpecificę,quę nos ad aliquid impellunt, quod nequimus expellere. Verũ quod dicitur inclinatione hoc vel illud fieri, vanum eſt:veluti iſtum hominem habere inclinationẽ Martialem, Saturninã, Lunaticam,vel ſimilem aliquam,vel neceſſariò furari,magnus eſt error, & turpis ſimulatio.Recte dicitur, Mars ſequitur iſtum hominẽ. Maioris enim eſt homo quàm Mars,vel aliusquiuis planeta. Qui verò cœlum nouit,& hominis magiſtrum,nõ dicit illud. Quin potius hoc dicet,Hominem adeò nobilẽ eſſe apud Deum, ac tanto haberi in precio apud Deum,vt ſit ipſius forma depicta in cœlo cum omnibus actionibus,vita, bonis & malis.Hoc autem non eſt inclinationis.Et ipſimet ex parte hunc errorem animaduertunt,dum inquiunt: Aſtra nõ neceſſitant.Quod nihil aliud eſt,quàm aulicum aliquod palliũ,ſiue penula aulica. Duo cœlum ab homine eſt ſortitum,quorũ alterum quidẽ eſt, quòd hominem depingat in ſeipſo. Vnde illud
falſum

falſum eſſe probatur. Hunc hominē eſſe Saturninum, illū Iouialem, aut ſimile quipiam. Hoc enim idem eſt, ac ſi quis adumbratus atque depictus, poſtea ab eadem imagine ipſe ſuam inclinationē habere dicatur, vt quicquid agat, ab iſta imagine putetur habere. Alterum verò eſt præludium. Siquidem ita ornatum & ſagax cœlum eſt, omnium vt hominum futuros labores, mores, geſtus, & quęcunq; fiunt alia, pręludat. Illud verò præludium an ne erit inclinatio? Quaſi dicas, Præludium cogit hominē, vt hoc faciat. Quum omnia iſta præludia ſint ſolū præſagia, quæ futura prænunciant abſque inclinatione, impreſſione, conſtellatione & ſimilibus. Hoc eſt illud hypochyma, hæc eſt viſcoſa caligo, quæ aſtronomorum ſuffuſa eſt oculis, quæ ſi ipſis indicetur, ægrè ferunt ac murmurant. Quòd ſi, deinde quiſpiam erroneam & contra fidem conſtitutam artē voluerit abrogare, & veram ſequi, non pudet ipſos proclamare, eſſe necromantiam. Innata igitur morborum cauſa duplex eſt, altera eſt ſeminis, quæ debet bene intelligi ex prima theorica: licet ſub-

ſtantia,& corpora non adſint,tamen gē neratione inde poſſunt prouenire. Alte ra eſt ſpecifica,quæ ſimiliter vbi fuerit, ibi radices quidem nō poſſunt auferri, ſed accidēs poteſt amoueri. Sæpe enim contingit in ſtomacho vt ſpecifica ſit la xatio:ſic in ſanguine ſpecifica lepra. qđ ex arte idem valeret,ac ſi diceres,in ſtomacho eſſe colocynthida, turbith, ſcamoneam,aliaque ſimilia: nihilominus cōmuni[illegible]r dicimus, ipſum habere ſpecificam ſcammoneam, vel colocynthida,vel eſulam,vel agaricum, pro rei natura. Sic quoq; loquimur, Habet ſpecifi cam flammulam, & ſpecificam aquam, quod foret innata lepra, vel morphea, aut aliud quippiam tale. Ita etiam ſpeci fica fit pinguedo, qua ſæpe homo pinguefcit,non tamen ratione cibi. Similiter ſpecifica m[illegible]cies euenit, quū homo nullo cibo [illegible]c poteſt,quò minus ſit macer. Has cauſas non retulerunt quidem medici ad ſpecificam ſciētiam, ſed cum imperitis aſtronomis latrarunt,eſſe eam melancholiam, phlegma, aut ſimile aliquid. Saturnus aſcendenti ipſius præeſt,vel eſt eiuſdē naturæ cum aſcendente.

dente.Homo nihil accepit ex aſcendente, ſed limbo: Dei manu factus eſt, non aſcendente, nec planetis, nec coſtellatione, aut iſtiuſmodi aliquo, tanquam iſta cogerent ipſum eſſe macilentum, vel pinguem. Horum oportet morborum perfectam habere cognitionem, quò rectè diſtinguantur in cauſarum explicatione à reliquis: Poſtremò autem conſiderantur, vt ſuis etiam in capitibus iudicabitur, & maximè in ŋs, vbi de ipſorum ſpermate ac ſpecifica tractatur,

Caput VIII.

Porro præter omnia hactenus dicta, aliud homini ineſt corpus inaſpectabile, quod non conſiſtit in tribus ſubſtanŋs: hoc eſt, Homo corpus habet aliquod, non ex limbo natum, ſed originem ſumens ex afflatu Dei. quod ea de cauſa etiam medico non eſt ſubiectum. Et quemadmodum nullus flatus vel inhalatio noſtra in manu eſt, ita nec illud corpus noſtris ſubŋcitur oculis. Cogor hîc de homine aliquem adŋcere ſermonem, quem mihi velim aſſcribi tan-

ſtantia,& corpora non adſint,tamen gē neratione inde poſſunt prouenire. Altē ra eſt ſpecifica,quæ ſimiliter vbi fuerit, ibi radices quidem nō poſſunt auferri, ſed accidēs poteſt amoueri. Sæpe enim contingit in ſtomacho vt ſpecifica ſit laxatio:ſic in ſanguine ſpecifica lepra. qđ ex arte idem valeret,ac ſi diceres,in ſtomacho eſſe colocynthida, turbith, ſcamoneam,aliaque ſimilia: nihilominus cōmuni[illegible]r dicimus, ipſum habere ſpecificam ſcammoneam, vel colocynthida,vel eſulam,vel agaricum, pro rei natura. Sic quoq; loquimur, Habet ſpecificam flammulam, & ſpecificam aquam, quod foret innata lepra, vel morphea, aut aliud quippiam tale. Ita etiam ſpecifica ſit pinguedo, qua ſæpe homo pinguesſcit,non tamen ratione cibi. Similiter ſpecifica m[illegible]cies euenit, quū homo nullo cibo [illegible]e poteſt,quò minus ſit macer. Has cauſſas non retulerunt quidem medici ad ſpecificam ſciētiam, ſed cum imperitis aſtronomis latrarunt,eſſe eam melancholiam, phlegma, aut ſimile aliquid. Saturnus aſcendenti ipſius præeſt,vel eſt eiuſdē naturæ cum aſcendente.

dente.Homo nihil accepit ex aſcendente, ſed limbo: Dei manu factus eſt, non aſcendente,nec planetis,nec coſtellatione, aut iſtiuſmodi aliquo, tanquam iſta cogerent ipſum eſſe macilentum, vel pinguem. Horum oportet morborum perfectam habere cognitionem, quò rectè diſtínguantur in cauſarum explicatione à reliquis:Poſtremò autem conſiderantur, vt ſuis etiam in capitibus iudicabitur, & maximè in ijs, vbi de ipſorum ſpermate ac ſpecifica tractatur,

Caput VIII.

Porro præter omnia hactenus dicta, aliud homini ineſt corpus inaſpectabile,quod non conſiſtit in tribus ſubſtantijs:hoc eſt,Homo corpus habet aliquod,non ex limbo natum,ſed originem ſumens ex afflatu Dei. quod ea de cauſa etiam medico non eſt ſubiectum. Et quemadmodum nullus flatus vel inhalatio noſtra in manu eſt, ita nec illud corpus noſtris ſubijcitur oculis.Cogor hîc de homine aliquem adijcere ſermonem,quem mihi velim aſſcribi tan-

quam medico,& ipſi eatenus fidem haberi: quatenus philoſophia ipſum probat. Eſt autem talis. Sacræ teſtantur literæ, nos extremi die iudicij reſurrecturos noſtris corporibus, ac delictorum rationem reddituros. Corpus autem peccat, quod nos non videmus. Vnde probabile eſt, illud corpus etiam reſurrecturũ. Quia nõ reddemus rationem de noſtri corporis ſanitate, alijsq; ſimilibus, quæ ipſi eueniunt, ſed eorũ, quæ proueniunt ex corde: iſta ſpectãt ad hominem. Hoc ſane corpus, eſt corpus ex anhelitu Dei, non ex limbo. Noſtra verò in carne quũ Deum noſtrum ſeruatorẽ viſuri ſimus, ſequitur illud corpus adfuturum, quod ex limbo ſumptũ eſt, & caro exiſtit. Quis obſecro mortaliũ velit ignarus eſſe earum rerum, quę fiunt in illuſtratione ac illuminatione, quę Dei fit ore: Ibi corporum nõ erit diuerſitas, in quibus vna erit caro. in carne nimirum reſurgemus. Nouimus igitur vnam carnẽ, non duas: corpora verò duo vnam duntaxat carnem, ortam ex limbo, quę eſt ſubiectum medicorũ. Hoc corpus notabitis vnam naturam cum altero habere incitandi

(præ

(præter eam incitationẽ, quæ eſt famis, ſitis, & ſimiliũ) ad veram, maximamque iuſtitiam, omnemq; probitatem. Caro autem ex limbo ſumpta, eſt illa natura, quæ in ſua permanet menſura & iuſtitia. Quicquid iam præter hæc exiſtit, id ex malo prodit, nõ natura. Nam omne quod naturę datur: hoc naturalem petit exitũ, naturali in loco exiſtit, ad naturales operationes tendit. Quemadmodũ cibus eſt traditus naturę, ſicut ipſa poſtulat, ingreditur ventrẽ: deinde per ſedes egreditur, & rectè ſe habet. Ita quoq; ſemen naturæ ingreditur aruũ vel pratum, ac profert ſuum fructum. Quicquid ipſi accedit, hoc ex malo eſt. Ne autem videar minimè Chriſtianus medicus, & contra D. Paulũ, qui iubet mulierum voluntatem adimpleri, & ſimilia: ſciendũ illud minimè debere intelligi, quaſi per ſe pium, & omnino purum ſit: verùm ad euitandũ adulterium permitti, in quod alioqui poſſent incidere, quòd corda ſint ad huiuſmodi vitia inclinata, quo iſta, quę proponunt, impediãtur ac tollantur: hoc eſt, euitare maiora mala. Idẽ & in maribus

obſeruandum eſt. Vt autem redeamus ad illud, quod propoſuimus de eo, quod præter naturam eſt,malum illud prodit ex ſpirituali corpore,quod adeò naturã impellit. De hoc ſpiritali corpore non ex limbo nato, æquũ eſt medico prçſertim cõtra aſtronomos,quçdam explicare, quo corpora hominis ambo rectè cognoſcat. Aſtronomi enim ſubijciũt aſtris illud corpus, quod ore Dei ſic eſt factum, non ſtellis: Hoc probatur homo, in qua affirmatione vel negatione, ſeu bono vel malo ambulare velit, & quàm ſit Deus ipſi charus,& quomodo ipſi ſit adhçſurus. Vnde homo & alterũ habet corpus, quod Adam & Eua,dum eſsẽt in paradiſo,habuerunt perfectum. Perfectus illic erat homo,qui intellexit bonũ & malũ, ſed eſu pomi corpus id immundum factũ eſt. Vnde nũc cupimus plus comedere & bibere, quàm natura requirit. Deus adeò bonus eſt,nobis vt proponat talia cupientibus veluti bonum vinum,pulchras mulieres,lautos cibos, electã pecuniã: quibus probamur,quàm ſumus fortes & ſtrenui, & quomodo vtamur

naturæ

naturæ menſura, vel eam tranſeamus. Eſt enim coniunctio duorū corporum, anhelitus & limbi, tanquam matrimonium, cuius violatrix eſt natio praua & adultera, quę omnino non ſeruat illud, quod intactile corpus promiſit naturali; videlicet ſe nolle hoc onerare nimiū, nec vltra modum & mediocritatem impellere. Hoc quoties non obſeruatur, quid aliud eſt, quàm adulteriū? Violatio videlicet eius, quod maxima obligatio, ſummumq; iuramentū coram Deo eſt? Sed propoſitum, atq; hactenns inſtituta tractatio, plura indicare, lætiuſq; extendere non permittit. His itaq; concluſam eſſe volo vniuerſalem theoricam phyſices & chirurgię, origines item & cauſas omniū morborum. Quam generalem inſtructionem libri ſequentes latius explicabūt, manif[illegible]ius docebūt, ac euidentius demonſtra[illegible]unt, ſingulas ſeorſim partes & capita tractādo. Prętereà cùm neceſſariò peculiaris quædam philoſophia requiratur ad ea, quæ iam diximus & propoſuimus: illis quoque in locis auxilio Dei (qui & iam ſuppetias tulit) hu-

iuſmodi abſoluam, voſq; admonebo, quomodo ex tali philoſophia hæ vobis medicinæ ſint cognoſcẽdæ, vt illud tandem in Medicina perficiatur, quòd Deus Opt. Maximusq; mandauit. Dixi.

CONCLVSIO AD DOCT. *Ioachimum Vadianum.*

NOn potui intermittere, doctiſſime domine Vadiane, quin primum Paramirici operis librũ tibi dedicare: In quo ea diligentia noctes, dieſq; laborando te exerceas, eaq; declarandi & explicandi commoditate auditores tuos inſtruas, præcor, vt breui hinc longè ſperato maiorem fructum referant. Alij quidem hęc meæ ſuperbię, alij verò ignorantiæ, alij etiam vel inſaniæ aſſcripſerint. Ego autem iſtis omnibus hoc vnicum & verè reſpondeo, Prout quiſq; animo affectus aut edoctus eſt, ita Theophraſtum iudicat. Quiſquis itaque in philoſophia periјt, is nihil in hac monarchia valet: & quiſquis in medicina agit humoriſtam, is non poteſt laudare Theophraſtũ. quiſquis deniq;

niq; Aſtronomia erro incertus eſſe conſueuit, mea ex firmiſſimo fundamento dicta non recipit. Nouam & inauditam inquiunt meam eſſe Phyſicam, meam Metheoram, meam Theoricam & meam Practicam. Quî non eſſem ipſi nouus & admirabilis ei, qui nunquã in Sole verſatus eſt? Non me terret multitudo ſectatorum Ariſtotelis, nec Ptolemæi, nec Auicennæ; ſed dolet mihi maleuolentia & inuida: quæ nimium mihi paſſim obijcitur, & me tranſeuntem impedit, nec non iudicium, conſuetudinem & ordinem (quę Iuriſprudentiam iſti appellant) nimis immatura. Cuicumq; donum eſt datum, eiuſdem eſt: qui verò nõ vocatur, eum non eſt meum vocare. Deus ſit nobiſcum, noſter defenſor & conſeruator in æternum.

FINIS.

THEOPHRASTI PARACELSI LIbrorum Paramicorum,

HOC EST,

De cauſa & origine morborum

LIBER III.

M. GEORG. FORBERGIO
Miſnio interprete.

TRACTATVS PRIMVS

De Origine morborum ex tartaro in genere.

QVIS autem philoſophorum naturalium non rideret, ſi cogitaret & videret, medicos omiſiſſe & oblitos eſſe præcipua & maximè neceſſaria capita, quæ in philoſophia reperiuntur indagando, & ad medicinam quoq; pertinent, ob multos morbos & dolores? & nihilominus ab iſtis medicis prætereuntur, qui ſolummodo eò reſpiciunt, vt pecuniam corradant, & cum laicis & ruſticis diſputent,

ſputent, cùm tamen ante omnia cum philoſophis ipſis diſceptandum erat propter ſubiecta ſuæ artis, quæ ſi cum philoſophia non cõgruant, ſanè ignorabunt quódnam ſit ipſorum ſubiectum: quòd ſi verò cum philoſophis non concordant, nec cum ipſis diſputationem ineunt, fruſtrancum quoq; erit quicquid agunt. turpiſſimum eſt medicum eſſe, & philoſophiæ tamen expertum eſſe, eamq; neſcire: quid verò erroris id pariat, ex ſequentibus optimè æſtimare poteritis. Quamuis autem iam ante librum conſcripſerimus de Cauſa & Origine morborum: attamen adhuc alia ſupereſt cauſa, quę & ipſa multiplices morbos gignit: eam verò hoc modo intelligite, eiuſq; philoſophiã bene percipite, nempe: omnia cõſtant ex tribus ſubſtantijs primis, & illæ tres primę res ſecũ egeſtionem ſeu recremẽtum aliquod gerunt impurũ; nihil enim eſt nutrimẽtum, quòd non ſecũ habeat lutũ ſeu excrementũ, propriæ ſuę digeſtionis, hoc eſt, vt vulgariter & clarè dicã: Omnia quę exiſtunt & creſcunt ſuũ in ſe ſtercus ſeu merdam

Paramirũ intelligit, poſt hunc verò de Tartaro meritò collocandus erit liber de Matrice: & poſtea quinq; illi de Morbis inuiſibilibus.

habent, ſicut homo ſtercus in ſe gerit, ita & quælibet res per ſe: cùm igitur in initio dictum ſit de primis ſubſtantijs corporis, nunc porrò dicetur de illorũ trium ſtercore & egeſtione, quid ſtercus illud in nobis gignat morbi. illud igitur cognoſcere & diſcere debetis, non curantes hoc: quòd veteres de hac re nihil ſcripſerunt; in cauſa enim eſt, quòd in omnibus rebus parum ſciuerunt: quomodò igitur meliora feciſſent quàm potuerunt? Itaque porrò philoſophiæ mandabo ea, quæ hîc intelligere debetis, nempe quod ſciendum vobis eſt, omnes res viuere & creſcere, quare nutrimento opus habent: cùm igitur nutriantur ventriculo, aut ſimili vi indigent, ex eo ſequitur, quòd ſicut homo, purum & impurum mixtim comedant: cùm verò non habeant emunctoria ſicut homo, quicquid edunt, in ipſis manet, nihilominus ſeparatur purum ab impuro, & quælibet res puro nutritur: impurum autem ex puri anatomia reijcitur, & locũ ſuum peculiarem habet, manetque in qualibet re, ita vt in ea ſint & nutrimentum

&

& ſtercus. De iſto itaque ſtercore, quod in nutrimento latet, loquar, ſed tamen maiorẽ partem ad philoſophiam relegabo.

Cùm itaque vt ad rem veniam, ab homine quoque ſtercus & nutrimentum mixtim comedantur & bibantur; ſequitur naturã hominis hæc duo ſeparare, nec vnita hæc eſſe permittere: cùm enim duplicia ſint diſtingui & diſparari ea oportet, nutrimentũ nempe & ſtercus. Non tamen omnino de hoc ventriculus noſter ſeparat: ſuum enim ſolũmodò ſtercus à puro diſgregat, & nõ rerum nutrimentaliũ ſtercus, quod quidem nutrimento adeò inhæret, vt ventriculi officium non ſit iſta duo ſeparare, ſed ſubtilioribus ſeparationibus & ventriculis hoc demandat, nempe his qui ſunt in meſeraicis, in epate, in veſica, in inteſtinis & ſimilibus, in iſtis ventriculis ſtercora talia ſegregantur. Scitote igitur, noſtrum ventriculum, hoc eſt, primum ventriculum, qui ori per canalem ſtomachi connectitur, ſolummodò ſeparare id, quod putreſcit, & quod non putreſcit, quod cor-

rumpitur, & quod non corrumpitur: non autē omnia corrumpuntur, imò ſoluens, quæ non ſunt caro, oſſa, medulla, ita vt id, quod non eſt de hominis ſubſtantia ſit lutū vel ſtercus: quòd verò homo non eſt ſtercus: ſtercora igitur vlteriora nutrimēti non ſunt ſtercus hominis, ſed ſtercus rerū ex nutrimento factarum: igitur etiā non ſunt corruptibiles, neq; tamen homo ſunt: quare in homine manēt, & ob id ægrotat homo. Cùm igitur in homine poſitum ſit id, quod non in ipſo eſſe debet, quod ſtercus hominis eſt, & nō homo ipſe, ſed ſtercus rerum naturalium, hoc eſt, cibi & potus, eo modo, vt dictum eſt: par eſt, vt de eo ſcribatur, quid iſta nutrimenta in corpore agant, quanquam res ea ſit peregrina & mira, ſed in cauſa eſt imperitia eorum, qui hæc mirantur. Sunt autē iſti morbi longè alij, quàm illi, de quibus dictum eſt in primo libro: verum tamen eſt, omnia ſtercora in tribus illis primis ſubſtantijs conſiſtere, vt alia quoq;, ſed diſtincta tamen ſint ab alijs eo modo, vt homo & ſtercus, ſicut ſuis in locis dicitur: ſimi-

Materia huius libri de Morbis ex fecibus ſeu recrementis victus.

ſimili modo etiã differunt morbi, qui ex natura ipſa hominis procedunt, & qui ex ſtercore fiunt, ita vt prorſus alia ſit ratio iſtorũ morborum,quàm ſuperiorũ. Veteres ſcriptores & eorũ aſſeclæ multum in his rebus laborant, & cauſam ſumũt ex cholera, phlegmate, melancholia, ſed cùm ea ſint falſa & minimè fundata, nihil eis tribuendum eſt: cùm enim iſta ſcribunt, non conſiderant fundamentũ Philoſophiæ:quare cum ſuis humoribus minimè locũ habent. Primùm enim cogitate,quomodo conſentaneum eſſe poſſit ex phlegmate,melancholia,cholera,eiuſmodi generationes naſci, cùm tamen eiuſmodi naturę ipſis non inſint: quomodo igitur aliquid, quod in alio non ineſt potẽtia,ex eodẽ naſci poteſt? Morbi iſti ſunt calculus, arena,bolus, & viſcus. dicite iam mihi de veſtris humoribus,an & quomodo poſſint fieri calculus,arena,bolus, viſcus,cũ hęc à principio nõ ſint? ſi in homine naſci debet calculus,arena,bolus,viſcus,oportet ea eſſe in eo quo generãtur,quòd ſi in eo nõ ſint, illud ipsũ non fiet id, quod nõ eſt. Nihilominus in his rebus aliquid extra

quatuor humores introductum eſt,ſed id tale,vt alia eorum fundamenta ſunt, in hoc deficiunt iſti homines, ſi pro poetis fierent philoſophi, pro canoniſtis anatomiſtæ, pro nugatoribus veraces, tunc in his rebus veritatem peregrinando ſcrutarentur, & hos morbos extra corporis humani naturã & conditionem diſcerent.

Calculus, arena, bolus, viſcus fiũt ex materia tartari ſeu excrementi, nutrimẽti.

Vos autem rem ita percipite: Corpus quod hos morbos generat & producit, eſt quadruplex, nempe calculus, arena, bolus, viſcus: hæc quatuor ſunt ſtercora rerum naturalium, & omnia nutrimenta, quæ à rebus naturalibus comeduntur vel bibuntur, hæc quatuor genera dant, vt ſint, nempe calculus, arena, bolus aut viſcus: vltimum autem eſt coagulatio, hoc eſt ad extremum omnia genera fiunt coagulatũ aliquid, ſeu lapideum. Primum autem probandum eſt, quòd ſtercorum vltima materia ſit, vt fiant calculi, idque hoc modo fiant: ſtercora humana habent ſuam vltimam materiam in putrefactione; rerum verò naturalium ſtercora habent vltimam materiam in

coagulatione, hæc ſunt contraria: quoniã digeſtio hominis habet ſua emunctoria, ideo quicquid egeritur, per putrefactionem egeritur, quæ ſibi ipſi facit virtutem expulſiuam, quæ quidem non ex natura & proprietate hominis eſt, ſed in ſtercore & merda: in rebus autem naturalibus hæc virtus non eſt, ob id ſunt coagulabilia, cauſa eſt, quòd ex ſibi ſimilibus nutriantur: plantago enim nutritur plantagine, acorus acoro, & ſic de alijs. In principio autem iſtius nutritionis omnia ſunt coagulata, quæ reſoluuntur in nutrimentum: quare id, quod non digeritur in ſubſtantiam eius à quo comeditur, hoc redit in ſuam coagulationem, in qua prius erat: reſolutum enim fuit ex coagulato, quod duplex eſt, vnum nunquã rurſus coagulatur, alterum rurſus coagulatur: prius eſt nutrimentum, poſterius eſt ſtercus. Sicut enim in homine ſtercus fit, quod non eſt de natura eius, ità hîc quoq; fit: quare coagulatio multipliciter fit, nempe in forma calculi, arenę, boli, viſci: ex iſtis quatuor fiunt lapilli & arenæ, quæquidem vltimæ ma-

teriç ſtercoris nutrimenti appellari debent in rebus naturalibus. Hæc vltima materia duplici via patet: primò per ſe in mundo maiori: ſecundò per hominem in ipſo homine, hoc eſt in morbis illis, de quibus hic liber tractabit: vltima materia, quæ per ſe fit, ſunt lapides fluuiorũ, qui generantur ex cibo aquarum: itẽ lapides montani, qui fiunt ex cibo terræ: in principio quidẽ tantùm argilla ſunt, ſed eius potentiæ, vt ſtatim coaguletur, poſtquam corpus ſuum egreſſa eſt: elementa enim protrudunt, ſed vegetabilia non. Vegetabilia enim in ſeipſis retinent ſtercora: quare ſcitote id, quod areſit, in ipſis eſt ſtercus: quod autem eleuatur, eſt nutrimẽtum ſine corpore ſuo. Qui lignum vrit, facit ex eo dulech. Qui herbam vrit, facit ex ea alabaſtritem, & ita de ſimilibus: hęc ſunt vltima materia ſtercoris rerũ naturalium. Res enim quæ flagrat, habet in ſe ſulphur, quæ relinquit cineres, habet ſal, quæ fimũ, habet ☿ in ſe: quòd ſi hęc tria cõtinet, certè etiam eorũ excrementa habet non combuſtibile, ſed lapideum: non in fumo, ſed coagulatum:

non

non in ſale, ſed in ſimili forma, hoc eſt, lignum dat cinerem, cinis dat ſal, ſal lapidem. Ita & de corpore humano ſcitote, quòd ibi ſit quidam mechanicus ſeu opifex, qui res eò redigit, & ad vltimam materiam deducit. nullus ruſticus in ligno videt oleum, nullus in lapide aquam, ſolus medicus videt ea: econtrà etiam in ijſdem quæret ea, quæ non videntur ineſſe, nempe in oleo quæret ligna, in aqua lapides: atque hæc eſt philoſophia adepta ſagax. Sicut igitur ſuperius dictū eſt, quatuor ſunt genera, calculus, arena, bolus & viſcus, quæ in corpore conſiderari oportet: hoc eſt, in nutrimento, quod ipſum eſt corpus, & quando iam in corpore ſunt, formantur ibidem pro ratione ſpiritus mechanici, qui in loco illo eſt, qui eſt faber harum rerum. Liber autem iſte generaliter dictus eſt de Tartaro, & meritò: omnium enim creſcentium vltima materia, ſi in corpore ſeparetur, appellatur tartarus: éſtque quadruplex, calculus, arena, bolus & viſcus: ſequitur igitur de Speciebus & Diſcriminibus tartari.

Atque ita hactenus concluſum eſt, tartarum ſolummodo eſſe excrementum cibi & potus per ſe, quod in homine iuxta ſuas ſpecies coagulatur, & niſi coniunctam habeant virtutem, expulſiuam, propriam, & ita commixta eijciantur, ea inde generantur, de quibus in ſequentibus dicetur: ita edimus & bibimus tartarum, itaq; in nobis manet, niſi noſtris excrementis miſceatur, & cum illo cumulo extrudatur: ſed ſi in corpore maneat, varij inde, & varijs vijs morbi gignuntur: de quibus & veteres & recentes medici hactenus tacuerunt, non ex inuidia aut infidelitate, ſed ex ignorantia & inſipientia.

Cautela.

Legumina, lacticinia, piſces & carnes dant bolũ & viſcum.

Primùm itaque ſciendum eſt, quomodo tartarum hauriamus in leguminibus, vtpote hordeo, piſis, &c. quę omnia tartarum in ſe continent, quod perſpici poteſt ex lentore, quem ex ſe reddunt & ſubſtantiæ ſiccitate, quæ tantùm ex vltima materia prouenit, hoc eſt, quod talis eſt: quia omnis cibus, qui in forma viſcoſa coquitur, ad calculum eſt diſpoſitus, quòd ſi verò in coctione illa viſcoſitas demitur, tunc impe-

impeditur generatio calculi: quia materia illa, quæ aliàs adhæreret cum excrementis reliquis expellitur. Itaque hoc bitumen, viſcus, mucilago,& gluten leguminum nihil aliud eſt, quàm materia ſtercorum, quæ, vt ſuprà dictum, in corpore fit calculus & arena, ſi ad vltimam materiã ſeu finem perueniat. Similiter de lacticiniis ſcitote, quòd gignant materiam boli, hoc eſt argillę, omnia enim in ſe bolum continent, ex quo generatur tartarus, niſi cum excrementis ſecernatur: ſimiliter & carnes & piſces bolum habent. Scitote igitur legumina ſtercora ſua ſecernere in forma viſci: piſces verò, carnes & lacticinia in forma boli, hoc eſt, luti: alia genera tartari ex cibo nobis non contingunt, quã tartarus viſci, & tartarus boli vnà cũ ſpeciebus ſuis, pro diuerſitate leguminum, carnium, frumentorum, herbarum, &c. caules enim radices & frumenta ſub leguminibus comprehenduntur. Medicum igitur decet talem præparationem in dieta horũ morborum præſcribere, vt iſta genera tartari & ſtercoris ſe com- *Præſeruatio.*

miſceant putrefactionibus & excremẽtis ventriculi, eiuſq; virtutib. expulſiuis: aliâ enim ratione dieta & regimen horũ morborũ conſtitui nequit, quã præparãdo: abſtinẽtia enim non tollit hæc neq; eſt ſeparatio alia extra hominem.

Potus tartari calculus et arena

Eadem ratione duplicia quoq; excremẽta habemus in potu, vino ſcilicet & aqua, & quicquid ſub potum complectimur: quin & hoc notandũ, illos potus, qui ex fructibus arborum fiunt, vt muſtum pirorũ & pomorum, aqua & vino aſſimilari, ſed cereuiſia, & quicquid ex leguminibus cõficitur, vtrunq; tartarum in ſe continet, leguminũ ſcilicet & aquę, ex quibus etiam conſtãt. Potuum autem correctio in ea poſita eſt, vt ſtatim tranſeant, nec diu in corpore morentur: quò minus enim digeruntur, eò melius: fortis enim digeſtio celerem operationem dat ad calculũ, imbecillis autẽ digeſtio melior eſt: nulla enim imbecillis digeſtio vnquã calculum peperit, ſed calidę & fortes digeſtiones ſunt adeò vehemẽtes & exquiſitę, vt nihil nõ ſeparent: atq; hæc cauſa eſt, cur in vno homine generetur & repe-

Nimis exquiſita digeſtio cauſa eſt calculi: vide infrà tractatum de Separatione.

reperiatur tartarus: in altero verò non in cauſa eſt fortitudo digeſtionis & ſeparationis in quolibet loco. Scitote igitur de potu, quòd in ipſo ſint duo tartari, qui formãtur pro regionũ proprietate & natura: quapropter medicina iſtis tartaris certę alicuius regionis conſuli altera alterius regionis: alijs verò regionibus minimè prodeſt, in cauſa eſt multiplex proprietas vini & aquarum, qui illis regionibus procreantur. Videtis quomodo in vino gignatur tartarus, & in aqua lubricus lapis, qui etiã interdum incruſtãt vaſa eorum, interdum non: quantumuis autem ſeparentur, ſemper tamen in ipſis manet calculus nec excernitur, in comeſtibilibus id non fit, ſed ſolummodo in potibus, qui abundãt excremẽtis, & prętera nimis infirmi ſunt ad retinendũ ea, quare ſegregãtur ab iſtis. Aliud autẽ genus tartari eſt in vino, aliud in aqua. ita etiã vltimæ eorũ materię ſunt diuerſę: quòd autem hîc lapis, illic arena vel calculus gignitur, cauſat regionis natura & proprietas: itaque lapis & arena ex vtroque gignuntur: ſic ſæpè calculus

in excrementis expellitur, arena verò nō: aut arena, lapis, calculus verò non: ſæpè in vno expellitur, in altero nō: innumerabiles enim ſunt perſonæ, in quibus generatur tartarus, quæ omnes peculiares & mirabiles generationes & ſpecies tartari exhibent, vt in ſuis capitibus oſtendetur. Notate itaque, vos tartarum bibere in vino & aqua, & liquoribus arborum, qui niſi ratione imbecillis digeſtionis expellatur inſeparatus: impoſſibile eſt reperiri hominem, qui non obnoxius ſit tartaro in quacunque id corporis parte ſit: ſimiliter de modo coagulationis, indurationis, forma, ſubſtantia, & ſimilibus, quòd hæc omnia fiant iuxta proprietatem & naturam cibi & potus cuiuſlibet regionis propriam. Hoc enim modo contingit, vt Heluetius Noribergenſem tartarum acquirat, ex Noribergenſibus ſcilicet frumentis & leguminibus: & viciſſim Noribergenſis Heluecticum tartarum, ex lacticinijs Heluecticis: ſimiliter Sueui & Bauari, Alſaticum, Franconicum, aut Atheſinum tartarum, ſi iſtorum potu vtantur,

Cauſa tartari & formæ eius.

tur,

tur. Similiter & peregrinator, qui luſtrat Portugalliam, Apuliam, Angliam, Suetiam, & poſtea in Germania habitat, ſecum reportare poteſt eiuſmodi ſeparationes tartari, qui diu deliteſcũt in ipſo, & cum tempore manifeſtantur.

Concludam igitur tractatum primum ſufficienter exponentem, quòd tartarum comedamus & bibamus, & minimè ex nobis ipſis habeamus: quare errant reliqui medici, qui aliam tartari originem faciunt, idq; ex ignorantia naturæ nutrimenti & excrementi eiuſdem: vnde falsò dicunt, quòd viſcoſa materia cibi tartarũ pariat, non explicantes quid ſit illa viſcoſitas, aut quando ac quomodo ea fiat, aut quid ſit id, quod tartarum creat. Non enim ſufficit dicere, terra gignit arbores & herbas, ſed & oportet docere iſto & iſto modo, prius etiam ruſticus nouit: medicum autem plus quàm terrena nouiſſe decet. Præterea tu coagulationem nominas, nec ſcis quid ea ſit: ponis etiam calorem cauſam, ſed non dicis vnde ſit tartarus, & quid ſit: hæc omnia cauſat tua ignorantia & ſtolidi-

tas, qua & in omnibus ſcriptis tuis vteris, vt clarius eliqueſcat ſtultitia tua, & quòd principia medicinæ non ſatis comperta habeas, &c.

TRACTATVS SECVNdus de Tartaro ventriculi & inteſtinorum.

QVoniam rerum naturaliũ & vegetatio eſt ex reſolutis lapidibus, & rurſum coagulabilibus in rebus naturalibus: primũ ſcitote, quòd quoniã ex lapidibus ſunt, vt philoſophia probat, & hîc probare nõ opus eſt, rurſum in lapides coaguletur à ſubtili & vehementi calore digeſtionis: attamen digeſtio hæc non indurat, non enim lapidem procreare poteſt, non enim eſt lapis, ſed vbi ſunt lapides, eos ſeparare poteſt: poſtquam verò ſeparati ſunt à nutrimento & excremẽto, tunc operatio eorum incipit, prout eſt ſpiritus ſalis, atque ita generatur lapis ſalis, ſicut porrò dicetur. Notate igitur ſpiritum ſalis coagulare tartaros & formare: hęc coagu-

Digeſtio ſeparat materiam tartari, ſpiritus ſalis coagulat eam.

coagulatio & conformatio fit iuxta loca, in quibus eſt: nam in toto corpore eſt ſpiritus ſalis, ſicut & ſpiritus ſulphuris & mercurij: poſteriores autem duo nihil agunt in iſtis excrementis & morbis tartareis, neq; addũt, neq; minuunt, neq; ſeparant, neq; formant, ſolus ſpiritus ſalis hæc facit, qui ſi inueniat materiam lapidis, eam elaborat ſicut calor Solis, qui ſi inueniat mucilaginem, viſcum, &c. exiccat ea, & quicquid ex ijs in coagulatione fieri poteſt, hoc ex ijs facit, quantum officij ipſius eſt: quoniam autem non eſt ſpiritus ſalis, ideò materiam lapideam in lapidem mutare nequit: ſolus enim ſpiritus ſalis ex materia lapidea lapidem facit, hoc eſt, deducit eam ad ſuum vltimum finem ſeu vltimam materiam. Exemplum ſumite de cibo, qui à nullo alio calore, igne aut digeſtione in ſuam vltimam materiam deduci poteſt, niſi à ſolo ventriculo hominum, qui hanc poteſtatem habet ſegregandi, per aliam viam, quæ ad vltimam materiam cibi non pertinent, ſed putrida ſunt: via tamen non eſt vltima materia, &

in hoc erratur, neque calor corporis hoc fecit, ſed ſpiritus ſalis: quis autem nouit qualis is ſit, niſi ſolus philoſophus? medicus verò minimè.

Tartarus dentium. Cùm igitur hæc ita demonſtret philoſophus & medicus ei conſentiat, ea hîc relinquo: & portò docebo de Præparatione, quomodo in ſequētibus cōtingat, & quomodò ex ea varia tartari genera oriantur, & quomodo per ſpiritum ſalis eò perducantur. Primùm itaque quicquid comedimus & bibimus, hoc ore accipimus: os autem non retinet ea aliter, quàm infundibulum per quod aliquid in vas ſubiectū tranſfunditur: os autem ex illo tranſitum non nihil tartari concipit: in ore enim eſt calor digeſtionis, neque elementi, neque humorum, ſed ſolummodò digeſtionis, qui quidem calor longè alterius eſt virtutis, quàm alius color, eſtq; diuerſæ functionis: quicquid enim in ore habemus tam eſt in digeſtione poſitum, ac ſi in ventriculo eſſet. Poſſibile enim eſt, os edere, & in ſe retinere cibum, neque deglutire, vt vſque ad ventriculum deſcendat, ſed in ore digerere,

re: in ventriculo enim digerere eſt nutritio ruſticorum, in ore verò nobiliũ eſt, qui in ore edunt, non ſtercora eijciunt, ſed ſolummodò ij, qui in ventriculo edunt: vnde multi ſanctorum hac ratione ſe ſuſtentarunt, qui adhuc credũtur, nihil comedere, cùm nulla ſtercora emittant, cùm os ſolum totum corpus ſufficienter nutriat. Et tali igitur vi digerit os, & naturale excrementum ſeparat, quod cùm non reperiat vbi adhæreat, dentibus agglutinatur: aliæ enim partes oris, palatum, fauces, lingua, vuula, gingiua, ſunt nimis vdæ & lubricæ, ita vt eis adhæreſcere nequeat: itaque dentibus accreſcit, vnde tartarus generatur, non ſolùm ex cibo, ſed ex potu, idque pro proprietate eorundem. Quòd ſi verò in ore concauitas eſſet firma & aſperior, plura genera ibi tartari naſcerentur, & non ſolùm tartarus dentium, ſed ſicut alibi reperiuntur: eiuſmodi verò coagulationes ob lubricitatem locorum fieri nequeunt. In ore igitur nihil aliud fit, niſi prima ſeparatio naturalis excrementi, idq; incruſtat dentes: vnde con-

Tartari dentium damna. ſequitur putrefactio gingiuarum, excauatio dentium, dolor, & ſimilia, idque ratione acredinis, quæ cuilibet tartaro propria eſt: quare paroxyſmum dentium ex tartaro cum paroxyſmo calculi in vaſis comparabis, vt in ſuo capite inuenis.

Porrò ex ore peruenit cibus ad os, ſtomachúmue ventriculi: ſciendum verò eſt, non ſtatim ad fundum ventriculi deſcendere, imò qualis in ore, talis & in orificio ventriculi digeſtio intelligenda eſt, modò contingit, vt in illo orificio tam adhæreſcat tartarus, quàm in dentibus: materia enim ex qua conſtat ventriculus, & hanc proprietatem vt iſtum tartarũ accipiat, & adhæreſcere ſinat: vnde peculiares morbi exoriuntur: vtpote ardor ſtomachi, anguſtia in cardia & aliæ torturæ, compreſſiones ac paroxyſmi etiam cum & paroxyſmo calculi. Hîc autem notandum eſt, interdum etiam ex cibi in ventriculo enictatione ac aſcenſu, eiusq; fumo, eiuſmodi tartarum gigni, perinde atque in digeſtione vini fit, vbi tartarus tam ſubtilis eſt, vt ſimul aſcendat: non enim

Morbus ex tartaro orificij in ſtomacho.

enim digeſtione debet ſeparari vltima materia excrementi eius: quare ſimul tranſcendit, ſed ſi recta ratione procedatur, tartarus ſegregatur in vino ardenti, ſicut in vino alio, idque vocatur ſpiritus vini:eſtq; tartarus vini, hoc eſt, ipſe eſt tartarus vini, qui exiccatus eſt cum excrementis: is ita prodit. Quare ſi in ſtomacho contingat vt ferueat & tartarum eleuet, tunc tartarus fit multò acrior in ſuo opificio: quælibet enim res diſtillata acuitur in proprietatibus ſuis: atque hinc multiplex eſt dolor ardoris in orificio ventriculi: interdum enim adeſt tartarus calcinatus, ſalſus atque alcalizatus, proprietate eius, (natura etenim tam iſta præparat, quàm homo) ex quo & doloris magnitudo ſequitur. Et ſicut aqua calcem bullire facit & feruere, ita & hîc in orificio ventriculi ſæpè fit, vt talis ardor ibi fiat, interdum ex cibo, interdum ex potu, interdum ex ſale, & cæter. & prout eſt proprietas tartarorum pro eo paroxyſmum accipiunt ex contingenti cibo, potu, refrigeratio-

Spiritus vini tartarum habet.

ne, exercitio, & ſimilibus, & vnà paroxyſmum calculi pro ſua natura & conditione.

Tartari in ipſo ſtomacho, eiusq; exitu

Ex orificio ſtomachi cibus deſcendit in ipſum ventriculum: atque hîc ſcitote, ſæpè in orificio ſtomachi tartaros reperiri, vt ſuprà, ſimulq; calculos variæ formæ, qui dolores excitant tales, vt ex felle, aut aliȷs cauſis ſimilibus oriri putentur, quin & ab Auicennicis & Galenicis medicis purgantur, ſed non tolluntur. Similiter & in ipſo ſtomacho contingit tartarum accreſcere, vt in dentibus, modò bolarem, modò calculoſum, &c. non ex viſco, qui tartari & calculi ventriculi vim & operationem impediunt & frangunt, concurrentibus multis morbis & doloribus, de quibus peculiare caput ſequitur. Sed in exitu ventriculi & tartari & calculi inueniuntur, per quos excretiones ſtercorum impediuntur. An non autem æquum eſt de iſtis rebus hîc agi, quę ex ignorantia tandiu latuerunt? ánnon eſt magnus error, quòd plurimi purgantur, vbi non opus eſt humores, viſcoſitates, & alia quæ in ven-

ventriculo ſunt, tolli,ſed & nihil proficitur: imò peiora omnia fiunt:purgationes enim tartarum non auferunt. cur non igitur æquum eſſet de tartaro in ventriculo ſcribere, & ipſum notum facere, cùm hoc ſit neceſſarium? Neque vos ægrè ferre decet hæc, niſi ſciatis tartarum calcinatum, & in arenam reductum tranſmutare, aliàs omnia fruſtrà facitis quæcunque in iſtis ad manum ſumitis. Scitote itaque, varia eſſe tartari genera, quæ ſtomacho adhæreſcunt, & à ſpiritu ſalis coagulantur, ex quibus ardores, calores, compreſſiones, & alij mirabiles morbi oriuntur, quaſi ibi iaceret mola, ignis, lapis, truncus, &c. quæ omnia ex tartaro deſcendunt, atque in iſtis morbis fruſtranea ſunt omnia regimina veterum, nunquam enim illi, quotquot ſunt, reductionē tartari intellexerunt aut ſciuerunt, ſed neq; hac hora intelligunt: quare cum dedecore & pudore medentur, ægroſq; ſuis compoſitis occidunt ante iuſtum tempus mortis: faciunt enim quæ facere minimè debebant, ſed ipſorum ſapientia aliter agere non

Tartarus reducēdus & ſic expellendus.

Morbi ventriculi.

Nota. poteſt: reduc tartarum & viciſti.

Sed vt iſta melius intelligantur, duæ ſunt viæ generationis tartari diſtinctæ. nempe cibus & potus: via cibi tendit ad inteſtina & aluum, eiusq; exitum: via verò potus vergit ad epar, & veſicam, eiusq; exitum: prius autē de meatu per aluum & inteſtina: poſtea de altero quoq;, ſcilicet per veſicam ſciendum eſt. Morbi autem tartarei, qui generantur in ore, orificio ventriculi, & in ipſo ventriculo, de quibus dictum eſt, ab iſtis duabus vijs diuerſi ſunt: tartari enim oris, &c. ex vtroq; cibo & potu generantur, eſtq; neceſſariū hoc ſcire: facilius enim diſſoluūtur, & ſuas peculiares proprietates habēt pręalijs omnibus tartaris: quare hęc diſtinctio in curādo ſingulariter conſiderari debet: eſt enim in ſuo genere omniū facilima cura tartari ex cibo, quàm eius qui ex potu: & vterque facilius meatur in his tribus locis, quàm alibi. Quò enim longius receditur ab ore verſus emunctorium, eo fortior & durior eſt coagulatio & ſpiritus ſalis: tartarus enim ſemper deſtillatur magis, ſubtiliatur & præ-

præcipitatur, & quò longius procedit, eò diligentius animaduerti debet. In ore igitur leuiſſimus eſt tartarus, peior in orificio ſtomachi, peſſimus horum trium eſt in fundo ſtomachi: poſt ſtomachum adhuc durior eſt in inteſtinis, hoc ipſo durior eſt in epate, renibus, veſica, &c. qui enim in inteſtinis eſt ex cibo eſt: quare mitior eſt eo, qui in via vrinaria.

Gradus tartarorũ in duritie.

Sequitur igitur vlterior doctrina de diſcrimine & proprietatibus tartarorum, qui in duabus iſtis vijs naſcuntur, quanquam opus fuiſſet iamdudum, & non à me nunc primùm hoc factũ eſſe: hic enim labor melior longè fuiſſet & vtilior, quàm opera illa ingentia & nugatoria, quæ Galenus, Raſis & Auicenna commentati ſunt & declamitarunt.

Cùm itaq; in vẽtriculo ſit vis ſegregandi putridum à non putrido, purum ab impuro: ſcitote, quòd & ex cibo ſtercus ſegregetur, nempe ſtercus potabiliũ & comeſtibiliũ, idq; ita intelligite, multos eſſe cibos, qui ſimul ſunt potus, & econtrà multos potus eſſe, qui ſimul ſunt cibi, ex quo conſequitur vna,

Reſponſio ad obiectionem ſuæ diuiſionis in tartarũ cibi & tartarum potus.

eademq; tartari generatio,& non duæ: quanuis enim ex duobus origo ſit, commixtura tamen vnum genus efficit, quod in ſuas ſpecies & proprietates ſabdiuiditur: & quanquam ſæpè in meatu ciborum tartari cauſa magis ex potu, quàm ex cibo deſcendat, id tamen hîc minimè conſiderandum eſt: eſt enim cibus & non potu, etiamſi in forma potus in ventriculum venerit: ſimiliter intelligendum etiam eſt de potu eſculēto. De inteſtinis igitur obſeruate regulā generalem, quòd omne ſtercus ex ventriculo, donec pertranſeat inteſtina, intereà tartarus adhæreſcit, vt dictum eſt, qui varios morbos parit in aluo, vix enumerabiles, vtpote partem maximam colicæ, torminum, flatuum, conuulſionum ſuperioris & inferioris partis alui, obſtructiones ſedis, dyſſenterías, & ſimiles. Quin & peculiariter vobis hoc notandum eſt, paroxyſmum tartari huius fieri vnà cum paroxyſmo tartari in veſica, ita vt ſi calculus dolorem pariat in ſuo loco: ſimiliter & tartarus iſte ſuo loco doleat, calculus in veſica facit dyſuriam, & dolores

Tartari inteſtinorum morbi.

lores dorſi, &c. iſte verò tartarus inteſtinorum, colicam, tormina & conuulſiones affert. Scitis ex calculo veſicæ neminem contractura laborare in partibus, quæ ſunt infra cingulum: ex tartaro verò iſto inteſtinorum generalis omnium membrorum contractura oritur: non enim vel ſuprà vel infrà ſolùm, ſed in toto corpore deuagatur iſte tartarus: idcircò benè notate originem colicæ in ſuis capitibus. Sed magnus error & magna ſeductio deſcripta eſt à veteribus in iſto morbo: ſæpius enim iſte tartarus in inteſtinis tantam conſtipationem peperit, dum quaſi tartarus vini inteſtina incruſtauit, & poſteà ex pinguedine aut lubricitate inteſtinorum ſe ſegregauit & coacetuauit, & exitum ſtercorum obſtruxit, vt neque purgationes, neque ſyrupi, neque clyſteres aut alia ſuccurrere potuerint: quin & ſæpius coagulata ſunt illa tartari putamina, quæ longo tempore pedetentim coaceruata erant & ſuperinducta, vt tandem in tantum calculum excreuerint, vt nihil exire potuerit, & monoculus violenter

Colicæ cauſa.

obturatus fuerit, in quo quidem nati fuerant, ſicuti ſilex quidam in aquis, vbi vnus viſcus ſuper alium aggeritur & agglutinatur, donec poſtremò maximus inde lapis naſcatur: ſic enim fit eius incrementum. Quoniam verò etiam tot genera ſunt tartari, nempe calcarij lapides, tophi, aſperi & glabri, ex genere ſalis, mercurij, aluminis, &c. inde quoq; varia & mira genera colicæ exoriuntur.

Sed vos medici iſta omnia bene conſiderate & perpendite, ne ex tartaro faciatis choleram, iliacam, ventoſitates, &c. magnus enim hic error eſt, & magnum dedecus, tot eſſe medicos peregrinos, & præcipuè Monpeſſuli, Salerni, Pariſijs, &c. qui præ omnibus coronam habere volunt, & omnes alios contemnunt, & tamen ipſoſmet nihil ſcire aut poſſe: ſciendum enim eſt, os & pompam eorum eſſe artem eorum maximam, hoc eſt nugas eorum. Non pudet eos clyſteres adhibere etiam ad mortem vſq;. omnia hæc bona ſunt ipſis conſilia, quin & de anatomiæ inſigni notitia gloriantur; qua & vtantur,

&

& tamen nondum animaduerterunt, quòd dentibus adhæreat tartarus, taceo de maioribus: egregij ſunt iſti oculares medici, non opus habent perſpicillis ſuper naſo: quid eſt inſpectio veſtra anatomica? attamen hæc tractare neſcitis, nec tantum perſpicitatis habetis, vt quæ ante pedes vobis ſunt, videatis: huiuſmodi rebus etiam Germani noſtri medici ſtudent, fureſque & alios perluſtrant, & quando omnia pro libitu inſpexerunt, minus ſciunt quàm anteà, & ſuffocantur ita in ſtercore & cadaueribus: deinde ad requiem tendunt, potius erat ſi homines viſitarent.

TRACTATVS TERTIVS
De calculis epatis, renum & veſicæ.

IAM verò ſimili modo diſcite alteram viam generationis calculi, nempe ex vrinæ excrementis: ſcitote igitur, quòd poſtquã cibus & potus depurata ſunt à ſtercore, & ex ventriculo ad epar mittũtur, vrina generetur extra regionem ventriculi, hoc eſt, nutrimentum primò omniũ attrahitur ad epar, & in

Calculi viæ vrinariæ, ſeu potius tartari.

illa attractione vrina ſeparatur à nutrimento in venis meſeraicis & meatibus illis: notate igitur, epar nihil aliud attrahere, niſi quod ſuum eſt, hoc eſt nutrimentum, ſuperfluum autem ingreditur viam vrinalem: ſicut in pluuia quando eius guttæ cadunt, tunc generantur, & non moles aquarum ſimul, ſed eſt ibi generatio guttalis, quæ ſtatim decidit in terram, vt in ipſius Meteorica docemus: ita etiam hic materia nutrimenti, quæ ad vitam pertinet, commixta eſt vrinæ, & ex vrina extrahitur, & tunc vrina ſola manet, quæ ex propria virtute expulſiua per veſicam exit. Hîc autem nutrimentum relinquo vſq; ad peculiarem tractationem ſequentem ſcilicet, & de tartaro vrinæ ſcribo: is igitur extra regionem ventriculi incipit & permeat ſuos canales, in ijſq; adhæreſcit & obſtruit venas meſeraicas, & alias per quas tranſit: ſimiliter & poros obturat, vnde multæ obſtructiones & punctiones oriuntur, quorum cauſa ſanguini attribuitur, aut alijs, ſed falsò. Sicut enim in orificio ventriculi ardor, calor & compreſ-

Tartari in meſeraicis morbi.

ſio

ſio oboritur: in inteſtinis verò colica & torſiones, ita hîc alij dolores pro ratione loci, in quo tartarus generatur. Quin etiam ſæpè nimis magna hîc fit coaceruatio tartari, ita vt obſtante tartaro nutrimentũ pertranſire nequeat, ideoq; in ventriculum regurgitet: vnde conſequitur vomitus & cibi nauſea, phthiſis membrorum & paroxyſmus calculi, qui quidẽ eſt quaſi febris cum frigore & calore, quaſi peſtis, pleuriſis, & alij ſimiles morbi, cùm tamẽ nihil aliud ſit, quàm tartari paroxyſmus: præcipuè verò vt plurimum ex tartaro oboritur carbunculus ſeu eryſipelas. *Carbunculi cauſa.*

Porrò quando iſta mixta materia nutrimenti & vrinæ ſimul tranſeunt per epar, & ibidem nutrimentum extrahitur in tranſitum, neceſſe eſt per omnes venulas epatis pertranſire ſimul nutrimentum & vrinam; quando autem nutrimentum attractum eſt, vrina in epate remanet: quòd ſi igitur non celeriter regionem epatis tranſeat, aut aliàs calor digeſtionis nimis vehemens & ſiccus eſt, tartari materia in epate remanet, quæ eſt quaſi vrina exiccata à *Tartari in epate morbi.*

Sole, & nondum eſt tartarus: verùm ſpiritus ſalis concurrens coagulat eam in tartarum eius formæ, ad quam inclinata eſt prima eius materia. Sciendum eſt igitur eo modo etiam obſtructiones in hiſce meatibus fieri, morboſq; conſequi epaticos, ſicut in alijs locis eroſiones, vlcera, dolores, & alia ſymptomata facit tartarus: multò magis enim in epate hoc intelligendũ eſt, quod quidẽ origo eſt multorũ morborum, cùm ſit nobile membrum multis membris ſeruiens, imò ferè omnibus, quòd ſi epar patitur, nõ eſt pura paſſio, ſed magna & multiplex. Ex tartaro enim peculiaris generatur hydrops, febris epatica, & alia genera morborũ, de quibus omnibus in ſuis capitib. ſcribimus: præcipuè verò multa eryſipelata. Quàm igitur fuiſſet vtilius profeſſioni medicorũ, ſi veteres perſpicilla applicaſſent, & hunc tartarũ inſpexiſsẽt, priuſquã annotaſſent origines hydropis, & aliorum ſimiliũ morborum, qui ex epate oriuntur, & ab ipſis deſcribũtur: nunquã enim verum inuenietur, quòd hydrops eo modo generetur, vt ipſi nugantur.

gãtur.Magnus & craſſus eſt error,quòd tot doctores & domini,magiſtri & baccalaurei,&c. academici,nõ meliores oculos, ſed tam cæcas cataractas & pelliculas ante ipſos habuerũt.miror quomodò ſibi inuicẽ imponant pileos rubros,cùm ſint tam cęci:credo autẽ eos palpitando capita quærere.Ex epate vrina pergit ad veſicã:inter renes verò & epar interſunt quidã meatus, qui nihil aliud cõtinent, quã immaturam vrinã: ſicut enim excremẽta ſtomachi in ipſo ſtomacho nondum arefacta ſunt, ſed neq; in inteſtinis: in monoculo verò tandẽ perficiuntur vt eſſe debent,nempe in hora expulſionis, quando vis expulſiua in monoculo nata eſt: ita etiã de vrina intelligite,quo propior eſt veſicæ, eò ſubtilior & maturior fit, non quòd illi meatus aliquod ex vrina nutrimentum accipiant, ſed ideo tantùm, quòd calor eam melius percoquat & depuret,ſicut etiam de inteſtinis intellIgendum eſt, quæ etiam nullum nutrimentum ex ſtercoribus ſumunt, ſed ex alijs locis id accipiunt. Quòd verò ſtercus & vrina ita pręparã-

Tartari inter epar et renes morbi.

tur,in cauſa eſt, quòd quælibet res maturatur, donec ſit perfecta: ita etiam potus & vrina, quæ tandiu maturatur, donec in veſicam deſcēdat, tunc prorſus pura & matura eſt, ſicut pirū, quòd à Maio incipit vegetari vſque ad Autumnum, tunc maturum eſt: prius verò immaturum eſt, neque pirum perfectum eſt. Scitote igitur, quòd in via illa ab epate vſque ad emunctorium ipſius, tartari generentur duriores, peiores & acriores, quàm in ventriculo, in meſeraicis aut in epate: hîc enim vrina multò purior & perfectior eſt: & quò clarior & purior vrina fit, eò duriores & acriores tartaros gignit, ex quibus oppilationes oriuntur, nempe ex arenoſis tabellis & ſcrupulis: ſæpè etiam lapillis, ſilicibus, & ſimilibus, prout vrinæ eſt natura: oriuntur & eryſipelata, phlegmones, apoſtemata, & vlcerationes, quæ nunquam in lucem veniunt, aut videntur ac diſcuntur. In talibus igitur morbis opus eſſet anatomicè ſecari homines eiuſmodi morbis obnoxios, & animaduerti iſtum tartarum, ſed etiamſi eum videant noſtri

me-

medici ſtabunt nihilominus ſicut vitulus ante Epiſcopum, dicentes, hoc eſt viſcoſitas quædam, videte domine doctor, an merda non ſit rubrica?

Tartari renum.

Notum verò eſt ex philoſophia & anatomia renes vrina non nutriri, ſed aliundè nutrimentum ſuũ accipere, vt in ſuo capite habetur, nihilq; aliud in ipſis agere vrinã, quàm vt ipſos eluat à ſordibus: vrina enim renum balſamus eſt, qui abſq; vrina putreſcerent: quare hîc de vrina loquimur & non de proprietate renum. Vrina itaque in renibus adhuc purior fit, & ad rubedinem tendit, hoc eſt, maturitati fit propior: eſt autem in renibus concauitas & ſpacium eiuſmodi, vbi tartarus commodè ſicut in vaſe vinario adhæreſcere poſſit, ſi ſpiritus ſalis celeriter eum comprehendat: eumq; ab vrina ſecernat: ita naſcitur tartarus in forma bracteolæ, arenæ, calculi, quæ omnia fiunt iuxta proprietatem rerum in illo loco. Hoc enim ex philoſophia ſciendũ eſt, ſi quis bibat aquam, quæ parit ſilices, & eiuſmodi tartarus aquæ ab excremento ſecernitur, & ſuperuenit ſpiritus ſa-

tis, quòd ex tartaro illo fiat ſilex: non lamina, non fiſſura, non arena: quòd ſi fiat tartarus ex arenoſa aqua, arena producitur, & ita de aliȷs formis intelligendum. Quin & in forma viſcoſitatis adhæreſcit, & poſtea decorticatur, eſtque tartarus prematurus: quòd ſi id nō fiat, tam ſiccæ inhæret, vt totum illum locum putrefaciat, & ita mortem afferat. ſimili modo etiam lapillatur pro natura aquæ bibitæ, ita vt ſi illa aqua multū lapillorum generet, ipſe etiam multos, ſi magnos, magnos quoq; generet, ſi aſperos ipſe quoq; aſperos, & ita de aliȷs. Colorem acquirit tartarus ex vrina & liquore renum, quem cum dolore euehit, interdum proprium colorem retinet griſeum, rubrum, ex flauo purpureum, pallidum, epaticum, &c. viridem autem, cœruleum, nigrum nunquam habet: illi enim colores in ſeparatione, quæ fit in orificio ventriculi, corrumpuntur & euaneſcunt, quin & rari ſunt. In ſumma ex natura cibi & potus cuiuſlibet regionis, forma, figura & paroxyſmus tartari æſtimandus eſt: talis eſt enim & natura ipſius.

Nota.

Ex

Ex renibus vrina tranſit in veſicam, vbi talis eſt tartari generatio, vt quidē adhæreſcere poſſit, quo ad locū & materiam, ſed non eſt durabilis: decorticatur enim ſtatim, attamen in parietibus laminæ illæ latiores non decorticantur, ſed grana, quæ in illis naſcuntur in forma arenæ & pulueris. Forma autem arenaria ſolummodò ex cuiuſlibet regionis cibi & potus natura pendet: ideò facilè intelligere potes, vnde lapilli arenarij veniant, prout vides genera lapidum arenæ in quolibet loco: ita & de tophis, & alijs: forma enim nō aliundè eſt, quàm ex natura & forma vulgariū lapidum cuiuſuis regionis: coagulatio enim quę venit ex ſpiritu ſalis, fit iuxta illam formam & naturam. Quomodo autem duo vel plures lapides, item plurimæ arenulæ ſimul generentur: ex hac breui regula intelligite, quòd vnus lapis vel plures naſcuntur. ſimilis ratio eſt, ac ſi duo vel tres infantes ſimul naſcantur: eſt enim ſimilis materia & ratio: duo vel tres infantes ideo naſcuntur, quòd natura ad generandū vnum infantē ſit diſpoſita quidē, cùm

Tartarus veſicæ.

Cur plures

Nota. poteſt: reduc tartarum & viciſti.

Sed vt iſta melius intelligantur, duæ ſunt viæ generationis tartari diſtinctæ. nempe cibus & potus: via cibi tendit ad inteſtina & aluum, eiusq; exitum: via verò potus vergit ad epar, & veſicam, eiusq; exitum: prius autē de meatu per aluum & inteſtina: poſtea de altero quoq;, ſcilicet per veſicam ſciendum eſt. Morbi autem tartarei, qui generantur in ore, orificio ventriculi, & in ipſo ventriculo, de quibus dictum eſt, ab iſtis duabus vijs diuerſi ſunt: tartari enim oris, &c. ex vtroq; cibo & potu generantur, eſtq; neceſſariū hoc ſcire: facilius enim diſſoluūtur, & ſuas peculiares proprietates habēt prę alijs omnibus tartaris: quare hęc diſtinctio in curādo ſingulariter conſiderari debet: eſt enim in ſuo genere omniū facilima cura tartari ex cibo, quàm eius qui ex potu: & vterque facilius meatur in his tribus locis, quàm alibi. Quò enim longius receditur ab ore verſus emunctorium, eo fortior & durior eſt coagulatio & ſpiritus ſalis: tartarus enim ſemper deſtillatur magis, ſubtiliatur &

præ-

præcipitatur, & quò longius procedit, eò diligentius animaduerti debet. In ore igitur leuiſſimus eſt tartarus, peior in orificio ſtomachi, peſſimus horum trium eſt in fundo ſtomachi: poſt ſtomachum adhuc durior eſt in inteſtinis, hoc ipſo durior eſt in epate, renibus, veſica, &c. qui enim in inteſtinis eſt ex cibo eſt: quare mitior eſt eo, qui in via vrinaria.

Gradus tartarorũ in duritie.

Sequitur igitur vlterior doctrina de diſcrimine & proprietatibus tartarorum, qui in duabus iſtis vijs naſcuntur, quanquam opus fuiſſet iamdudum, & non à me nunc primùm hoc factũ eſſe: hic enim labor melior longè fuiſſet & vtilior, quàm opera illa ingentia & nugatoria, quæ Galenus, Raſis & Auicenna commentati ſunt & declamitarunt.

Cùm itaq; in vẽtriculo ſit vis ſegregandi putridum à non putrido, purum ab impuro: ſcitote, quòd & ex cibo ſtercus ſegregetur, nempe ſtercus potabiliũ & comeſtibiliũ, idq́; ita intelligite, multos eſſe cibos, qui ſimul ſunt potus, & econtrà multos potus eſſe, qui ſimul ſunt cibi, ex quo conſequitur vna,

Reſponſio ad obiectionem ſuæ diuiſionis in tartarũ cibi & tartarum potus.

eademq; tartari generatio,& non duæ: quanuis enim ex duobus origo ſit, commixtura tamen vnum genus efficit, quod in ſuas ſpecies & proprietates ſabdiuiditur: & quanquam ſæpè in meatu ciborum tartari cauſa magis ex potu, quàm ex cibo deſcendat, id tamen hîc minimè conſiderandum eſt: eſt enim cibus & non pot[illegible], etiamſi in forma potus in ventriculum venerit: ſimiliter intelligendum etiam eſt de potu eſculēto. De inteſtinis igitur obſeruate regulā generalem, quòd omne ſtercus ex ventriculo, donec pertranſeat inteſtina, intereà tartarus adhæreſcit, vt dictum eſt, qui varios morbos parit in aluo, vix enumerabiles, vtpote partem maximam colicæ, torminum, flatuum, conuulſionum ſuperioris & inferioris partis alui, obſtructiones ſedis, dyſſenterias, & ſimiles. Quin & peculiariter vobis hoc notandum eſt, paroxyſmum tartari huius fieri vnà cum paroxyſmo tartari in veſica, ita vt ſi calculus dolorem pariat in ſuo loco: ſimiliter & tartarus iſte ſuo loco doleat, calculus in veſica facit dyſuriam, & dolores

Tartari inteſtinorum morbi.

lores dorſi, &c. iſte verò tartarus inteſtinorum, colicam, tormina & conuulſiones affert. Scitis ex calculo veſicæ neminem contractura laborare in partibus, quæ ſunt infra cingulum: ex tartaro verò iſto inteſtinorum generalis omnium membrorum contractura oritur: non enim vel ſuprà vel infrà ſolùm, ſed in toto corpore deuagatur iſte tartarus: idcircò benè notate originem colicæ in ſuis capitibus. Sed magnus error & magna ſeductio deſcripta eſt à veteribus in iſto morbo: ſæpius enim iſte tartarus in inteſtinis tantam conſtipationem peperit, dum quaſi tartarus vini inteſtina incruſtauit, & poſteà ex pinguedine aut lubricitate inteſtinorum ſe ſegregauit & coacetuauit, & exitum ſtercorum obſtruxit, vt neque purgationes, neque ſyrupi, neque clyſteres aut alia ſuccurrere potuerint: quin & ſæpius coagulata ſunt illa tartari putamina, quæ longo tempore pedetentim coaceruata erant & ſuperinducta, vt tandem in tantum calculum excreuerint, vt nihil exire potuerit, & monoculus violenter

Colicæ cauſa.

obturatus fuerit, in quo quidem nati fuerant, ſicuti ſilex quidam in aquis, vbi vnus viſcus ſuper alium aggeritur & agglutinatur, donec poſtremò maximus inde lapis naſcatur: ſic enim fit eius incrementum. Quoniam verò etiam tot genera ſunt tartari, nempe cal carij lapides, tophi, aſperi & glabri, ex genere ſalis, mercurij, aluminis, &c. inde quoq; varia & mira genera colicæ exoriuntur.

Sed vos medici iſta omnia bene conſiderate & perpendite, ne ex tartaro faciatis choleram, iliacam, ventoſitates, &c. magnus enim hic error eſt, & magnum dedecus, tot eſſe medicos peregrinos, & præcipuè Monpeſſuli, Salerni, Pariſijs, &c. qui præ omnibus coronam habere volunt, & omnes alios contemnunt, & tamen ipſoſmet nihil ſcire aut poſſe: ſciendum enim eſt, os & pompam eorum eſſe artem eorum maximam, hoc eſt nugas eorum. Non pudet eos clyſteres adhibere etiam ad mortem vſq;. omnia hæc bona ſunt ipſis conſilia, quin & de anatomiæ inſigni notitia glorientur; qua & vtantur,

&

& tamen nondum animaduerterunt, quòd dentibus adhæreat tartarus, taceo de maioribus: egregij ſunt iſti oculares medici, non opus habent perſpicillis ſuper naſo: quid eſt inſpectio veſtra anatomica? attamen hæc tractare neſcitis, nec tantum perſpicitatis habetis, vt quæ ante pedes vobis ſunt, videatis: huiuſmodi rebus etiam Germani noſtri medici ſtudent, fureſque & alios perluſtrant, & quando omnia pro libitu inſpexerunt, minus ſciunt quàm anteà, & ſuffocantur ita in ſtercore & cadaueribus: deinde ad requiem tendunt, potius erat ſi homines viſitarent.

TRACTATVS TERTIVS
De calculis epatis, renum & veſicæ.

IAM verò ſimili modo diſcite alteram viam generationis calculi, nempe ex vrinæ excrementis: ſcitote igitur, quòd poſtquã cibus & potus depurata ſunt à ſtercore, & ex ventriculo ad epar mittũtur, vrina generetur extra regionem ventriculi, hoc eſt, nutrimentum primò omniũ attrahitur ad epar, & in

Calculi vrinariæ, ſeu potius tartari.

illa attractione vrina ſeparatur à nutrimento in venis meſeraicis & meatibus illis: notate igitur, epar nihil aliud attrahere, niſi quod ſuum eſt, hoc eſt nutrimentum, ſuperfluum autem ingreditur viam vrinalem: ſicut in pluuia quando eius guttæ cadunt, tunc generantur, & non moles aquarum ſimul, ſed eſt ibi generatio guttalis, quæ ſtatim decidit in terram, vt in ipſius Meteorica docemus: ita etiam hîc materia nutrimenti, quæ ad vitam pertinet, commixta eſt vrinæ, & ex vrina extrahitur, & tunc vrina ſola manet, quæ ex propria virtute expulſiua per veſicam exit. Hîc autem nutrimentum relinquo vſq; ad peculiarem tractationem ſequentem ſcilicet, & de tartaro vrinæ ſcribo: is igitur extra regionem ventriculi incipit & permeat ſuos canales, in ijsq; adhæreſcit & obſtruit venas meſeraicas, & alias per quas tranſit: ſimiliter & poros obturat, vnde multæ obſtructiones & punctiones oriuntur, quorum cauſa ſanguini attribuitur, aut alijs, ſed falsò. Sicut enim in orificio ventriculi ardor, calor & compreſ-

Tartari in meſeraicis morbi.

ſio

ſio oboritur: in inteſtinis verò colica & torſiones, ita hîc alij dolores pro ratione loci, in quo tartarus generatur. Quin etiam ſæpè nimis magna hîc fit coaceruatio tartari, ita vt obſtante tartaro nutrimentũ pertranſire nequeat, ideoq; in ventriculum regurgitet: vnde conſequitur vomitus & cibi nauſea, phthiſis membrorum & paroxyſmus calculi, qui quidē eſt quaſi febris cum frigore & calore, quaſi peſtis, pleuriſis, & alij ſimiles morbi, cùm tamē nihil aliud ſit, quàm tartari paroxyſmus: præcipuè verò vt plurimum ex tartaro oboritur carbunculus ſeu eryſipelas. *Carbunculi cauſa.*

Porrò quando iſta mixta materia nutrimenti & vrinæ ſimul tranſeunt per epar, & ibidem nutrimentum extrahitur in tranſitum, neceſſe eſt per omnes venulas epatis pertranſire ſimul nutrimentum & vrinam; quando autem nutrimentum attractum eſt, vrina in epate remanet: quòd ſi igitur non celeriter regionem epatis tranſeat, aut aliàs calor digeſtionis nimis vehemens & ſiccus eſt, tartari materia in epate remanet, quæ eſt quaſi vrina exiccata à *Tartari in epate morbi.*

Sole, & nondum eſt tartarus: verùm ſpiritus ſalis concurrens coagulat eam in tartarum eius formæ, ad quam inclinata eſt prima eius materia. Sciendum eſt igitur eo modo etiam obſtructiones in hiſce meatibus fieri, morboſq; conſequi epaticos, ſicut in alijs locis eroſiones, vlcera, dolores, & alia ſymptomata facit tartarus: multò magis enim in epate hoc intelligendũ eſt, quod quidẽ origo eſt multorũ morborum, cùm ſit nobile membrum multis membris ſeruiens, imò ferè omnibus, quòd ſi epar patitur, nõ eſt pura paſſio, ſed magna & multiplex. Ex tartaro enim peculiaris generatur hydrops, febris epatica, & alia genera morborũ, de quibus omnibus in ſuis capitib. ſcribimus: præcipuè verò multa eryſipelata. Quàm igitur fuiſſet vtilius profeſſioni medicorũ, ſi veteres perſpicilla applicaſſent, & hunc tartarũ inſpexiſsẽt, priuſquã annotaſſent origines hydropis, & aliorum ſimiliũ morborum, qui ex epate oriuntur, & ab ipſis deſcribũtur: nunquã enim verum inuenietur, quòd hydrops eo modo generetur, vt ipſi nugantur.

gātur. Magnus & craſſus eſt error, quòd tot doctores & domini, magiſtri & baccalaurei, &c. academici, nō meliores oculos, ſed tam cæcas cataractas & pelliculas ante ipſos habuerūt. miror quomodò ſibi inuicē imponant pileos rubros, cùm ſint tam cęci: credo autē eos palpitando capita quærere. Ex epate vrina pergit ad veſicā: inter renes verò & epar interſunt quidā meatus, qui nihil aliud cōtinent, quā immaturam vrinā: ſicut enim excremēta ſtomachi in ipſo ſtomacho nondum arefacta ſunt, ſed neq; in inteſtinis: in monoculo verò tandē perficiuntur vt eſſe debent, nempe in hora expulſionis, quando vis expulſiua in monoculo nata eſt: ita etiā de vrina intelligite, quo propior eſt veſicæ, eò ſubtilior & maturior fit, non quòd illi meatus aliquod ex vrina nutrimentum accipiant, ſed ideo tantùm, quòd calor eam melius percoquat & depuret, ſicut etiam de inteſtinis intelligendum eſt, quæ etiam nullum nutrimentum ex ſtercoribus ſumunt, ſed ex alijs locis id accipiunt. Quòd verò ſtercus & vrina ita pręparā-

Tartari inter epar et renes morbi.

tur,in cauſa eſt, quòd quælibet res maturatur, donec ſit perfecta: ita etiam potus & vrina, quæ tandiu maturatur, donec in veſicam deſcēdat, tunc prorſus pura & matura eſt,ſicut pirū, quòd à Maio incipit vegetari vſque ad Autumnum, tunc maturum eſt:prius verò immaturum eſt, neque pirum perfectum eſt. Scitote igitur, quòd in via illa ab epate vſque ad emunctorium ipſius, tartari generentur duriores, peiores & acriores, quàm in ventriculo, in meſeraicis aut in epate: hîc enim vrina multò purior & perfectior eſt: & quò clarior & purior vrina fit, eò duriores & acriores tartaros gignit, ex quibus oppilationes oriuntur, nempe ex arenoſis tabellis & ſcrupulis: ſæpè etiam lapillis ,ſilicibus, & ſimilibus, prout vrinæ eſt natura: oriuntur & eryſipelata, phlegmones,apoſtemata,& vlcerationes, quæ nunquam in lucem veniunt,aut videntur ac diſcuntur. In talibus igitur morbis opus eſſet anatomicè ſecari homines eiuſmodi morbis obnoxios,& animaduerti iſtum tartarum, ſed etiamſi eum videant noſtri

me-

medici ſtabunt nihilominus ſicut vitulus ante Epiſcopum, dicentes, hoc eſt viſcoſitas quædam, videte domine doctor, an merda non ſit rubrica?

Notum verò eſt ex philoſophia & anatomia renes vrina non nutriri, ſed aliundè nutrimentum ſuũ accipere, vt in ſuo capite habetur, nihilq; aliud in ipſis agere vrinã, quàm vt ipſos eluat à ſordibus: vrina enim renum balſamus eſt, qui abſq; vrina putreſcerent; quare hîc de vrina loquimur & non de proprietate renum. Vrina itaque in renibus adhuc purior fit, & ad rubedinem tendit, hoc eſt, maturitati fit propior: eſt autem in renibus concauitas & ſpacium eiuſmodi, vbi tartarus commodè ſicut in vaſe vinario adhæreſcere poſſit, ſi ſpiritus ſalis celeriter eum comprehendat: eumq; ab vrina ſecernat: ita naſcitur tartarus in forma bracteolæ, arenæ, calculi, quæ omnia fiunt iuxta proprietatem rerum in illo loco. Hoc enim ex philoſophia ſciendũ eſt, ſi quis bibat aquam, quæ parit ſilices, & eiuſmodi tartarus aquæ ab excremento ſecernitur, & ſuperuenit ſpiritus ſa- *Tartari renum.*

Ex renibus vrina tranſit in veſicam, vbi talis eſt tartari generatio, vt quidē adhæreſcere poſſit, quo ad locū & materiam, ſed non eſt durabilis: decorticatur enim ſtatim, attamen in parietibus laminæ illæ latiores non decorticantur, ſed grana, quæ in illis naſcuntur in forma arenæ & pulueris. Forma autem arenaria ſolummodò ex cuiuſlibet regionis cibi & potus natura pendet: ideò facilè intelligere potes, vnde lapilli arenarij veniant, prout vides genera lapidum arenæ in quolibet loco: ita & de tophis, & alijs: forma enim nō aliundè eſt, quàm ex natura & forma vulgariū lapidum cuiuſuis regionis: coagulatio enim quę venit ex ſpiritu ſalis, fit iuxta illam formam & naturam. Quomodo autem duo vel plures lapides, item plurimæ arenulæ ſimul generentur: ex hac breui regula intelligite, quòd vnus lapis vel plures naſcuntur. ſimilis ratio eſt, ac ſi duo vel tres infantes ſimul naſcantur: eſt enim ſimilis materia & ratio: duo vel tres infantes ideo naſcuntur, quòd natura ad generandū vnum infantē ſit diſpoſita quidē, cùm

Tartarus veſicæ.

Cur plures

autem duplex natura & ſemen in vna teſta concluditur, ſicut ſępè duo vitelli in vno ouo, duæ nuces in vno putamine, duæ caſtaneæ in vna ſiliqua, & ſimilia, tunc ſemina ſeparantur inter generandum, & vna vice ambo adhæreſcunt, & ambo tartareum limum attrahunt. Plus tamen altero creſcit, & alter altero maior fit, quod ex accidenti contingit, & quod ex accidenti eſt, ſimilem eſſentiam non facit. Porrò & hoc de lapide in veſica ſcitote, quòd non naſcatur vnus poſt alterum, ita vt vnus creſcat aliquot annos, & poſt ipſum nouus, ſicut neque infans vnus poſt alterū concipitur; ſed de arena valet cõmunis regula, quòd ſimiles omni tẽpore de nouo naſcãtur: non enim in generatione ſimiles ſunt lapidibus.

Anacephalæoſis. Satis itaque dictum eſt de generatione tartari in via vrinaria quanquam breuiter, idq; ideo, quòd peculiaria alibi poſuerimus capita, vbi ſingula genera & ſpecies ex profeſſo tractantur: diximus igitur hactenus de vijs tartareis, nempe ex ore in ventriculum, ex ventriculo ad alui ſeceſſum: item ex ventriculo

triculo ad epar, renes & veſicam: nihil autem aliud in his rebus intelligi poteſt, quàm de vrina, de excrementis per inteſtina, & de via ab ore in ventriculum, nihil igitur obliti ſumus. Reſtat autem alius tartarus in membris principalibus, quæ & ipſa tartaro onerantur: de quo dicendum, ex quibus cauſis & materijs oriatur: ſuos enim peculiares morbos complectitur: non enim ex ſupradictis tartaris prouenit, ſed eſt peregrinus tartarus, qui tamẽ ſuo modo in iſtis locis gignitur, quanquã & ipſe ex cibo oriatur, ſed non in forma & modo excermentorũ, ſicut de alijs ſupradictũ eſt, ſed peculiari modo & ratione: quare meritò à reliquis diſtinguitur, & tamen in eodẽ libro tractari debet: eſt enim de eodem genere, & tamen ſua membra habet principalia.

Dictum autem eſt in principio de cura tartarorum, quòd per reductionem tartarus curandus ſit: non enim niſi illi, qui circa genitalia naſcuntur ſcindendo eximi poſſunt: quare in cura hoc conſiderandum eſt, vt rectè prępararentur res reductiuæ, ne tranſmu- *Reductio tartarorũ.*

tent aut præcipitēt: alia autem eſt cura tartarorum ſequentium. Notandum hîc etiã eſt, ſæpè lapidem vnum tolli, & alium illi ſuccedere naſcendo, ſicut infans poſt alterũ naſcitur, cauſa eſt eadē, quæ aliquoties redire poteſt. Scitote igitur tartarum eſſe morbũ externum, deſcendentem ex rebus creſcentibus in terra, & ex earum liquoribus, ex quibus bolus, lapis, viſcus & arena naſcuntur, vt qui de leguminibus, frumētis & oleribus, vino, aqua, carne, &c. in nos perueniunt, & vt dictum eſt, adhæreſcunt. *Præſeruatio tartari.* Nihil autem magis prohibet, ne tartari in nobis adhæreant, quàm ſi oleo oliuæ & butyro iuſto modo & ordine vtamur.

TRACTATVS QVARTVS

De tartaris membrorum principalium, pulmonis, cerebri, renum, cordis, fellis, ſplenis.

De ſecundarijs excrementis ex nutrimēto prin-

DE generatione tartari, qui fit in alijs membris, vt in pulmone, cerebro, renibus, corde, felle, ſplene, hanc generalem regulã notate: Quicquid homo in ſe cõtinet, cibo opus habet & nutri-

trimento quotidiano, quod quidem ex illis ſumitur, quę in vẽtriculum veniũt, vt in ſuis capitibus dicitur: quando autem nutrimentũ in ſua loca attractum eſt, ſcitote quodlibet membrum corporis ſuam propriam vim habere, & à ſe remouere quod non bonum eſt, aut quod ipſi non placet, aut commodum eſt, nullumq; membrum pro altero coquere aut ſeparare, excepto vẽtriculo, qui quod facit in commune facit, & ſimiliter quod fit cum vrina in epate, renibus & veſica, etiam in publicũ commodum omnium membrorum fit. Sed hæc ſeparatio minimè eſt ſufficiens: igitur quoduis membrum ſingulariter ſuum nutrimentum præparat, ex eoq; quod ſibi placet, trahit: quod autẽ non conducit ei, reĳcit. Recrementa illa habent varios exitus, pulmo ſputũ, cerebrum nares, ſplen veſicam, fel ſtomachum, renes veſicam, cor chaos ſeu aerem. Sicut igitur membra principalia peculiaria ſua nutrimẽnta habent: ita etiam excremento eorundem non ſunt eiuſdem materiæ, ſed variæ, & ex omnibus tamen tartari naſcuntur.

cipalium membrorũ, quæ fiunt à peculiari vẽtriculo ſeu digeſtione cuiuslibet membri.

Sunt autem excrementa illa valde ſubtilia facta, priuſquam ad illa loca veniant, vbi ſe manifeſtant: hæc autem tali exemplo diſcite, quando res aliqua ad ſummum diſtillata eſt, & porrò volatilis fit, tunc reputatur eſſe abſque corpore, ſed minimè eſt ſine corpore, imò quando ſuo conuenienti modo præparatur, & à ſuo perito magiſtro, ſemper corporalis eſſe reperitur: ita hìc quoque tartarus in ventriculo per ſedes non excernitur, neq; per vrinam, ſed corpus tartari fit volatile, & penetrat in membra principalia cum nutrimento, ſicut vinum ardens, quod eleuatur, & ſine corpore vllo eſſe exiſtimatur, & tamen corporale eſt, & quanuis in pellicano circuletur: attamen tartarum in ſe continet. Ita etiam de his ſciendum eſt, quare quando in ſua debita loca veniunt in membra ſcilicet principalia, ibi inuenitur verus ille magiſter, qui ſeparare nouit corpus à volatili, quod alij magiſtri neſciunt, hoc eſt ventriculus, epar, &c. Ita quælibet res in illis locis ad quæ pertinet, reperitur cum proprietatibus & exaltatione

Subtilitas & volatilitas tartari ſecundarij.

tatione ſua,ſicut ex hoc exemplo intel-
ligitur,vir & fœmina ſunt duo coniun-
genda : quòd ſi igitur eiuſmodi duo
conueniant, qui legitimè concordant
& coordinati ſunt,nullum perpetratur
adulterium:anatomia enim & concor-
dãtia eſt in vno,& non frangitur:quòd
ſi verò non ita conueniant, nullus a-
mor canſtans, ſed mobilis adeſt, vt a-
rundo in aqua: vir enim qui adulteriũ
committit, non habet ſuam conue-
nientem vxorem iuxta anatomiam,ſi-
militer & fœmina, quæ adultera eſt,
non habet ſuum legitimũ virum:quili-
bet enim homo habet ſuam concupi-
ſcentiam & delectationem,quæ ipſum
non ſinat fieri adulterũ: idcirco man-
datum Dei ad illos pertinet, qui non
ſunt coordinati, vt ſeruent illud quaſi
eſſent legitimè cooptati: ſunt igitur
duo coniugia, vnum quod Deus ipſe
coniungit,vt ſuprà dixi:alterum homi-
nes ipſimet copulant:priores coniuges
tractant ſe inuicem iuxta præceptum
Dei:poſteriores verò minimè. Simili-
ter & in hoc loco ſciendum, quando
res deuenit in ſuam debitam coniun-

n

Naturæ via ingrediēda non à nobis excogitata

ctionem & concordantiam ſuæ anatomię, tunc quod in ipſa latet, ex ſe præbet, quòd ſi id non fiat, nulla vi ſuperari poteſt: quare ſi ſecreta naturę inueſtigare velimus, ſuum cōuenientem magiſtrum ipſi adhibere nos oportet, & iuxta illius artificium cum illa agendū & procedendum, aliàs omnia, quæ ex ea veniunt, cæca erunt. Primùm itaq; ſcitote, quando nutrimēta ad illa loca, ad quæ pertinent, mittuntur, pars ad pulmones peruenit: priuſquam autem de ſingulis membris dicam, ſcitote paruam quantitatem eſſe horum tartarorum: non enim copioſè coaceruantur, vt in aliis meatibus vrinæ aut inteſtinorum: parum enim comedunt & bibunt mēbra ipſa principalia, ita vt ſi à quantitate eius, quo nutrimur, detrahantur ſtercora, & vrina parum corpori relinquatur, quo cùm tot membra alenda ſint, parum ad ſingula peruenire oportet. Ex tam parua igitur quantitate non poteſt tam manifeſta, vulgaris & quotidiana operatio, tartareumq; genus fieri, vt in vrina & inteſtinis: quare eò diligentius generatio huius tartari

Parum tartari in principal. membris fit.

tari

tari conſideranda eſt, nihilominus ſæpè paruum plus damni infert, quàm magnum. Hìc quoq; notandum eſt, non ita ſæpè ſpiritum ſalis operationem ſuam perficere poſſe: non enim tam fortis eſt, vt in alijs vijs, ideo ſæpè interpellatur: vbi enim non habet copiam, ibi neque robur eius eſt potens: ex materiæ enim quantitate dependet quantitas ſpiritus ſalis.

Sequitur igitur de tartaro pulmonis hoc modo: Videtis ſæpè in pulmone tam hominum, quàm pecorum lapillos reperiri ſicut grana milij: in homine autem venæ ſunt, quæ ad anatomiã ſanguinis pertinẽt: ſed hîc loquor de venis in pulmone, ſuntq; quaſi ventriculus eius: in ijs enim ſeparatur purũ ab impuro, & quod ipſi conueniens non eſt, reijcit. hanc ſeparationẽ ventriculus non poteſt facere, pulmo autẽ poteſt: quare peculiare excrementũ inuenitur in pulmonis cannis, quę ipſum trãſeunt, & quaſi vẽtriculus ipſius ſunt, ita à Deo ordinatę, vt ibi nutrimentum pellicanetur & circuletur: hoc enim vobis perſuaſũ ſit, quodlibet mẽbrum ſuũ *Tartarus pulmonis.*

peculiarem & mirum ventriculum ſeu locum digeſtionis habere, ſicut in exterioribus præparationibus videmus, vbi laboratur, vt purum ab impuro ſeparetur. Cum itaque pulmonis ventriculus eiuſmodi ſit, retinet ſibi id, quod ad ſe pertinet, reliquum per os eijcit: illud autem eſt excrementum peculiare, quod in ſolo pulmone fit, & nullo alio membro: peculiarem enim ventriculum quoque habet. Obſeruate igitur, quòd in iſta ſeparatione puri ab impuro pulmo ſuum ſtercus reijciat, & ſimul tartarum, ſtudendum eſt igitur vt tartarus cum excremento pulmonis eijciatur: quòd ſi verò id non fiat, ſed tartarus ſeparetur ab excremento, in locis illis remanebit immobilis, & explebit cannas in forma bracteolarum & laminarum aut granorum. Subtilior autem eſt tartarus iſte, quàm vel in vrinaria, vel in ſtercoraria via, ſubtiliorum eſt etiam ſeparatio eius, ex volatili enim fit corpus, ſimile enim aggregatum fuit ſimili. Ex hoc conſequuntur etiam alij longè morbi, etiam ratione officij & loci pulmonis, & tamen

Morbi pulmonis.

men morbi ſunt tartarei, ſed longè aliter ſe oſtendunt & operantur: cùm enim pulmonis officium ſit liberè aperiri & claudi vt follis, aeremq; haurire, &c. viæ aeris impediuntur tartaro, vnde multiplices morbi oriuntur, qui à medicis aſthma, tuſſis, &c. vocantur, cum tamen nihil aliud ſint, quàm tartarus: etiam vocantur anhelitus impedimentum, & ſimiliter: vnde ſequitur phthiſis, hoc eſt, quando homo gracileſcit & emarceſcit in tali ſtatu: nec non hectica febris: quæ omnia à nulla alia re pendent, quàm ab iſto tartaro, qui eo modo in pulmonibus coaleſcit, vt in ſuis capitibus dicitur.

Simili modo & cerebrum ſuum ventriculum habet, qui tamen non eſt in ipſo cerebro, ſed extra: omne autem nutrimentum ipſius inſeparatum ad cerebrum peruenit, ita vt nondum in vltimam ſuam materiam ſit redactum, qualis ſcilicet cerebro conueniret & vtilis eſſet: quando autem cerebrum nutrimentum illud accepit, ac ſecum habet, tunc incipit ipſius quoque labor ventricularis. Atque hîc ſcitote, ſicut *Tartarus cerebri.*

ventriculus, ſcilicet primus ille, corru-
ptor ſæpè eſt omnium membrorum,
dum non rectè ſuum officiũ exequitur:
Nota. ita etiam de ventriculo peculiari ſingu
lorũ membrorum intelligendũ, quod
ex vitijs illinc ventriculi multi morbi
oriantur, quorum hactenus nulla facta
eſt mentio, ſed omnes ignorantiæ tra-
diti fuerunt. Vos igitur notate rem ma-
gnam eſſe noſſe ſpiritum illum agen-
tem in membris principalibus, qui of-
ficium ventriculi ibidem explet: quan-
do enim ille inutilis eſt, tunc & omnia
membra, quæ ab ipſo dependent, nihil
valent. Primùm quidem ventriculum
medici cognouerunt, quod & ipſis ru-
ſticis facile eſt, ſed ventriculum, in quo
tantum ſitum eſt, non olfecerunt: vnde
multos morbos, qui ratione horum ſe-
cundariorum vẽtriculorum (vt ex pri-
mo quoque) contingunt in alia capita
falſa retulerunt, non conſiderãtes, quò
res pertingeret, & quidnam tractarent:
quare æquũ eſt, vt peculiaris liber de i-
ſtis morbis cõſcribatur, quod hîc quie-
ſcere ſino. Sed vt ad rem redeã, quando
illud nutrimentũ eo modò, vt dictũ, ad
cerebrum

cerebrũ peruenit,tunc oportet illũ ven triculũ cerebri eſſe alchymiſtã,qui vera &exactiori ſeparatione ſeparet id,quod cõueniens eſt cerebro,in hoc actu aliud excrementũ inuenitur,non vt aliorum membrorũ: emunctorium verò illius ſunt nares,per quas pituita illa exit.Itaque ſcitote, ventriculũ cerebri eſſe extra cerebrũ, ita vt nutrimentũ eius ante ingreſſum cerebri præparetur: poſtquam autem pręparatum eſt,à cerebro attrahitur in cellas illas, à quibus cerebrum circũcluditur: excrementũ verò remanet exterius in ſuis venis,quę iuxta illam anatomiam poſitę ſunt,& continent vẽtriculum cerebri, illæ habent manifeſtũ ſuum emunctoriũ,& primus ventriculus ſuũ foramen in ano, quod emunctoriũ ad nares pertinet. Notate igitur, quòd hoc modo extra cerebrũ eiuſmodi tartari reperiantur in illis regionibus, in quibus ventriculus ille ſitus eſt,ex quibus phreneſis,mania,& alię ſimiles multę veſanię exoriũtur,qui à medicis ſanguini,& alijs aſcribuntur, ſed falsò,ſicut in pluribus alijs quoq; idem facere ſolent:de quibus ſuis in locis fuſius ſcripſimus.

Nares cerebri emunctorium.

Morbi tartarei cerebri.

Tartarus renum. Porrò dicamus de renibus: quanquã enim vrina in hoc loco verſetur, illud tamen ad corpus renum non pertinet: neque enim ex vrina nutriuntur, ſed aliundè ſuum nutrimentum habent, vt & alia membra: & quanquam rarò tartaro afficiantur ſecundario: vrina enim humectat eos, ita vt tartarus iſte ex renibus ſeparari nequeat ab excrementis, attamen vt & reliqua membra ad tartarum diſpoſiti ſunt. Renes igitur etiam iuxta ſuam anatomiam ſuũ nutrimentum accipiunt, iuxta diſtributionem, quæ vnicuique membro id, quod ad ipſum pertinet, tradit, idque mixtum excrementis, quę nullibi ſeparari poſſunt, niſi in illo membro ſuo proprio: atque ita renes quoque ſua propria excrementa habent, vt omnia alia membra. Hoc excrementum commiſcetur vrinæ, & vnà cum vrina exit, *Hypoſtaſis vrinæ eſt renum excrementũ.* eſtq; vrinæ hypoſtaſis: vnde ex hypoſtaſi de vitijs renum iudicatur, vtpote ipſorum excremento, ideo etiam ab vrina ſeparatur in ſuum locum, ſicut oleum ab aqua, quæ & ipſa non commiſcentur: ſicut enim oleum ſupernatat,

aqua verò inferiùs manet:ita proprietas hypoſtaſeos eſt in medio vrinæ, vel verſus fundum conſiſtere, prout bene expulſa eſt. Artis autem eſt ſeparare hypoſtaſin ab vrina ita vt hypoſtaſis & vrina ſingula ſuo vaſe excipiantur: qui autem hoc facere nouit, is excrementum renum verè agnoſcit, & ſimul videt in ſeparatione & præparatione eiuſdem excremẽti vltimam materiam tartarorum: in quo autem eſt vltima materia rei alicuius inuenta, in illo etiam prima materia eiuſdem latet. *Nota.*

Magnus error eſt quod dicitur, hypoſtaſin ſignificare vitia ſtomachi, ſed quid dicerent homines imperiti & erronei, oportet eos aliquid in medium proferre; vt ſua figmenta ſuſtentent: vnde non mirum eſt, ſi ita vrinas inſpiciant & medicentur, vt à nemine laudentur, ſed ab omnibus vituperentur, eoq́; rem deueniſſe, vt omnes medicinam fugiant, & pro deceptoria arte reputent: ita enim homines ſuis artibus medici fefellerunt, vt iam quilibet ruſticus, imò & Iudæi plus fidei habeant, quàm ipſi, quin etſi rem per ſe conſi-

deremus,ſępè plus illi ſciunt,quàm doctores. Annón eſt crimen & dedecus, phyſicum eſſe in ciuitate aliqua,qui ſtipendium habeat,illumq́;morbos fugere, non poſſe homines curare,relinquere pro deſperatis,& poſtea alios indoctos eoſdem curare?ſi hoc laudis eſt certè,turpe dictu tamē eſt. Cauſa verò cur veſtra doctrina ſit, nihili eſt, quod poetę eſtis:ideo poeticè curatis,& ſi adhuc duplo plures eſſetis, non poſſetis veſtros authenticos doctores defendere,neq; ipſi vos:ſolummodò diuturna conſuetudo hoc facit, & conſtitutiones academiarum, vbi non niſi ſcribæ procreātur,hoc eſt ſcriptorę s compoſitionum, ſed neminem curantes: doctores itaque erunt ſcripturæ, ſed non curæ. Itaq; eſtis ſcriptores,& peculiarem ſectam habetis, nec peteſtis pati, vt quis vobis interloquatur: eſtis quaſi monachorum ordines, qui neſciunt quid album, quid nigrum ſit. An non turpiſſimum eſt, quòd ex hypoſtaſi nullum tartarum poſſe iudicari exiſtimaſtis, & tamen de tartaro loquimini, quid igitur docetis?

Cor

Cor quoq; tartareos morbos patitur:nam & ipſum ſuum nutrimentum accipit vt alia membra, ſimiliter & ſua excrementa ſecernit: nos autem de ſolis excrementis loquemur,quis in ipſis latet tartarus:cor enim ſitum eſt in ſua capſula, ex qua excrementum extruditur:nihil enim in ipſa manet.Porrò ſcitote,cor omnium minimũ, & quidem puriſſimum nutrimẽtum aſſumere, & excrementa à ſe reddere in capſulam illam,in qua poſitũ eſt,in forma guttarum aquę puræ,quales ex oculis defluunt: idq; ex hac cauſa fit, quando vltra menſuram ſuam impletur, tunc exudat foràs: quicquid autẽ per capſulam exudat, aereum eſt & minimè ponderoſum,ſed ſpiritus leuis. Dici quidem ſolet, pulmones ventilare cor frigido aere, ſed multò plures vani ſermones dicti fuêre:refrigeratio enim, quã facit pulmo,toti corpori inſeruit,& non ſoli cordi: alius enim calor eſt cordis, alius epatis,alius alibi,neq; verũ eſt omnem calorẽ à corde deſcendere, imò quodlibet membrũ ex ſe ſuum calorem habet:quare cõmunis refrigeratio hîc fit.

Cordis tartarus.

Sed de excrementis cordis hoc ſcitote, quando tartarus in capſula cordis coagulatur, & ſpiritus ſalis amplectitur ipſum, tunc ſtatim fit generatio tartari, in ea forma, in quam inclinata eſt prima materia, quæ præſens eſt: atque ita generatur tartarus in capſula cordis, vnde plurimi morbi naſcuntur, qui varijs nominibus peregrinis nominantur, nempe cardiaca, tremor cordis, &c. vt in ſuis capitibus recenſetur. Paroxyſmus autem iſtorum morborũ fit cum paroxiſmo calculi, & eſt paroxyſmus ſimilis, cùm tamen alius ſit iſte calculus, & aliter poſitus, quàm vulgaris, ideo etiam alios paroxyſmos habet, ideo cæcutiunt medici, & quærunt alia nomina, dicentes, eſſe iſtum vel iſtum morbum, & fluere ex melancholia, cholera, &c. neſciunt enim ſtulti iſti, quòd cor nunquam eò redigere poſſint, vt hæc in ſe contineat, quæ ipſi attribuunt, & in ipſo eſſe affirmant: ſed quoniam nemo ipſis contradicit, liberum eſt eis mentiri, & fallacias proponere, ſuosq; humores in veræ cauſæ locum ſuſtituere: nemo loquitur contra illos,

Morbi cordis tartarei.

illos, itaque manent tales,quales ſunt: ſed videte vt præceptum Dei ſeruetis: Neminem occidas, quare diſce tantũ vt ne occidas, aut agrum potius cole: certè hoc præceptum ad omnes artes pertinet, quæ hominem occidere poſſunt ſiniſtris vſurpatæ:non enim de gladio tantũ dictum eſt, imò etiam artes cõprehendit,&c. Vos medici gloriamini plurimũ de anatomiæ ſcientia,& tamen neſcitis ea,quæ inſpicitis:id quod in manu habetis non nouiſtis: vt doctores Noribergenſes quando viſitant apothecas, ſæpè in manu habent id,de quo interrogant, an id etiam apothecarius habeat, & quomodo iſti homines omnes leproſos Germaniæ examinabunt, ô fallax ipſorum examen, & falſę delationes,quàm commodum eſt eis, quòd ſibi ſimilibus aſtant: quòd ſi non eſſet, quomodo ſtarẽt, non ſolùm in leprę iudicio,ſed etiam in alijs mendacijs ad hæc pertinentibus.

Quin & ex felle promanat tartarus, *Fellis tartarus.* naſcens ex fellis excremento,ſicut in alijs membris, ſed tamen tartarum illum in ſe retinet,nec eum vlterius mit-

tit: in felle enim materia tartari iacet, quæ ſi non exeat, ſed ab excremẽtis ſeparetur, tunc generatur talis forma tartari, qualis in felle eſſe ſolet. Ex hoc quoque tartaro morbi ſui naſcuntur, nempe paroxyſmi, quos quilibet tartarus proprios habet, ex quo tempore paroxyſmi compreſſiones, vomitus, torſiones, exundatio bilis oriuntur, quæ poſtea in inteſtinis colicã, & ſimilia pariũt: medici verò de aliꝭs anatibus cœruleis nugantur, cauſasq; alias afferũt: niſi autẽ in tartaro cauſam ponas, & originẽ in felle cauſato à tartaro, qui in veſica fellis continetur, curamq; dicas eſſe, vt tartarus iſte ex felle auferatur, non poteris ſuccurrere ægro: vos autẽ in iſtis morbis tam egregiè inſtructi eſtis: quandoquidem vobis veſtri cœrulei fumi conceduntur & creduntur, vt vobis optimè placeatis & gaudeatis, & quicquid in mentem vobis veniat, verum eſſe oporteat, &c. Quare morbos fellis bene perdiſcite, quòd ſcilicet ex tartaro pendeant, & ſcitote quòd fel maiorem inimicum non habet, quàm excrementũ, concurrente tartaro ſeparato,

Morbi fellis, colica, &c.

rato,

rato, vel non ſeparato: in paroxyſmo autem ſuo tartarus bilem expellit, idq́; multis modis & vijs, quas hîc nõ opus eſt deſcribere: ex hac cauſa oritur morbut icteritius & alij, qui modò adſunt, modò recedunt: quilibet enim icterus, qui non curatur ſuo vulgari remedio, obnoxius eſt tartaro, nec curatur, niſi tartarus remoueatur, &c. quare diligentiam adhibete: quin & paroxyſmos tartari bene cognoſcite, nempe quòd contracturam, ſpaſmos, putrefactiones pariat, totumq́; corpus perquirat: ita etiã hoc loco facit: affert enim icterũ, contracturam, colicã, & compreſſiones circa foueam cordis iuxta cardiam & xiphoides, ſimiliter vomitus & ſtomachi cruditates. Hæc autẽ omnia non pudet medicos attribuere cholerę, apud me hęc eſt mira cholera, ſanè eſt cholera à-pud vos fatuos, non autẽ apud peritos: ſatisfacitis tamen huic rei pro perſona veſtra, prout vos eſtis homines: quoties in felle reperta eſt generatio calculi, & vltima materia calculi, &c. ſed vos Mataeoſophiſtę non ſoletis maculare manus, ſi ſciatis poſitũ fellis, videmini vobis ſatis ſcire.

Icterus ex tartaro.

Signa tartari.

Splenis tartarus.

Similimodo de ſplene ſciēdum eſt, quod & ipſum materiam calculi in excrementis ſuis habeat: dicunt autem vulgò medici, quòd ſplen ſeipſum purget per oculorum vias, quod falſum eſſe reperitur: vbi enim eſt exitus & emunctorium membri, ibi & ſanitas membri eſt quærenda, vt de ventriculo, qui emunctorium ſuum habet per monoculum: ſi igitur laboret ventriculus aliquo morbo, hac via is expellitur, & hac via quoq; ſecedit: quòd ſi id non fiat morbo, eum affligi oportet: ita etiam de vrina & via eius intelligendum: quòd ſi igitur ſplenis emunctorium eſſent oculi, oporteret quoq; nos habere certas medicinas, quæ lachrimas cierēt, & per illas ſpleniticos morbos quartanam nempe, oppilationes, &c. propellerent: cùm verò ſplen minimè per lachrimas ſuos morbos pellet, neque epar ridendo: hæc non erunt emunctoria eorum, ſed aliud eſt ridere & lachrimari. Magnus igitur error eſt, quòd medici obliti ſunt, omnia emūctoria habere ſuas medicinas, nempe inteſtina, colocynthidem & eſulam: orifi-

orificium ventriculi* rupalen, præcipitatum: epar Pt. Mz. veſicam, raphanum, linariam nares elleborum, perſica, betam, &c. ſed ad lachrymas nulla vnquam inuēta eſt, quæ ſplenis emunctorium purgaret: quales autem iſti doctores in omnibus ſuis rebus ſunt, tales etiam in hoc ſunt. Atque hoc quoque vnum eſt ex punctis ſapientiæ ipſorum: ita enim quartanam per oculos expellerent, ſed alijs modis eos rem aggredi oportet, nempe per ſedes, ſudores, & ſimilia: hæc omnia affert error ipſorum in anatomia, philoſophia, & luce naturæ. Splen igitur obnoxium eſt tartaro, quem ex ſuis excrementis concipit: ventriculus verò ſplenis eſt in ipſius poris, vbi concoquit & ſeparat nutrimentum ſuum ab excremento, quòd ex poris in forma ſubtilis aquæ bene clarificatæ procedit: & porrò diſtillatur in veſicam, vt in ſuo loco dicitur. Separato hoc modo ac diſpoſito excremento, & ſpiritu ſalis concurrente, generatur tartarus, qui & ipſe eryſipelata efficit, ſed nullas quartanas.

Singulorū membrorū purgationes.

Carbunculi cauſa.

Vt igitur dictum eſt ſuperius, tartarũ membrorũ principalium congnoſcite priuſquam ęgro dicatis cauſam morbi, tunc tartarũ obſeruate, & ſingulariter ſeparate: præcipuè verò quòd hoc loco dicitis, ſplen ſeipsũ purgare per oculos, aut fel per aures, vtrunq; eſt falſum: ſed vos propterea ea dicitis, quòd nemo ea facilè experiri poſſit, ideo vobis creditur hoc quaſi violentũ mendaciũ. Quis enim contra tantã turbam academiarum, vbi tot viuunt ludimagiſtri, procuratores, poetæ, hiſtorici, Græci, Arabici, Iudaici, &c. loqueretur? ſi vos veri doctores eſſetis, veſtri certè libri eiuſmodi doctrinas traderent, ne quis facilè vos ſuperare conaretur: ſed hic eſt veſter defectus, quòd libri veſtri nullius pretĳ ſunt.

TRACTATVS QVINTVS de Tartaro ſanguinis, carnis, medullæ, & cambĳ, qui eſt cauſa podagræ, iſchiadis, &c.

De tartaris tertiæ digeſtionis

ALiud quoq; eſt tartari genus extra principalia membra poſitũ, nempe in ſanguine, medulla, & alĳs, quę huius

ius ſunt generis. Non tamen hîc ſubintelligimus lachrimas: non enim certò ſcitur vnde eæ proueniunt, & qualis ſit earũ materia & ſubſtantia: à ridendo enim & flendo veniunt: vtriuſq; autem horum origo incerta eſt, quare hoc loco de ijs nihil ſcribitur. De ſanguine verò, carne & medulla ſciendũ eſt, quòd ipſa etiam tartarum ſuum generent, & vt ſuperiùs de alijs dictum eſt, quòd & ventriculũ ſuum habeāt in ſe, omnémque digeſtionem vnà cum ſpiritu ſalis, ex quo ſequitur, quòd in iſtis membris tanquam in alijs tartarus naſcatur, de quibus dictum. Primò verò dicendum eſt quónam rejciant ſua excrementa: ſciendũ igitur eſt excremēta ſanguinis nihil aliud eſſe quàm ſudorem per poros cutis penetrantem: carnis verò eſſe cruorem in carnis exteriores partes extillantem: qui autē in medulla eſt, cum conſumit ſiccitas oſſium, quicquid autem non conſumitur, id ſecedit in concauitates articulorum, ligamentorum, &c. De iſtis tribus vtpote communiori bus peculiariter dicendũ eſt: de alijs verò tartari generib. ſuo loco loquemur.

Excremēta ſanguinis carnis & medullæ.

De ſanguine igitur, carne & medulla bene notate: quòd multi maximi morbi ex ſuis deſcendant: quoniam multæ aliæ redduntur cauſæ, ſed falſæ: quare hoc tartari genus obſeruate, quò errori prçueniatur maximo, per quem multi homines in mortem deducuntur, tantùm ex temeraria ignorantia medicorum vulgarium. Scitote igitur duo eſſe genera tartari, vnum ſitum eſt in proprio vẽtriculo dictorum trium: alterum in ipſius exitu. Exitus quidem ſanguinis eſt ex venis per cutem, & poros: ventriculus verò eius eſt in ipſo ſanguine: carnis exitus eſt à carne ad veſicam vſque, ventriculus verò eius eſt in ipſa carne: ita & de medulla, cuius ventriculus eſt in ipſa medulla: exitur verò in venis, neruis, membris, oſſibus & concauitatibus articulorum. Iſta diſcrimina notatu digniſſima ſunt, deinde etiam paroxyſmus tartareus: qui enim paroxyſmos tartari non nouit, is immeritò in medicina medicus appellãdus eſt: tartareus enim paroxyſmus, tartariq; loca dant medico cognitionẽ eorum ægrorũ, quos curare nequit,

Nota.

quit,quos incurabiles notat,& qui tam ipſi, quàm arti ipſius glorioſum nomẽ pariunt. Quare in omnibus anatomijs ſummoperè animaduertenda eſt iſtorum ſęuorum morborũ natura & poſitus, vt nota fiant ea, quę hactenus medico pudorem attulerunt. Primùm itaque ſcitote, ſanguinem, carnem & medullam atttahere ſuum nutrimentum, & illud in ſeipſis digerere, ſeparando ea quæ nihil valent, nec ad ſe pertinent:hæc autem tria magna ſunt, magniq; momenti, cùm maxima pars corporis ex his conſtet. Præcipuè verò notandum eſt, digeſtionem ipſorum tam eſſe ſubtilem & exquiſitam, eorumque nutrimentum adeò præparari & diſtillari, vt nullum chaos aut aer tam clarus ſit:nihilominus quando ſeparatio fit, tunc ipſorum excrementum viſibile fit, ſed tamen ſubtiliſſimum: nutrimentum verò eorum eſt inuiſibile,& quaſi ſpiritus egrediens ex ore, & trahens ſecum inuiſibilem vaporem non palpabilem. Hoc verò nutrimentum in ſanguine, carne & medulla adhuc ſubtilius fit,& quicquid in

Ex inuiſibili nutrimẽto ſeparatur excrementũ.

ipſo craſſiuſculum eſt, quanquam ſit inuiſibile & impalpabile: clarificatur tamen in horum trium vẽtriculo melius, & quod corpori ſimile eſt,ſeparatur, idq; eſt ſudor, qui eſt palpabilis & viſibilis,quanquam in corpore cùm eſſet, tam ſubtilis erat,vt aeri aſſimilaretur:in ſeparatione enim ſua debita,quę ipſi cõuenit inuenitur, quid tale chaos vel aer ſit:de hoc loquẽdum nobis eſt, non de nutrimento, quod nihil aliud quàm ſpiritus eſt ſine omni ſenſibilitate: excrementum verò eius eſt viſibile. Similiter & carnis ac medullæ nutrimentum tantum ſpiritus eſt ſine omni ſubtilitate: excrementa verò eorum ſunt viſibilia, attamen omnium totius corporis humani excrementorum ſubtiliſſima ſunt.

De excremento ſanguinis notate quòd tartarus cum ipſo tam ſubtiliter miſceatur & trãſeat,atq; in vino ardenti, deſtillato & circulato ſubtiliſſimè, qui tamen tartarum in ſe habet:vinum quantumuis ſubtile ſit, & quantumuis puriſſimè deſtilletur: attamen tartarũ in ſe continet; ita hîc quoq; fit,quamuis

uis enim ſubtiliſſima digeſtio hîc fiat: ſeparatio tamen tam perfecta quoque eſt, vt in nutrimento nihil relinquat, quòd non remoueat: quare tartarus iſte ſubtilis eſt & multiplex in eſſentia ſua: ſcitote enim quòd à ſpiritu ſalis coaguletur, & per eundem quoq; reſoluatur. Hîc igitur notate, quòd omnis tartarus ſanguinis, carnis & medullæ duplici modo ſe habeat, coagulationis & reſolutionis: & quamuis verum ſit, alias quoque digeſtiones ſæpè tartarum reſolutū parere, non tamen ſimilibus de cauſis id fit, ſed ex peculiari: hîc verò non ita intelligenda res eſt: hîc enim ſeparatio & digeſtio tam ſubtilis & repentina eſt in ſuo Vulcanio athanar, concurrente Archeica præparatione, vt tartarus, qui ad coagulationem deſtinatus erat, frangatur, & in aquam reſoluatur, & qui ad reſolutionem tendebat, in illa ipſa reuertatur ad coagulationem, perinde ac ſi quis ferro aquam faceret, & ex eadem aqua rurſum ferrum, aut ſi quis ex granatis mucilaginem faceret, & ex illa rurſum granata, aut aliud genus ſimile.

Coagulatio et reſolutio tartari ſanguinis.

Nota.

Hic igitur obſeruate, quòd tartarus iſte ex elemento aquæ proueniat, ſiue ex potu, ſiue ex cibo ſit:idcirco coagulabilis eſt & reſolubilis, vt dictum eſt: in ſuam enim vltimam materiam redit: aqua enim matrix eſt omnium harum genetationum. Quando igitur in ſanguine, hoc eſt, in venis huiuſmodi excremẽta tartari remanent, tunc ſanguis repletur granis eiuſmodi quaſi triticum aut ſimilia, quin & extra venas aut poros eiuſmodi grana naſcuntur. Et quanquam plures fiant reſolutiones quàm coagulationes: tamen ſi diutius in ſpiritu ſalis morentur, ad coagulationem tendunt. Eſt & pituitoſum quoddam excremẽtum ſanguinis:quòd ſi craſſiuſculum ſit nec tranſudet, ſed pituita maneat, ſcito tartarũ cum excrementis eſſe mixtum & vnitum, nec ex eo generari amplius tartarum, ſed excrementum & ſtercus, quod ex vtraque natura excrementi & tartari conſtat, ex quo ſingulares morbi ſanguinis producuntur. Scitote igitur quod hoc excrementũ dum præſens eſt naturæ obnoxium, eſt eo modo,

Pituitoſus tartarus ſanguinis.

do, quòd id, quod nihil valet, putrefacit & expellere nititur, ne cùm ipſa ſit, quæ corruptio naturæ ipſius morbus & perditio fit: ex putredine igitur ipſius tartarum & excrementum adeſſe coniecturabis: quale autem illud ſit, ex ipſius effectu diſces, rationem tibi hîc aperire non eſt neceſſe.

Porrò dicamus & de tartaro, qui in carne generatur: caro igitur eſt ſulphur, ſal & mercurius coagulata in ſubſtantiam mollem: ventriculus verò ipſius eſt liquor ille, qui carnem in mollitie conſeruat: liquor igitur eſt ventriculus carnis, ipſiq; connatus eſt, & materia ab ipſa inſeparabilis. Ex hoc ventriculo verò, multi morbi dependent, nempe omnes phthiſes: quicquid enim contabeſcit, originem ſuam trahit ex illius membri vẽtriculo: quare quando caro contabeſcit, ſcitote etiam ventriculum de quo hîc dicitur, contabeſcere, hoc eſt, non digerere aut nutrire. Tartarus autẽ carnis generatur, quando liquor carnis & nutrimenti ſeparantur, & rurſum hæc duo ſeparentur, nempe carnis excrementum ab excre-

De tartaro carnis.

mento nutrimēti, tunc generatur tartarus eo modo, vt dictum eſt de alijs. De locis verò in quibus iſte tartarus generatur & ſedem ſuam figit, hoc ſcitote: omnis liquor carnis, qui quidē ventriculus eſt carnis, purgat ſe per ſudorem interiorem: venulas enim, poros & orificia ſua penetrat, donec ad veſicam & vrinam deueniat: eſt autem duplex ille ſudor nutrimenti & liquoris carnis, ſudor, tartarúſue nutrimenti ſuam viam & ventriculum, quem pertranſit, oſtendit quātum ad ipſum pertinet: carnis autem tartarus per totum corpus vagatur. Atq; hîc notandum eſt, quotquot morbi ex carne pendent, aut aliquid cum ea commune habent, omnes in vrina animaduerti; qui autem carni non participant, in iſta vrina non deprehendi. Anatomiam igitur vrinæ obſeruate: in ipſa enim totus eſt microcoſmus, eiusque notitia laudi eſt medico: qui autem hanc anatomiam vrinæ, quæ quaſi ſpiritus in ipſa latet, non cognoſcit, is ſuis nugis accurrentes decipit, & mendacibus indicijs fallit. Ex hac vrina in renibus & veſica

veſica multi tartari naſcuntur, ſcilicet ex iſtis ſudoribus & excrementis, quos qui ex proprietatibus ſuis agnoſcere ſcit, vnà cum cura, cuiusque, is longè plus, quàm dimidiam medicinam nouit. Iſti enim tartari ſiue lapilli in multis locis corporis reperiuntur, ſæpè priuſquam veniant in regiones renum & veſicæ, quod notatu dignum eſt: efficiunt enim multas oppilationes & chronicos morbos in coxis, lumbis, dorſo, membris, lateribus, & ſimilibus locis, & quidem peſſima genera calculorũ his in locis fiunt: maiores enim & duriores ſunt & magis anguloſi, quàm rotundi, multoq́; copioſiores, frequentioribusq́; ac ferè quotidianis paroxyſmis obnoxij, quàm alij calculi, qui ex vrina oriuntur, de quibus ſuum caput habebitis.

Tartari carnis morbi.

Simili modo de medulla intelligite, quòd ipſius ventriculus ſit liquor ipſius: liquor autem iſte eſt pinguedo carnis, tenuis aqua ſanguinis, imò eſt ſpiritus: iſte medullæ ventriculus tam habet ſuam digeſtionem competentem medullæ, quàm alij ventriculi.

Tartarus verò eius non eſt coagulatū quid, PINGVEDO ENIM NON GENERAT COAGVLATIONEM, SED TANTVM MACIES, OB ID PINGVEDO TARTARO RESISTIT, NEC EST MELIOR TARTARI PRAESERVATIO. Quando igitur tartarus medullę coagulatur, & tamē ſeparatur, tunc reſoluitur, hoc eſt ex ipſo fit peculiaris liquor, qui æquè atq; tartarus coagulatus obnoxius eſt paraxyſmo tartari cū omnibus calculoſis ſymptomatibus & accidentibus. Hîc autē tartareus liquor morbos plurimos gignit, quos vocamus fluxiones & vagabundas conuulſiones, &c. pro regionum natura, etiam guttam, medullæ, phthiſin, &c. & tamen nihil hæc ſunt, niſi liquor pinguis tartari, qui ad iſchiadem & arthritidem eſt diſpoſitus. Notandum igitur eſt, quòd omnes arthritides & iſchiades, quæ non ſunt podagra perfecta, tantùm ſunt liquor tartari, qui incumbit nodis, articulis, neruis, iſchio, &c. ſicut pinguis ſuccus, & paroxyſmum ciet illis in locis ſicut cal-

Morbi ex tartaro medullæ.

calculus alius, pro natura ſui paroxyſmi: qui igitur nouit curare & tractare iſtum liquorem, is & morbos dictos curabit: qui verò non, is neque morbos curabit. Hîc verò conſiderate, quàm inutilibus medicamẽtis ſcriptores rem aggreſſi ſint, qui conati ſunt ſuis ineptis & ſtultis medicinis arteticam, ſciaticam, dolores iuncturarum, &c. curare. quæ tam conueniebant his morbis, quàm dexter erat ipſorum intellectus, nihil ſciuerunt, nihil etiam effecerunt. Commiſcetur etiam iſte liquor pluribus alijs morbis, qui extra tartari naturam corpus affligunt, adeoq; ijs aſſimilatur, vt ſæpe fallat, & difficulter agnoſcatur, ſed qui paroxyſmum tartari nouit, is ſcit vbi lateat, & ſe immiſcuerit, & cum quibus morbis participet: omnes verò illi morbi, qui ita tartaro cõiuncti ſunt, duplicem paroxyſmum habent, nempe appendicem ab alijs morbis, ab hoc verò liquore ſuam proprietatem. Talis commixtio multipliciter fit in lepra, quæ quidem maxima cauſa eſt, quòd medici vulgares aiunt, lepram eſſe incurabilem: non e-

nim olfecerunt tartarum, neq; curam eius, nec mirum eſt, ſi ſit ipſis res incredibilis, non enim intellexerunt rem. Sed neque ſolum inuiſibilem paroxyſmum excitare iuuat, imò & viſibilem, dum liquor iſte tartareus medullæ, commiſcetur morbis chiragricis, & ad loca illa ac emunctoria ſe effundit, & vnà cum ſale corrodit & excauat: nam & ipſe hanc proprietatē habet, vt corrodat & abſumat mordēdo. Hinc ſæpè vbera pinguia inueniuntur, qui ſolummodò iſta pinguedine ex medullæ tartaro laborant. Quòd ſi verò non commiſceatur alijs, vt ſuprà dictū eſt, tunc quoniā calcinatiuæ & corroſiuæ proprietatis eſt, propriam arrodit medullam, & oſſibus adhæret, & illa erodit, pariens dolores incurabiles, niſi tartarum iſtum aggrediamur, de quo hactenus magnū fuit ſilentium: quare medulla in ipſis oſſibus cōſumpta fuit per excrementa, quæ non in alias regiones, hoc eſt, in articulos, carnem, venas, neruos, gluten ſeu cambium euagata ſunt: quando autē ex ſuo loco egrediuntur, multos morbos inuenietis ea parere, quorum

quorum origo falsò & fictè, nec nō eorundem medicamenta è veteribus deſcripta fuêre.

Tartarus cambij.

Eſt & in glutine ſimilis digeſtio, qualis de reliquis commemorata fuit, per quam ſegregatur tartarus quidam, qui & ipſe ſuos morbos gignit: gluten autem præſtans pars eſt corporis, omniumq́; maximè ſenſitiuū, & quod omniū minimè affectiones vllas pati poteſt. Excremētum autem tartari ipſius eſt duplex, vel liquor, vel coagulatum quid: primò eſt liquor: deinde à ſpiritu ſalis longo tēpore coagulatur in ſuam formā, quæ quidem iuxta illā proprietatem fit, quę facilè agnoſci poteſt: multæ enim podagrę, chiragræ, gonagrę inueniuntur, quæ cū iſto liquore tartari cōmixtę ſunt, quorū cura nondum cognita eſt: nondū enim tartarum iſtum cognouerunt, ergo nec curā ſciuerunt: hanc podagrā dicunt eſſe incurabilē, iſtis autoribus ſcil. & ſimilibus, ſanè neceſſe eſt ab ipſis nō curari, cùm non intelligāt cauſam: nondū multa vera didicerunt, ideò hîc quoq; grauius errant, nec nō eorū aſſeclæ, qui profectò pluri-

Podagra incurabilis

mum delectantur loquacitate & fallaciȷs, ſimile ſimili plerunque aſſociatur: nihil norunt, niſi quòd ab ęgrotis didicerunt: eſt autem imperfecta doctrina, quando diſcipulus magiſtrum docet: ęger enim nihil aliud docere medicum poteſt, niſi quòd de dolore & ſua natura loquitur, aliud nihil ſciunt etiam iſti medici, ſicut manifeſtum eſt: miſcent enim in morbis mendacia mendaciȷs nullo excepto, nunquam cœli mentionem faciunt, neq; concordantiæ, neq; aſtri, in quibus præcipuè ſita res eſt medica, ſed neq; primam aut vltimam materiam norunt, aut quid ſit homo, quid ſit corpus ipſius, & tamen omnia regere & diſponere volũt, cùm tamen neſciant quid id ſit, quid ſubiectum eorum eſt: idcirco etiã fides eorum magna eſt, opera verò parua. In podagra igitur ſcitote multos calculoſos paroxyſmos contingere, ſimiles forti paroxyſmo calculi, qui ſæpe multiplices proprietates habet, quæ non ſunt, ſunt de natura podagræ, ſed ex calculoſa natura proueniunt; iſti autem medici curare hæc volunt podagricis

ægricis ſuis medicamentis, quibus tantummodò morbum exaſperant, medicina, quę tartarum vincit, eadem & podagram vincit in talibus rebus: ſi igitur neſcias tartarum tollere, neque hanc podagram curabis. Igitur in tuis libris manet iſta podagra incurabilis: falſum enim eſt fundamentum tuum, quare non pudet te mentiri, facis certè quantum potes, & quando ſummas vires adhibes ſummus deceptor es: in principio enim & cauſa erras, & cum mendacijs tuis in roſarum horto ſpaciaris.

Ita igitur intelligite capita, quæ de podagra ſcribuntur, hòc eſt, diſcite quid ſit diſcriminis inter podagram per ſe, & quid ſit, ſi liquor iſte cambti tartareus ei immiſceatur: præcipuè verò ſi iſte tartarus coaguletur & lapidoſus fiat: TVNC CIVITARIS CALCINATIS MEDICINIS: QVICQVID ENIM LIQVOR FVIT AB INITIO IN PRIMA SVA MATERIA, HOC REDIT IN LIQVOREM. Hanc tranſmutationem te nouiſſe oportet, ſi in medicina aliquid ſapere velis; ſin deſi-

ne garrire, ſed nummi, qui mendacio comparãtur, melius tibi ſapiunt, quàm veracitate acquiſiti, hoc docent Academiæ.

TRACTATVS SEXTVS

De alijs duobus generibus calculi extra cauſam tartari ſeu fæcum nutrimenti, nempe vel ex microcoſmica congenita materia, vel ex materia lapidea externa, à nobis intra corpus ſumpta.

PRæter ſupradicta genera calculorum adhuc aliæ generationes lapidis in homine ſunt, qui extra cauſam tartari oriuntur & naſcuntur, quorum generatio ſimili modo fit, vt lapidum exteriorum: cùm enim homo microcoſmus ſit, in ipſo etiam generationes mundi maioris cum ſuis proprietatibus fiunt, vt philpſophia docet: atque iſtæ generationes contingunt etiam in illis, qui non ex tartarea cauſa calculoſi ſunt, imò quorum digeſtio, ſeparatio, &c. bona eſt, & in quibus tartarus excrementis

crementis commixtus manet, & abſque contactu ſpiritus ſalis egreditur. Eſt itaque hoc peculiare genus tartari. ſimile quidem ſuperiori, ſed non tamen coniunctum cum paroxyſmo tartareo, figura aut forma, &c. ſed generatum naturali modo: & cùm duplices ſint generationes, duplices etiam eſſentiæ adſunt, tartarus in ſe paroxyſmos habet, iſti autem lapides minimè: quòd ſi verò cum paroxyſmo veniant, id fit ratione confinij & loci propinqui illi loco vbi ſiti ſunt, aliàs paroxyſmo caret, nec paroxyſmi illi lapidi, ſed loco confini imputari, & iuxta illum cognoſci debent. Eiuſmodi generationes multę pueris etiam contingunt duplici modo, vel à natura congenita, vel à cauſa ipſorum propria: de quibus in ſuis capitibus ſpecialiter tractatur: hoc autem propterea dico, vt & in iunioribus hæc genera lapidum animaduertatis: ſæpè enim ſic lapidibus replentur, & ſæpius quàm ſeniores: eadem tamen cauſa eſt, & in ipſis & in iunioribus. Dicamus igitur, quomodo lapides generentur

iuxta curſum naturæ extra tartaream materiam, eſtq; duplex materia huius generationis: quælibet tamen prima materia eſt ad lapidem diſpoſita: Prima in nobis eſt eo modo ſicut lapidea materia eſt in mundo maiori: altera ab extra in nos venit, id eſt, nos ipſi eam intra noſtrum corpus ſumimus, vt ſi hauriamus potum, qui ſit de genere lapideo, & non nutrimentum, ſed ipſa materia lapidum: quælibet igitur harum duarum lapidem in homine generare poteſt: id autem quod lapides facit, eſt elementi illius aſtrum, quod aſtrum ſpiritus ſalis eſt, is congelat materiã: verius enim eſt congelatio, quàm coagulatio.

Duo genera calculi non tartarei.

Primùm itaque ſcitote, quatuor in nobis eſſe elementa, & in his quatuor materiam lapideam comprehẽdi, hoc eſt, in illa aqua: ignis autem ſeu ſpiritus ſalis cuiuſlibet elementi eſt propria congelatio, itaq; erunt quatuor aſtra, quatuor ignes, id eſt, quatuor ignis ſeu ſalis ſpiritus. Quando igitur in aliquo elementorum materia generationis ſe exerit: adeſt etiam aſtrum, quod ipſam con-

Lapis ex materia congenita elementari

congelat: ſicut in cœlo nullus eſt lapis, nullum fulmen aut lapis ceraunius: quomodo igitur ille prouenit & generatur, ita & hi generantur: non enim comparantur lapidibus fluuiorū, montium, & ſimilibus, ſed lapidibus fulminis, cuius generatio eſt illi ſimilis, de qua hîc agimus, eſtq; eadem in microcoſmo, & in cœlo.

Generatio fulminis.

Deſcribamus igitur prius generationes exterioris mundi: ſcitote itaque quòd lapides illi ex elementorum lapideis aquis oriantur, attamen primò non ſunt lapides, ſed quaſi ros quidam eleuatus ex ſuo elemento in peregrinum, ita vt aliud elementum alterius vltima ſit materia. Atque ita primæ materiæ lapidum fulminarium in cœlo terminatum, hoc eſt, mundus ille ſilens in ſe harum mirabilium rerum generationem continet: mundus verò ille eſt res inuiſibilis in philoſophia, ſed in vltima materia fit res viſibilis. Quando igitur ſpiritus ſeu halitus illi cœleſtes ex ſale generati in cœlo dominantur, tunc contingit fulminaris illa generatio, hæc eſt materia ſpirituū: tem-

pus autem eſt illud, quod eam congelat, in qua congelatione multa alia con currunt, vt in Meteorica docemus. In coniunctione itaque congredientium elementorum generatur in cœlo fulminaris lapis, qui poſtea verſus terram proijcitur, & ſæpius quidem fit, quòd non animaduertatur. Similiter & in corpore hæc aſtra & elemēta eſſe ſciatis, ſicut in cœlo ſunt: homo enim cœlū eſt, hoc eſt, omnes homines ſimul ſunt cœlū, hoc eſt, ex vno limbo, ita quidē vt vni hoc, alteri aliud cōtingat, diuiſi ſumus in partes diuerſas, ſed ſimul tamen conſtituimus vnū cœlum. Hinc conſequitur quòd ſubitò in vna hora, imò minuto eiuſmodi lapis in homine generetur, eo modo vt dictū eſt. Poſſemus quidem opificium huius generationis exactè proponere: ſed non opus eſt, quòd medicus pręſupponatur eſſe philoſophus & aſtronomus: quare ſpero hæc omnia apud medicos multifariā iam eſſe nota, & ob id leuis narratio & inſtructio ſufficiet, ídque hoc modo: Quodlibet fulmen ex ſale fit, & in ſua materia nihil aliud eſt,

quàm

quàm ſal, quin & ſpiritus ſalis ſeipſum congelat: quòd verò fulmen cũ impetu venit, in cauſa eſt, quòd ſal cũ ſulfure nõ vult vniri, ſal verò in lapidẽ tranſit & ſulfur in flammam, hoc eſt, fulgur fulminis: ſulfur enim cõburitur in aere inter cœlũ & terram: ſal verò fit lapis & in forma lapidis deſcendit. In homine verò etiam tales primæ materiæ ſunt, tales ſpiritus, talia aſtra, tale tempus, & talis curſus: qui igitur hominũ hunc curſum habet, prout tempus fert, in quem incidunt, is minimè effugiet generationi lapidis, imò apud eum naſcetur & inuenietur. Eiuſmodi autem lapides non longè ſunt abſimiles lapidibus fulminis, colore, & alijs accidẽtibus, excepta duritie, quę non eſt tanta, & tamen duriores ſunt aliјs lapidibus. Si igitur theoriam huius lapidis micro coſmici benè cognoſcere velis, primò addiſce generationẽ fulminis, tunc & huius lapidis materiam habebis: quare non opus eſt multa dicere, cum hoc in loco philoſophia medicũ doceat cauſam lapidis: quod autẽ medico in cura neceſſariũ erat ſuis capitib. commẽdo.

Fulminis ad hominẽ accommodatio.

Locus lapidis in homine. Sed de loco generationis vbi iſti lapides in homine generãtur & poſiti ſunt, ſcitote totum corpus hanc generationem procreare: eſt enim quaſi vnus olympus, in quo omnia cooperantur; corpus enim quod mollius eſt, materiam compingit & conflat, quæ congregatur inter generandum in chao vel, aere corporis, hoc eſt in locis vacuis corporis inter verticem & calcem, ex illo medio generatio verſus fundũ tendit, medium quidem cœli eſt in loco ſtellarum, in homine verò diaphragmatis concauum; fundum in fulmine eſt terra, in homine verò fundum eſt veſica & ipſius regio, & quicquid eſt ſub renibus & loca finitima. ſicut autem fulmen in terram cadit, ita hîc lapis in renes aut veſicam: ibidem enim ſita eſt anatomia terræ & aquæ, hoc eſt, planities globi inferioris: *Veſica terræ et aquæ locũ habet.* cùm itaq; iſta regio ſit planities ſphæræ inferioris, ſequitur eam etiam eſſe locum illum, in quo hæc generatio aſſeruari debet. Non ſolet autem lapis iſte cõgelatus cadere, ſed liquidus: ſed congelatio eſt tam vehemens & repentina,

tina, vt congeletur, quamprimùm inferiorem planitiem attingit, ſicut & quodlibet fulmen in regionis inferioris ſphæræ planitie primùm lapideſcit, cùm prius eſſet liquor, hoc eſt, liquor lapideus: congelatio enim in loco peregrino incipit, non in propria & ſua regione. Scitote igitur quamlibet eiuſmodi generationem quando reperitur, non ibidem natum eſt, ſed in peregrino & alieno loco iacere, non in ſuo: neque talem eſſe, qualis eſſet in ſuo loco, ſicut in igne liquidum eſt: quando autem ex igne effunditur, indureſcit & congelatur: tam potens enim eſt ſpiritus ille igneus ſalis, vt illos liquefaciat, donec ad locum effuſionis deſcendant, tunc indureſcunt: vt in noſtra Meteorica docemus.

Sicut autẽ ſol lapides generat, quando eorum materiam nactus eſt, hoc eſt ſi aqua vel liquor alius lapideam ſubſtantiam in ſe contineat, quę lapis fuit, ſed per aquam reſoluta fuit à ſua congelatione, ita vt aqua abſtulerit ſuam congelationem: multi enim lapides ſunt eiuſmodi, qui nequeunt reſiſtere *Generatio lapidis in homine ex aſſumpta externi lapidis prima materia.*

aquæ quin reſoluantur: quando igitu Sol poteſt exiccare illos lapides vnà cum aqua, tunc regenerantur, hac de cauſa arena & plurimi eiuſmodi lapides quotidie accreſcunt & multiplicantur, vt in Meteoricis docetur: Ita ſi in hominem inſcium per potum aquæ deneniant bolus, lapis, viſcus, arena, &c. in aqua ita reſoluti, tunc in corpore non aliter ſe res habet, quàm ſicut in terra: vnde ſequitur, ſi natura non expellat hanc materiã, ſed in homiue ea remaneat, exiccabitur per interiores ſpiritus ſiccos, ſicut aqua à vento aut ſole, &c. & lapis inde naſcetur, qui multis in locis in forma lapidis terræ apparet. Quin & hoc ſciendum eſt, ſæpè in homine cùm illam frigidam & hyemalem dominari tam efficaciter, vt ex ſua natura eiuſmodi liquores cõgelet ſicvt glaciem, quæ tamen rurſum liquefit: ſi enim in homine æſtas & hyems ſunt, erunt etiam in ipſo ſuperioris & & inferioris ſphæræ corpore: vnde ſequitur humiditates in corpore congelari, illas ſcilicet, quæ ex partibus corporis exhalant, quas vapores nominamus,

Congelatio vaporũ per interiorem frigiditatem.

mus, & ſunt poſiti in ſanguine, & vbi humiditas eſt in corpore: illi enim vapores ſunt in homine aqua illa, quæ in terra congelatur, qui & forſan humores poſſent dici, ſed non eo ſenſu, quo veteres humores intelligunt. Quando autem iſta congelatio diſſoluitur, conſequuntur morbi apoſtematum, puſtularum, & ſimilium, quos ſcriptores veteres nondum rectè intellexerunt: ſed hæc fuſius tractantur ſuis in locis & capitibus. Qui igitur hominem in tali aſtrali, temporali, eſſentiali ſtatu non cognoſcit, immeritò medicus eſt. Iſti autẽ lapides peculiarem locũ non habẽt: nam vbicunq; materia quieſcit, ibi fit generatio, vtpote in emunctorijs ſtomachi, veſicæ, renum, & in meatibus tranſitorijs. Ex hoc ſequitur, multas eſſe medicinas, quæ hoſce lapides reſoluant, liquefaciant, conterant in limum, farinã, &c. cùm enim anteà hæc fuerint, ideo ſecundaria illa cõgelatio non tam fortis eſt, vt nouum aliquid faciat, quod tibi reſiſtat, ſi medicinam adhibeas, quæ reſoluendi hoc genus lapidis potentiam habeat: alij autem

Loca lapidis externi

lapides hac medicina non tolluntur, quod multos medicos fefellit, qui oculis cancri, lapide Iudaico, miliofolis, &c. omnia genera calculi curare conati ſunt, ſed ſtultitia ipſorū ſatis liquet.

Finis libri de Tartaris.

THEOPHRASTI PARACELSI LIBRORUM Paramiricorum tertius

DE MATRICE,

GERARDO DORNIO interprete.

QVANQVAM antea de his, quę pertinent ad hominem, non omnia tamen quæ reperiuntur, enarrata ſunt: quandoquidem vbi nos ad medicinæ fundamentum contulerimus, adhuc alia Theorica, Phyſica, & Aſtronomica reperientur in homine, præter illa, quæ de eo dicta ſunt: De matrice; quod ad mulierem

rem ſolùm attinet, hoc loco tractare propoſui. Quare quòd iſtius libelli fundamentum in eius declaratione ſitum, & in circumſtantijs eiuſdem: hoc ſcitote primùm vos, de rebus in ea non viſibilibus me loqui. Veſtrum enim quis, qui viderit in anatomia Matricis, ea quæ per me hîc infrà ſunt allata? Et quamuis hîc nihil viſibile ſit, viſibile tamen iudicandum eſt: in aere nihil videmus, attamen ſentimus: ſic etiam in matrice. Quapropter bene videre poſſumus in aere quod ſentimus: verùm oculo videre nedum eſt commiſſum, at etiam ſentire. In primis igitur proponemus Anatomiam, vt omnia ex vero naturaliq; fundamento ſuccedant vnum poſt aliud, ac inueniantur, nō ex opinione, quò videri queat inuiſibile hoc: nam vbi viſibile fuerit, non ſolùm videre, ſed etiam ſentire fundamētum erit, & vtrunq; habebit vnum & idem fundamentum, ac demonſtrationem vnam. Quãuis matrix longè aliud ſit, nihilominus id eſt ſolū, quod microcoſmus, & cùm hoc ſit, iſti quod illi cōuenit adſcribi. Videtis quidem cœlum v-

tramq; ſuperiorem & inferiorem ſphę-ram includere, nec non circundare, vt mortale vel tranſibile nihil exeat in regnum exterius, quod extra cœlum eſt, quod videmus: nam mortale nihil, & immortale commune quid habere, nec ſimul commorari poſſunt. Eſt igitur magnus mundus concluſus, vt ex eo nihil recedat, ſed in eo quod ſuum eſt maneat, & quod eſt, hoc ipſum concluſum & vnum fiat. Sic igitur magnus mundus eſt.

Paruus verò mundus, qui microcoſmus appellatur, eſt vir, qui non aliàs vt magnus circũquaq; pelle ſua concluſus exiſtit, vt ſanguis eius, caro, & quod vir eſt, in magni mundi communionẽ non ſit, hoc eſt, vt elemẽta ſua cum exterioribus non commiſceantur: nam vnum aliud corrumperet. Hac ratione pelle circundatur vir, vt ambo mundi ſeparentur, magnus à paruo, id eſt mundus ab homine: contraria duo ſimul in mundum non cadant vnum. Manet itaq; mundus in ſua manſione totus, integer & incorruptus, vt in ea domo nihil ſit, quod ipſum impediat, aut ei noceat:

ceat: Vir pariter in ſua domo, hoc eſt, in pelle ſua manet. Eſt prꝗterea mundus alius, qui minor propriè dici poteſt: hîc eſt Matrix. Mundus eſt etiam hæc ſuo vaſe concluſus, id eſt vas, pellem atque domum habet propriam, quibus ineſt & per ſe, à paruo mundo ſeparatus eſt. Hac ratione vir eſt paruus mundus, & mulier patiens diminutionē eſt mundus minor: alius quàm vir mundus exiſtit, ac aliàs Anatomiam, Theoricam, cauſas, rationes & curas ſuas habet. Quanquam in multis ægritudinibus cum viro ſimilis: à medico tamen diſcernendi ſunt vir & mulier tanquam paruus & minor mundus.

Matrix aliud nihil eſt quàm mundus concluſus, qui commune cum aliȷ́s nihil habet, eſt tamen idipſum quod illi. Quandoquidem prima creatuta fuit & eſt mundus, vir ſecunda, mulier verò tertia. Eſt itaq; mundus maximus, vir minor, & mulier minimus atq; poſtremus. Maximus ſuā philoſophiam habet ac artem, vir etiam ſuam, & mulier ſuā. In mundo naſcūtur vermes, in viro,

pariter in muliere: ita nihilominus intelligendum, quod ipſe tres vna creatura ſimilis in Aſtronomia,in Philoſophia & in Theorica ſint: nam vti mundus vermes producit, ſic & vir in ſe, non aliàs mulier: in generationibus enim à ſe mutuò non ſeparantur: aliud in mundo tamen, aliud in viro, & in muliere ſimiliter aliud. Nam forma videndũ & exiſtentem aliũ exhibet mundum, idipſum etiã corpus efficit. Quapropter ex corpore monarchia medicinæ peculiaris oritur, vt monarchia mundi peculiaris exiſtat, vir peculiaris etiam,& mulieris peculiaris. Hac ratione triplex medicus erit, mundo proprius vnus qui plantat,arat,ædificat, & à ſuis defectibus repurgat, ab iniurijs quoq; tuetur,vt grandinibus, niue,&c. Viro peculiaris, qui tuetur eum ab ægritudinibus, & mulieri proprius, qui curat eam. Et quamuis iſte Monarchię tres à ſe diſcretæ ſint, vnum in Monarchia nihilominus exiſtunt: quoniam in arte non ſeparantur, ſed ars comprehendit eas in vnam.

Ad artem hanc ingreſſus & initium eſt

eſt mundus, qui quatuor elementa, prout in ſua matre ſunt, concludit. Medium eſt vir, quem vtriuſq; concordantia complectitur. Tertium & vltimum eſt mulier: iam conſiſtit in ſua Theorica, rationibus, &c. Medicus integer atque perfectus. exceptis illis, quid eſt Medicus? Latius cognoſcendum, quî mulier peculiaris mundus exiſtat, & quínam viri caro terra ſit (alia tamen ratio, cauſa phyſica) pariter de muliere. Prout etiam ſanguis eſt elementum aqua, ſic etiam cum aliјs formis, & corporibus: non aliud tamen præter hoc elementum ſolùm. Quamuis vir in tribus poſitus ſit, Mercurio, Sulphure & Sale. Item in iſtis tribus omnibus mundus eſt conſtitutus. Caro ſal eſt, mercurius & ſulphur. Terra pariter mercurius, ſal & ſulphur. ſic de reliquis. Elementa ſeparantur ac diuiduntur, quòd matres ſint, hac de cauſa ſeparari debent: corpora tamen eorum ſulphur, ſal & mercurius manent. Aliud eſt mulier, attamen mercurius, ſal & ſulphur æquè ac mundus & vir, exiſtit. Cùm igitur in iſta ſubſtantia ſit, huiuſmodi

corpus, vt mundus: at quod aliud ſit, quàm mundus & vir, alia eſt etiã eius. Phyſica:& quia mundus exiſtit,ideo ſimilis in ægritudinibus viro mundoq; aliàs tamen ac diſcretè:nam aliud officium habet: particulare quoq; officiũ quoduis,diuidit Phyſicam à Theorica. Quare licet mulier Hydropiſim,icteritiam,Paraliſim, Colicam,&c.acquirat, eaſdem & vir: at alia viri monarchia, mulieris item alia, quæ tantùm à viro ſeparatur, quantùm extra ipſum eſt: hoc eſt, in pondere tantùm ipſi diminuitur. Eſt ex viro tamen alia,quare in anatomia ſua pariter alia Philoſophia, Phyſica, Theorica, nihilominus aliis duobus eſt ſimilis, cùm ſit minimus & poſtremus mundus. Quanta diſtantia matrix te docet virum à muliere dignoſcere tenereq;,tanta huius ab illius ęgritudines diuidere deberes. Conſidera Mundo nõ fore poſſibile,quòd viro,pariter huic nõ quod mulieri. Quare cùm in his differat, eius etiam ægritudines in eiſdem ſeparantur.

Cùm igitur oculi, corpus officium exhibeant, alia medicinæ Philoſophia (quod

(quod ad mulierem attinet) erit aſſumẽda,nec eius infirmitates viri ſunt ægritudinibus ex æquo cõparandæ,neq; ſimilitudinum ſignis fidendum erit. Quandoquidẽ etſi mors vna in viro & in muliere:aliud nihilominus eſt vir,& aliud mulier, etiã vna in viro & in muliere cognoſcenda eſt infirmitas. Morte,calamitateq; ſimiles exiſtunt:vna ſitis,& fames in ambobus vna: viri tamẽ ſitis alia , quàm ipſius mulieris,alia fames etiam. Nam famente viro,famet Mundus medius,& muliere fame preſſa, famet vltimus Mundus: hîc enim alius eſt, quàm primus aut medius: & quantò mater à ſuo filio differt, tantò differunt hęc etiã inter ſe.Nec eſt quòd vos ab antiquorum ſcribentum erroribus ſeduci permittatis, virũ & mulierem ſuis in ęgritudinibus æqualiter iudicantiũ,tanquam vna paralyſis,vna apoplexia, caducus vnus, &c. quod falſum eſt. Alia radix eſt mulieris,alia viri: quare Medicina pariter in intellectu cauſarum, & in certitudine curæ conſiſtit. Quamuis vltimo loco menſtruũ occurrat, & ſimilia,tales infirmi-

tates peculiariter ſunt à viris diuiſę: ruſticis etiam eſt hæc ſeparatio nota, qua ſciunt ipſos id non fore quod mulier: non ita medicus, at Medicinæ ſeductor & ægrorum. Non enim loquitur medicus Apoplexiam viri ex iſtius vel illius ſubiecto procedere: ſolùm viro hoc vel alio modo prædeſtinatã, ordinatamq;. Mulieris apoplexiam in ſua radice ex matrice, quæ ſic aut aliàs cõſiſtit in ſuo ſubiecto: Hac ratione ſine, medicus, nullus eſt medicus. Nam duæ ſunt in terra medicinæ, mulieris & viri nempe: huius alia, & illius item alia. Mulieri ſuæ conferunt viroq; ſuæ: quicunq; verò diſcretionem hanc non habet: artẽ ad omnes aquas habere debet.

Medicinæ fundamentũ non poteſt ad ambas creaturas ſimul adduci: garrulitate ſolũ, opere verò minimè. Quare Mundus in ſe continet herbas mares & fœminas, quàm quòd infirmitates diuerſi ſexus etiã diuerſæ ſunt? quæ ſi forent eædem, quid opus vt ſexu natura diuideretur in ſuis creaturis & medicina? Hac de cauſa videlicet: quia duo mundi ſunt in homine, nempe vir

&

& fœmina, qui quòd in infirmitatibus diſſimiles exiſtunt, medicina pariter eſt ſexu diuiſa. Errorem, dolumq; vides, in quibus hactenus hac in falſitate medicina verſata fuit. Deduc igitur ſua recepta viro ex medicina ſua: mulieri ex anatomia ſua: nec ab anatomia deflectas: nam præter inſcios, & eos qui radix & origo deceptionum ſunt omniũ, recedit ab iſta nullus medicus. Operæ pretium itaq; fuerit hac de re tractare latiùs, quòd in auribus inimicorum meorum haud bene receptũ erit. Mulier eſt mundo proximior, quàm vir, & hic illa remotior in anotomia, quod ad officiũ attinet: hac ratione. Mundus eſt elementa quatuor, vt Philoſophia docet. Hic eſt etiam, qui ſuis in quatuor elementis homini præbet alimentũ & eſcam. Aer eſt eſca homini vna. Cœlũ alia ſiue ſecunda: Terra tertia: quarta eſt aqua. His quatuor indiget indies, vt eis carere nequeat alimentis homo, quòd ex illis ſuſtentetur, & in illis nutrimentum, ac omne quod ſibi neceſſarium eſt, creſcat. Ad hæc vbi conceptus homo fuerit, cum in matrice fo-

re neceſſum eſt:& ſemen hominis eſt idem homo:quapropter cibū vt hominem oportet ipſum etiã habere ſuum. Et quianon eſt in exteriore vel magno Mundo,ſed in vltimo,hac de cauſa non cibat eum exterior,at interior. Eſt igitur mulier Mundus veluti matrix: vir autem non. Quòd in magno mundo non plantetur, neq; creſcat homo,ſed in vltimo:hîc etiam alimentũ exhibere debet homini tamdiu,donec in magnum veniat Mundum.Cùm ergo matrix talis Mundus exiſtat, in quo cœlũ, terra,aer & aqua ſunt,quę nutriunt hominem à conceptione ſua vſq; ad natiuitatẽ & pòſt: eſt alia mulier à viro per totum ſuum corpus, quòd ex ea fœtus nutrimentum prodeat, non ex viro. Si Deus creauit duas creaturas, vnam,vt Mundũ, in quo ſemen alterius Mundi concluderetur, Anatomiam, Philoſophiam & Phyſicam eorum etiam ſeparauit vnam ab altera, quò videat vir, quanta ſit eius origo.Eſt igitur mulier aliud ſubiectum quàm vir ſit:nam eius radix ad nutrimentũ exiſtit viri, in quo quieſcit, & quantò differt pyrus arbor

&

& eius eſſentia à terra, tantò vir à muliere. Vir enim ſemen eſt cùm viri tum mulieris: illius namque ſemen exiſtit, & in illo productio tamen ſeparat in forma.

Arbor ſeipſam exhibet, modò ſeminetur in terram, aliàs in ſeipſa deſtruitur: cuius fuerit ſemen, id ex eo naſcitur. Terra producit arborem ex ſemine: qua conditione, viribus quibus & poteſtate notum eſt, eiſdem conditionibus viribusq; mulier prolem parit, maſculinam aut fœmineam.

Cùm ergo mulier inſtar agri ſit, agro mundi ſimilem eam opotet eſſe, nempe quatuor elementis. Ager, in quo ſeminatur, eſt ipſa terra: ſic matrix etiam terra, propriumq; ſuum vas exiſtit. Ex terra verò nihil producitur, niſi tria reliqua pariter adſint, videlicet aqua: hæc in muliere ſanguis: adfore debent etiã aer & ignis, qui duo cœli ſunt, chaos & aſtra. Et non aliàs quàm per Solem, Lunam, ſtellas & aerem, terræ fructus oculariter ad incrementũ, & productionem promoueri videntur: in matrice pariter nihil creſcere poteſt, niſi præ-

ſentibus elementis,quę diximus.Erunt igitur alia quàm ea, quæ ſunt in viro, cùm illa faciant ad nutrimentum,& iſta quidē alia hac de cauſa,quòd ad nutrimentum non ſunt apta nec ordinata.Eſt ideo homo duplex in mundo:viri ſiquidem corpus & officiū alia ſunt: mulieris item hæc alia, ſic & mundus alius vterq;. Monarchia ſimiliter alia, in ſuis & rerum in eis cognitu neceſſariarum conditionibus.Item prout ipſa terra diuerſam ab arbore conditionem iuxta ſuam eſſentiam in ſubſtātia,corporeq́; habet,tanto mulier & vir à ſeſe diſtant interuallo.

Iam quātus error in cognitione morborum viri mulierisq́;hactenus fuerit, manifeſtò videtur. Non enim ex ſimilibus apparentia ſignis, cauſæ medicinæúe ſimiles ordinandæ, neque iudicandæ ſunt, at fundamentum, origo, tum quid quodq; ſit,aut quàm remotè,quæq́; diſtent,obſeruādum.Antiqui medici, nec non ſcribētes in Medicina malè non egiſſent, ſi mulierem conſideraſſent morbis omnibus, quos vir habere poteſt, ſubiectū eſſe,cùm ex eo ſit:

ſit: prætereà multis aliꝭ viro minimè contingentibus, nec intelligibilibus, hosque bene cognoſcere didiciſſent. Verùm quòd mulierem in ſuis infirmitatibus, quas habet, non aliàs quàm virum ſub vno capitulo, nec non ſub eadem cura concluſerint, hoc ipſo labore ſuo, vanoq; opere proprio ſeducti ſunt. & quòd hoc ipſum non conſiderarint philoſophicè, nempe mulierem, etſi ex viro tracta ſit, virum non manſiſſe, at in mulierem factam eſſe, & inde colligi debere ſuas etiam infirmitates non eſſe viriles, ſed muliebres, talesq; de cætero cognoſcendas. Et prout mulier alia quàm vir exiſtit, etiam eius infirmitates ab iſtius morbis æquè remotæ. Item, quòd non conſiderarint omniũ rerum creſcentiũ anatomiam eſſe diuiſam in maſculum & fœminã, & hoc non perperam à natura factum, at in ſpeculum cuiuis medico, in quo, vt in luce naturæ cerneret quid illi ſit agendum. Neglectis iſtis omnibus & luce naturæ, ſuis opinionibus tantùm fidem adhibere voluerunt, & nõ aliáſ vti medicina, quàm ſi quis per murum

ſentibus elementis,quę diximus.Erunt igitur alia quàm ea, quæ ſunt in viro, cùm illa faciant ad nutrimentum, & iſta quidē alia hac de cauſa,quòd ad nutrimentum non ſunt apta nec ordinata.Eſt ideo homo duplex in mundo:viri ſiquidem corpus & officiū alia ſunt: mulieris item hæc alia, ſic & mundus alius vterq;. Monarchia ſimiliter alia, in ſuis & rerum in eis cognitu neceſſariarum conditionibus.Item prout ipſa terra diuerſam ab arbore conditionem iuxta ſuam eſſentiam in ſubſtātia, corporeq; habet,tanto mulier & vir à ſeſe diſtant interuallo.

Iam quātus error in cognitione morborum viri mulierisq; hactenus fuerit, manifeſtò videtur. Non enim ex ſimilibus apparentia ſignis, cauſæ medicinæúe ſimiles ordinandæ, neque iudicandæ ſunt, at fundamentum, origo, tum quid quodq; ſit, aut quàm remotè,quæq; diſtent,obſeruādum. Antiqui medici, nec non ſcribētes in Medicina malè non egiſſent, ſi mulierem conſideraſſent morbis omnibus, quos vir habere poteſt, ſubiectū eſſe,cùm ex eo

ſit:

ſit: prætereà multis alijs viro minimè
contingentibus, nec intelligibilibus,
hosque bene cognoſcere didiciſſent.
Verùm quòd mulierem in ſuis infir-
mitatibus, quas habet, non aliàs quàm
virum ſub vno capitulo, nec non ſub
eadem cura concluſerint, hoc ipſo la-
bore ſuo, vanoq; opere proprio ſedu-
cti ſunt. & quòd hoc ipſum non conſi-
derarint philoſophicè, nempe mulie-
rem, etſi ex viro tracta ſit, virum non
manſiſſe, at in mulierem factam eſſe, &
inde colligi debere ſuas etiam infirmi-
tates non eſſe viriles, ſed muliebres, ta-
lesq; de cætero cognoſcendas. Et pro-
ut mulier alia quàm vir exiſtit, etiam e-
ius infirmitates ab iſtius morbis æquè
remotæ. Item, quòd non conſiderarint
omniũ rerum creſcentiũ anatomiam
eſſe diuiſam in maſculum & fœminã;
& hoc non perperam à natura factum,
at in ſpeculum cuiuis medico, in quo,
vt in luce naturæ cerneret quid illi ſit
agendum. Neglectis iſtis omnibus &
luce naturæ, ſuis opinionibus tantùm
fidem adhibere voluerunt, & nõ aliáſ-
vti medicina, quàm ſi quis per murum

videre conaretur quid in eo lateret: ſi hoc poſſibile ſit, eorum conatus etiam. De cunctarũ artium inuentionibus peculiaris tractatio habetur, & quòd non ſpeculationibus at viſibilibus tantũ experimẽtis: non ex phantaſia, ſed ex prędicta luce. Quiſquis aliquid videt, hoc ipſum expertus eſt: qui verò non videt, eius nullam experientiam habet. Nihil etiã aliud atteſtamur, quàm idipſum quod videmus, pręſertim in medicina: in qua quidẽ videmus duas anatomias in omnibus magni Mundi productis & creſcentibus naturalibus, ſic etiã in homine duas, viri ſcilicet ac fœminę. Cùm igitur hæc videamus, offertur nobis initiũ in his perquirendi fundamentum, quo cognoſcimus aliam eſſe mulieris monarchiam, viri quoq; aliam, & non vnam eſſe viam in ambobus: item accidẽtia peculiaria quæuis, quæ mulieri contingunt extra virũ, ex propria ſua monarchia, & non ex alia: tum eaſdem ægritudines extra cõmunes exiſtentes, affinitatem habere, ſimulq; permiſceri, ac incorporatas eſſe reliquis omnibus, quas mulieres habent:

bent: quæ quidem occurrentia Phyſicam aliam exhibet, quàm falſa Medicorum turba hactenus vnquam ſubodorauerit. At quàm crudum & immaturũ ſit eorum cõſilium ac iudicium, facilè iudicari poteſt. Tibi velum igitur ab oculis aufer, ô Medice, & à ſeducẽte ſecta recede. Non vides proprium errorem quo ſeductus es, in eo capitulo prę ſertim, quo tu virum & mulierem ſub eiſdẽ infirmitatibus concludis? vbi tamen conſiderare debuiſti, quod hîc ſequitur, vtpote mulierũ infirmitatum cauſas omniũ, in mulieribus originẽ & non in viris ducere. Quapropter earũ phyſica manet, à viris diuiſa, pariter eſt in illis quàm in iſtis alia prorſus anatomia, propter peculiarẽ in vtroq; phyſicam. Nec eſt quod te moueat cor, cerebrum, hepar, &c. cũ in viris tum in mulieribus exterior apparẽtia ſimilis. Hoc tibi proponere debes, nempe cerebrũ, & cor in mulierib. non eſſe corda virorũ, neq; cerebra, ſed in tali differẽtia poſita, quę fallat oculos. Extrinſecùs mulierem & virum ſimul conſpice, videq; num aliam à viro mulierẽ inuenias &

peculiarem vtrumq;? Si hac via peculiares exiſtāt, quantò magis in his, quæ phyſicam vtriuſq; concernunt? Cùm igitur alia mulier ſit, etiam ex alia radice, quæ matrix eſt: propter iſtam eſt illa creata, quamobrem in ea propterquam facta ſimiliter ſita, nomenq́; habet: cumq́; ob matricem exiſtat, ex ea fore, pariter & conditiones omnes habere ſuas oportet. Hæc eſt eorum differentia, nempe vir ex virili conditione naſcitur & creſcit, & ex muliebri mulier, id eſt ex matrice defenſa, rectaque. Inde ſequitur etiam iſtius infirmitates omnes ex ſeipſa fore, hoc eſt, radicitùs ea ſe naſci procedereq́;. Breuius eo differunt, quòd mulieris infirmitates omnes ex matrice conditionem atque naturam habeant: non viri tamen, cuius morbi ſunt ex virili natura conditioneq́;. Ab his videto, quàm diſtent inter ſe paralyſis in mulieribus, & quæ in viris eſt, etſi præ oculis paria ſigna ſint, & meritò. Nónne mulier eſt homo, vir etiam homo? cur igitur tanquam homines ambo non conuenient, excepta Phyſica tamen, & conditione peculiari mo-

ri monarchiæ? An hæc differentia non eſt, cùm ipſa mulier corporalis matrix exiſtit ac nominatur, vir autem non: item quod eius infirmitates omnes matricis ſint? virilia ſiquidem elementa habere non poteſt, cùm ſit mulier atq; matrix. Quanquam nomina morborum vtriuſque ſunt, eſſeq; poſſunt communia, non alia de cauſa, quàm quòd ambo ſunt homines, ita quoque vocentur, ſeruata differentia, vt ſuprà. Ex iſta communione minimè ſequitur, vnam eſſe conditionem aut eſſentiam in ambobus, at obſeruanda ſemper differentia matricis, in qua mulier fundatur à radice, naſcitur, &c. tum radicem ipſius mulieris eſſe matricem, apprimè notandum.

Primùm conſideratu medico neceſſarium in muliebribus infirmitatibus matrix eſt, cùm ex iſta naſcātur, & non ex virilibus, ſed matricis viribus. Ab his Phyſicam depromere te decet, cauſas, & indicia, vel aliàs fruſtrà laborabis in ea. Non ſecus enim ac in hominibus omnes morbi naſcuntur ex vna radice, quam ignorare minimè debes: in

mulieribus etiam ex vna. Verùm tua ſcripta neutram harũ te noſce palàm faciunt: nam potius ipſos digitos momordiſſes, quàm mendacia tam enormia protuliſſes in mediũ. Vide quæſo morborũ virilium radicẽ, & eam, quæ mulierum eſt infirmitatum origo. Perpende, calculaq; demum, qui tuam defendere Phyſica valeas indicia, niſi mulieri peculiarẽ tribuas radicem, & viro ſuam, vtriuſq; ſeorſim, ac ſcias medicinam fore diuiſam, vt viro pars vna foret, altera mulieri ſingulatim applicanda, vel aliàs medicus non, at bene ſeductor eris: ad quod opus multa non indiges arte, ſolùm ea, quæ mentiri quadrasq; lambere docet: hæc veſtri omnium eſt conditio, ſtudiumq; potiſſimum in Acadimijs, &c.

Exemplum iſtud in monarchia, tum in phyſica te minimè fallere poteſt, videlicet. Prout ex radice arboris pyri naſcitur pyrũ, & arboris mali radice, malum, ac omne creſcentiũ ſaporem habet ſua radice, ſic etiam à radice morbus non ſeparatur, at vnũ cum eo manet, ex quo naſcitur. Et quamuis à radice py-

ce pyrum longè diſtet, ex ea nihilominus exiſtit, non aliàs: etſi colica multũ à matrice diſtat, ex matrice tamen eſt cum reliquis infirmitatibus eius.

Occurrit quæſtio priuſquã ad huius rei fundamentum veniamus. Vtrum in genere morbi virorũ & mulierum pro parte couenientes, aut communionẽ inter ſeſe habentes, ex viris aut ex mulieribus oriantur? Reſpondetur, in homine priuſquam fœmina creata foret, infirmitatem fuiſſe nullam, nec ipſam, qui ſine muliere creatis eſt eis obnoxiũ fuiſſe morbis, qui poſtmodum à ſuis filijs ad nos deriuati ſunt, inuenitur, excepta morte, quæ non proceſſit ex muliere naturaliter, in hanc autem incidit, eamq́; paſſus eſt. Cùm igitur infirmitates omnes poſtea ſint ortæ, ſequitur ex mulieribus proceſſiſſe, nec non miſerias, quas habemus. Et cùm ab eis, & ex ipſis potiſſimũ cognoſcendę ſint, potius, quàm ab hominibus, operæpretium fuerit, cauſas & huiuſcemodi radices ponere, de hiſque diſſerere, quínam ex ipſis oriantur ægritudines, & quòd nedum ex matrice cũ carne, ſan-

quincq; naſcamur, verùm etiam cum infirmitatibus omnibus & miſerijs noſtris. Poſt hæc neceſſariò, quæ ſunt virorum & mulierum infirmitates, quînam in ſuis nominibus conueniant & communicent, quodq; differentia ſit earum, cùm herbæ medicinæq; diuidantur, cognoſcendum eſt, vt ſequitur. In viro ſemen viri manet vt vir: quòd etiam ſeparatus exiſtat, eſt in eo tranſmutatio, quæ ſeparat eum à muliere formaliter, & ſua forma ſeparatur eius eſſentia manetq; vir, & vir fit: & ſua mulier à viro forma ſeparatur, manetque mulier ac fit.

Priuſquam de formatione dicamus & eius libertate, non abſurdū erit, primam infirmitatum omnium radicem, iterum aſſumere, ſolùm in eo, quòd ex muliere non veniant præterquam in virum, & aliam radicem reperiri, quàm ex muliere nullam phyſicam, adducuntur, quę quidem ab antiquis ſcriptoribus omiſſa fuit: nec fruſtraneum poſtmodum, quod iſtorum fundamentum fuit, cui perperam innixi ſunt hactenus, erit cognoſcere. Quicquid ex alio naſci-

naſcitur, ab eo ſeparatum eſt, ex quo natum fuerit. Homo iam in muliere non eſt aliàs quàm in aqua piſcis: hic in ea naſcitur, & in eadem viuit, ſine qua fore minimè poſſet: aquæ quidem eſt, id eſt eius conditionis: attamen aqua ipſa non eſt, ergo aliud. Prout aqua & piſcis differunt, & à ſe mutuò ſeparata ſunt vnũ in altero, ſic etiam eſt in muliere homo. Mulier non aliàs exiſtit quàm mare, cui plurimi piſces inſunt. Et cùm aliud nihil exiſtat mulier, homoq; ſit in ea piſcis, in ſua natiuitate ſeparatus tantũ, cognoſcere poteſt, cui ſimilis, & quòd mundi ſit animal: ſed quia habet animam ſuam, ideo naſcitur homo, quod piſci minimè contingit. Aliud aquæ quàm piſci, tum iſti quàm illi conuenit. Aequum eſt igitur medicum hanc notare ſimilitudinem, vtpote hominem fore ſemen, & mulierem agrum. Et quãuis ipſa ſit etiam ex viro ſemen, non propterea vir manet, ſed mulier fit: quapropter à ſemine libera, non amplius iuxta ſemen eſt iudicanda. In Adamo quidem adhuc exiſtens mulier vir fuit, ſed poſtquam ma-

nus artificis tranſijt, non amplius vir, nec Adami coſta. Quapropter iſti duo meritò ſunt in peculiarē vterq; ponendi monarchiam, vnà cum alia Theorica & alia Phyſica. Melius igitur oculos aperiāt quicunq; ſcribunt in hunc modum, virum & mulierē ſcilicet ſub vno & eodem Ictericiæ capitulo concludi, quod falſiſſimū eſt, etſi per Galenum, Auicennam, Raſim, &c. probare conentur. Nulla penes iſtos, neq; penes te, minus apud me probatio valida, ſed in philoſophia, fundamentoq; lucis naturæ, quibus hæc & ſimilia probari debent ac demonſtrari: non per garrulos, quos diximus, neque ex eorum fundamento ſtupidiſúe capitibus, quibus omne quod vocem eorum audit, miſerè fallitur.

De natura quid? cùm ſit inuiſibilis, nemoq; primam eius matricē viderit vnquā? quis enim videre poteſt quod ante ſe fuit? Omnes ex matrice progredimur, nemo noſtrûm eam tamē vidit vnquam, etenim ante hominem exſtitit: & quāuis ex ea homo veniat, indiéſque naſcatur, adhuc à nemine viſa eſt.

Mundus

Mundus eſt ex matrice natus,& homo tum indies omne quod producitur.Eſt itaq; neceſſarium quid matrix ſit definire. Matrix eſt,ex qua naſcitur,& eſt homo (quamobrē inuiſibilis)& omne quod eſt in quatuor elementis.Et prout Mundus eſt matrix omniū creſcentium ,non aliàs matrix eſt in corpore, & in ſimili prorſus anatomia iudicanda. Priuſquā cœlum & terra crearētur, Spiritns Dei ferebatur ſuper aquas, quę matrix erant. In iſtis cœlū & terra creata ſunt, & non in alia matrice: Dei Spiritus ferebat in ea:Spiritus ille nempe diuinus, qui eſt in homine, quemq; cæterę non habent creaturę. Propter Spiritum hunc, & in eodem creatus eſt homo, vt Spiritus Dei habitaret in eo, ſolusq; non foret ille. Hac de cauſa venit in hominem : ex Deo procedit,iterūmq; redit ad Deum. Cùm itaque Mundus non, ſed aqua tantùm foret, & Spiritus Domini ſuper eam veniſſet, tum primùm aqua Mundus eſt facta, quæ Mundi matrix exiſtit, & in iſto latius omnes creaturæ. Matrix etiam hominis erat,in qua Deus habita-

quia non eſt hominis ex luto creare ho minem, nec vitam huic dare, Deus peculiarem ei matricem ordinauit, quã etiam habet: ac Limbum alium, quem ſeminet, ſic in mundi natura manet homo. Et prout cœlum Deus concluſit, in quo quidem exiſtens hominem creauit in eodem, ſic & nos hominem gignere minimè poſſumus, niſi fuerimus in matrice iuxta poſſibilitatis (vt ita loquar) vires. Deus enim extra ſedẽ ſuam non exiuit prorſus, at manus eius tantũ: ſic etiam homo ſuam non exit ſedem omnino, ſed id ſolùm quod ordinatum eſt. Sunt ergo tres matrices: prima eſt aqua, ſuper quã Spiritus Domini latus fuit: hæc fuit illa matrix, in qua cœlum atq; terra creata ſunt. Cœlum & terra ſecunda. Tertia matrix Adæ, quam Dei manus fecit. Ex homine mulier eſt facta matrix omnium hominum in finem vſq; ſeculi. Quídnam (petis) concludit primam matricem? Regnum Dei Spiritum eius circundedit. Mundum concludit æternũ, quod eum circumdat. Mulierem autem propria pellis: nam quod iſta concluditur

eſt matrix:quapropter eius corpus viro minimè comparãdum, quamuis ex eo ſit. In imaginis formatione tamen cum eo ſimilitudinẽ habet: hanc enim recipere debet, hoc eſt, ſimile quod ad imaginem attinet, verùm in omnibus longè diuiſum, eſſentia, natura, proprietateq;. Vir enim vt vir patitur, mulier vt mulier, ambo tanquam duę creaturæ patiuntur, quas Deus diligit: quod per medicinam duplicẽ eis demonſtrauit, quam dedit eis, viro virilem, & mulieri muliebrem aut fœmineam. In his medicus totam ſuam operam nauare debet, quòd à Deo ſit ordinatus, & nõ ab hominibus: quapropter ad fidelitatẽ, & non ad impoſturas datus eſt, vt ex dono Dei iuuet.

Cùm Limbus igitur ſit hominis materia prima, neceſſariò ſciendũ eſt medico quid ſit Limbus. Nam quod Limbus eſt, hoc ipſum eſt homo: quicunq; nouerit illum, hunc ignorare minimè poterit: in iſtis medicus naſci debet. Eſt itaq; Limbus cœlũ & terra, ſuperior & inferior ſphæra, quatuor elementa, & quicquid in illis eſt: hinc meritò mi-

crocomus

crocoſmus vocatur, cùm totus mundus exiſtat. Et quia talis eſt homo, ſuperiorẽ & inferiorem ſphęram cognoſcere medicus debet, ambas in ſuis elemẽtis, eſſentijs, proprietatibus & natura. Quũ has nouerit, etiã quid homini deſit in ſanitate noſcet. Quem Deus poſuit, eum plus multò ſcire decet, quàm illũ, qui ab hominibus conſtitutus eſt. Aequũ eſt igitur in medico ſcientiã, & cognitionem fore, quôd ex Deo procedant, & non ex hominibus. Hæc de ſemine dicta ſunt: nunc verò de Matrice dicamus. Deus ex ſóla matrice præter additionẽ aut medium creauit hominẽ, & ex ea ſumpſit eũ: quod in poſterũ amplius factũ non eſt, nec erit. Verũ dedit ei Limbũ in ſua natura, vt ipſemet Limbus exiſtat, hoc eſt, vt ſuÿpſius ipſemet ſit filius, vtq; dum filiũ habere cupit, matricẽ dedit ei, nempe mulierẽ. Ex duobus ergo deinceps, & nõ ex vno fit homo, nõ amplius ex matrice factus, at ex homine, ſed in matrice poſitus. Erũt igitur duo tandem, at vnum bina caro, ſed vnum, & non duo, hoc eſt, ambo ſimul hominem efficiunt, & neutrum

per ſe. Quamobrem duo ſunt in vno, & vnum tantùm exiſtunt, etſi duo. Hac ratione fit ex Limbo homo, qui vir exiſtit, ſed in matrice formatus à natura, prout ſuprà, non aliàs quàm in magno Mundo primus homo. Ex his quæ prædicta ſunt duarum infirmitatũ cognitio neceſſaria ſequitur: vna quidem in generatione prolifica, Limbo naturalis & innata, vel accidens: altera verò matrici etiam accidens & innata. Hæc differentia dedit occaſionẽ, vt vobis generationẽ propoſuerim, quò pateſiat error antiquorum ſcriptorum. Viſibilis quidem eſt matrix, at eius proprietates inuiſibiles. Nam qui mulierem, is viri matricem videt, (maris ac fœminæ) hoc eſt, mundum, in quo naſcũtur: quid illud verò ſit, quod hominem fabricat, nemo videt. Nam vti Deus tunc hominem ad imaginem ſuam creauit: idem adhuc id efficit, hoc eſt Spiritus Domini, qui fertur eo loci ſuper aquas: & aqua ſicut penuaria cella ſeminis, ex quo naſcitur homo: quod quidem ſemen eſt Limbus. Matrix autem in eſſentia ſua eſt inuiſibilis, & quod ſic inuiſibile

uiſibile eſt,non patitur: quare de inuiſibilibus loqui nolumus. Matricis verò viſibilē, mulier eſt in ſubſtantijs tribus poſita, mercurio, ſale & ſulphure, videlicet vt omnia ſunt corpora. Quod enim ſenſualiter in vſum eſſe debet, viſibile fore neceſſum eſt: quò fit, vt in illis tribus etiam viſibilibus conſiſtat. Attamen illorum trium prima materia eſt inuiſibilis, & viſibilis vltima, quę totum corpus eſt mulieris. De vltima nunc materia philoſophandum erit, vt eius monarchia reperiatur. Nam eius infirmitates omnes ex tribus illis exiſtunt, id eſt, quod ibidem eſt vltima materia dictæ materiæ primæ, hoc ipſum eſt infirmitatum prima materia. Quapropter in primis cognoſcendum, eſſe tria, vel ſubſtãtias tres, ex quibus oriuntur morbi, vt accidunt mulieribus noti vel ignoti, pręteriti, pręſentes, vel adhuc futuri. Colligi poterit ex his, mulierem nō ſecus ac virum exterioribus ſtellis fore ſubiectam indiuiſa Phyſica tamen. Prout panis oblatus, eſca poteſt omnibus fore: quum homini, caro fit eius: at ſi piſci fuerit oblatus, etiam e-

ius inde caro fit: vti carnes iſtæ differunt, nõ ſecus impreſſionũ & infectionum, &c. Theorica diſtat in ſui cognitione. Hęc itaq; differentia meritò conſideranda eſt, cùm in ea medicinæ, quęnis etiam herbæ poſitæ ſint. Pariter & medicus eam obſeruare debet, qui veritatis amator eſt, & non mendacij. Nimis enormiter antiqui Medici ſcriptores errarũt, qnum ipſi matricẽ inferiùs exiſtentem in corpore, pro tota poſuerunt & integra, muliere quidẽ vnà cum eſſentia ſua penitùs excluſa, tum demũ vbi viro mulierem ęqualem compararunt. Velũ quod illis ante oculos protenſum eſt, videre non ſinit eos, mundum orificiũ habere, per quod manus Dei trãſiens operatur in eo quod vult: ſimiliter eum feciſſe mulierẽ, vt mundus foret, in quo naſceretur homo, & virum hîc Dei tenere locum, vt in ſuũ mundum arripiat, eiq; tactum inferat. Quod non aliàs intelligendum, quàm prout è ſuo regno Deus in cœli mundum atq; terrę manum intulit, & ex eo Limbũ ſumpſit, ex quo creauit hominem: ſic etiam iſte cum muliere, nec

ſecus

ſecus agit. Et ne hoc erroneum videatur, addam. Sumpſit Limbũ Deus vno loco ex omnibus, quod eorũ nemo hactenus intellexit, nempe hominem fore mundum, & Limbum eſſe mundum integrũ. Itidem in matrice tota mulier eſt matrix: nam ex eius membris omnibus eſt hominis ager depromptus. Et non ſecus ac terra ſuſtẽtari debet ex omnibus elementis, hoc eſt, ex omnibus totius mundi viribus: pariter & homo ex toto corpore mulieris: at centrũ eſt id quod in ea fit, in quod circũſtantes omnes externæ ſphæræ tendunt ac reflectuntur. Cuius naturæ matrix eſt, eiuſdem & centrum, totum corpus, cor, iecur, ſplen, &c. quicquid ibidem eſt, ſanguis & caro. Sed quantò matrix & vir inter ſe differunt, tantò ſanguis mulieris à ſanguine viri: quãuis ambo rubei, quid ad medicum hæc ſimilitudo? Ruſtici iudicant eundem fore ſanguinem vtriuſque, non ita medicus, niſi ruſticorum venis baptizatus ſit, hoc eſt, putet ſe fore medicum, vbi tamen vt ruſticus artem & ſcientiam ſuam intelligat. Cum iſtis nihil agendum, qui

differentiam ignorant inter metallum, ſaxũ,ligna,&c.Homo vir & mulier duæ formę,duæq; figuræ,ſic etiam duę conditiones:mulier peculiarem habet monarchiam, in cõmunibus & particularibus morbis. Vti mare ſuas vires demonſtrat ab inflationibus ordinarijs non aliàs & monarchia. Iſtius inflationis cauſa eſt omniũ aquarum concurſus,quę poſtmodum à mari conſumuntur, vt à ſua morte: nam in mari moriuntur affluentes aquæ, prout in terra cõſumitur hominis corpus. Quicquid conſumit & occidit, hoc ipſum habet ſuam operationem in illud,quod in eo receptum: eius videlicet maris operatio cotidiè ſemel adimpletur. Non aliàs quàm homo comedens digerit cibum,quem vbi recipit,ac ad operandũ ſe diſpoſuerit in conſumptionem inflatur venter: mare pariter ſuam operationem exercet, in eo namq; mors aquarum exiſtit: nulla quidẽ aqua rurſum ex mari reuertitur aut exit,at moritur in eo,prout omne creſcens terræ moritur in terra.Sicuti mare turget,ac poſtmodũ imminuitur,id ipſum etiam

fit

ſit in mulieribus, quia mater eſt infantum, vti mare mater aquarum. Et quia mulier mater exiſtit, ſibimet huiuſmodi fluxum parit, cuius tumor ſingulis quaternis hebdomadibus cũ exitu ſemel accidit, vt nihil ad hominẽ concipiendũ accedat mortui, ſed à ſuæ conceptionis loco recedat, vt in mari videtur fieri. Eſt vtiq; menſtruum, affluentium rerum in matricẽ excrementum, vt ibidẽ & moriantur & eijciantur, quę ſuperflua ſunt. Errorẽ introduxit ille medicus, qui ex ſeipſo menſtruũ vel excrementũ hoc ſcripſit eſſe flores mulierum, vt arborum ſunt. En qualis medicus, qui ſtercora flores exiſtimat. Mulierũ flores non prius, quàm concipit eodẽ etiam tempore mox adſunt. Poſtmodũ fructus inde ſequitur, id eſt, fœtus. Ignoratis vos medici quãuis arborem ex eo fructu flores edere, qui ex ea prorumpere vult, arborẽ ſterilem quoque non florere? Iuxta veſtram doctrinam florent mulieres, quæ fructum in ſe nullũ habent, id eſt, virgines ſecundum vos florent, vbínam fructus earũ eſt? nullus adeſt, ergo excremẽtum ſolùm expurgant.

Enormis error, qui Galenicos, Aui-cennicos medicos, ac eorum ſequaces parùm ornat, quo docetur ab his virginem ſine viro florere poſſe, cū tamen ex iſto flores in illam exeant. Inde ſequeretur, infantes abſq; viro gigni. O' vos inſani ſtupidiq; doctores, quídnam docetis inſipida & inexperta ſcientia veſtra? vos ipſi vos palàm facitis, vt iſtius farinæ hominū eſt conditio. Matricē aliud eſſe nihil præter microcoſmum ignoratis? Vt cōcipiat, neceſſum eſt, eam puram atq; mundam penitùs exiſtere. Hæc eſt mundificatio videlicet, vt omnis impuritas per fluxū exeat, aut aliàs minimè cōcipit. Mundaq; tam diu manet, quouſq; lac ceſſauerit: quod quidem non ex menſtruo, ſed ex mammillis prouenit, in quibus & ſuper quas ordinatum & factum eſt. Et quamdiu grauida lactans ue fuerit mulier, de ſe nullum excrementum exerit: nam eo tempore ſedata ſunt omnia: nihil etiam impuri naſcitur in ea, quod moliatur exitum. Hæc eſt enim ipſius mulieris natura ſtatim atq; conceperit in vtero, tranſmutatur, & eſt velut æſtas

in

in omnibus, grandine, niue, tempeſtatibus, &c. carens, & hyeme, contrà gaudio plena: ſic & matrix omni lætitia repletur, æſtiuoq; tempore. Ceſſant igitur excrementa quęuis, donec hyems redeat, grando, nix, &c. Tempus partus à medicis optimè quidem intelligendum eſt, cuius conditionis & proportionis exiſtat, &c. de his enim differere deberēt. Nam vbi hoc eos latuerit, vana ſunt quęcunq; fabulati fuerint. Cæca prorſus eorū doctrina fuit, cùm affirmarunt, menſtruum exhibere lac, & illud fœtus fore nutrimentum. O vos phantaſtici naturā inueſtigate melius, priuſquam ſcribatis. Hæc omnia per philoſophiam, in qua de generatione hominis habetur, clarius demonſtrata ſunt.

Per matricis igitur anatomiam cognoſcite, quid mulieris totū corpus exiſtat, & fœtum in matrice nutrimentū ex mamillis, extra matricem, & ex optimo nobiliſſimoq; lacte recipere, nō ab excrementis, quæ menſtrua vocatis. Nullum ſiquidem in terris venenum huic æquiparari poteſt, aut nociuius,

quî poteſt igitur eſſe fœtus alimentũ? Quàm ignoranter & craſsè locuti ſunt hi doctores, hominem veneno, quo nullum execrabilius, eò quòd à mulieribus eijcitur excremento, nutriri, cùm iſtud nullã tranſmutationem in bonũ admittat, hoc eſt, nullũ venenum cibus fit, ſed venenum ſemper manet. Quíſnam pater filio lapides loco panis dat, aut ſerpentes? nullus equidẽ, nec Deus ipſe: conſiderate vos. Verum eſt, naturam ipſam eo loco quietã in ſuo loco manere ac retentam, prout Sol tempo ribus Ioſuę: non aliàs ibidẽ naturę curſus omnes retinentur à conceptionis tempore vſq; ad finẽ tranſmutationis in infantis neceſſitatem, vt in cibũ ſint homini. Certum eſt in partu repurgari, quod nullius eſt vtilitatis: hoc ipſum vos creditis, ex quo lac fit, exiſtere, ſed vitulus marinus inde citius fieret. Bonitate diuina fit, vt huiuſmodi contagies proli minimè noceat, ſed ab ea liberetur: vos verò dicitis ab ea nutriri, cùm nemo tamen immunditia nutriatur, ſed purioribus ſubſtantijs, vt arboribus, herbis, radicibus, &c. quæ quidem

dem etiam ex puris & ſubtilibus, liquoribus, rore, pluuijs, &c. nutriuntur & ſuſtentantur; quantò magis fœtus ipſe, qui maioris eſt multò pretij, quàm herbæ ſint in agris, & longè tenerior? Quapropter in matrice naturæ commiſſa eſt & iſtius arti, quouſq; fortis euadat, & ob ſubtiliorem cibum, &c. In arboribus autem quid eſt iſtiuſmodi fluxus aliud, quàm ſperma ſuijpſius? omnia ſiquidem per ſpumam repurgantur: ſic & natura hîc vt proli mundetur cibus: vos verò dicitis, hanc ſpumam fore cibum, & menſtruum eſſe lac, iſtud in matrice tantiſper manere, donec infans natus ſit, indeq; poſtmodùm lac fieri: ex his cognoſci poteſt, ex qua Philoſophia nati ſitis. Diligenter animaduertite, quod eijcitur, eius eſt ſpuma coctionis, quam fœtus cõmedit in corpore matris, & eius quod ex mammillis ſugit; nunc videte quinam excrementa repurgentur. Eſt ne vobis tantillum intellectus, vt cognoſcatis, vbi deſumatur aſſiduè potus aliquis, nihil tandem reſidui manſurum? Stoici ſunt iſti, auſteri, &c.

Aequum eſt igitur, mulierum infirmitates in peculiari monarchia tenere,cùm à viris tam longè ſeparatę ſint, nedum ob mamillas, matricē & menſtruum, ſed ob corpus integrum, quod propter mamillas, matricem & menſtruum eſt creatum: & ideo iuxta conditiones iſtorū omnium, & nō alienas, hoc eſt, non iuxta viriles cōditiones. Et quāuis aliquando mulierib. pariter ac viris vna & eadē iuuet medicina, vt in peſte, febrib. &c. ſciendū eſt ex narcoticis, ſtupefactiuis, diaphoreticis, &c. conditionibus fieri, quæ omnes ex origine vera medicinalis ordinis minimè ſunt, quod etiam ex ordine vero non procedant: quo fit vt hodie, cras verò nō iuuent: in peſte, nō alijs morbis, vt ſuo capitulo dicetur latiùs. At ſi verò ſit vtendum ordine, pariter ęquum fuerit mulieres à viris tam in ſanitate quàm infirmitatibus diſcernere, vt in exemplum. Arboris inſtar mulier eſt, quæ ſuos fructus producit ac fert, vir autem fructus exiſtit arbore latus. Multis indiget arbor, vt ſuſtentetur ad productionē eius propter quod exiſtit. Iam conſideretur

quot

quot accidentibus cõtrarijs arbor magis quàm fructus obnoxia ſit:non aliàs mulier defectibus virũ longè ſuperq; ſuperat, qui mulieri comparari poteſt, vt arbori ſuę fructus:iſte decidit,manet eius arbor,quę producendorũ fructuũ rurſus curam gerit,ac vitę producẽdæ. Quapropter multis indiget, multaq; pati cogitur ob ſuos fructus,vt feliciter procedāt. Conſiderate vos igitur,ſi veri medici fore cupitis, quídnam iſtud cõtineat, & quî debeat intelligi,vel ex vobis,aliàs nunquã bonus exurget medicus. Monarchiam inſpicite particulariter,vt videatis, quid arbori peculiare ſit neceſſariũ, quod non fructui,tum huic,quod non arbori. Talis cum viro, muliereq; demonſtratio, qualis ab externis hîc datur.Item inter fœmineum fœtũ & maſculeum differentiã talem intelligite, qualem inter pyrum & ſemina, quæ continet in ſe: quod Philoſophiæ committo. Iámne conſideraſtis hominem è ſuperiùs, videlicet ex Limbo fore, virum quidem, nõ mulierem,& alteram hanc eſſe creaturam,vt pote ſecundam, non primam, & cum

priore creatam, quapropter viro ſubiectam. Cumque ſit altera creatura non ex Limbo facta; pariter & aliud corpus. Nam ſi corpus vt Adam haberet, cōſtaret etiam ex eodē Limbo. Verùm vt aliā haberet Monarchiam, poſt illum fama fuit ex carne viua, vel ex coſtâ, quæ caro fuit: attamen alia caro facta: prout ex Limbo caro facta eſt, quæ non fuit poſtmodū id ex quo ſumpta: ſic mulier ex viro caro eſt, ſed vir non manſit, at à viro tantùm diſtans, quantùm à limo homo diſtat, ex quo ſumptus eſt. Hæc nouæ Theoriæ cauſa fuit in muliere, necnon ſeparationis eius in peculiarem Phyſicam, vt mendaces inuenti forent illi, qui falsò mulierem & virū ſimiles & æquales ponunt (etſi cateruatim prorumpant) excepta materia tamen in qua fœtus ponitur, & ad neceſſitatem facit eius. Talis eſt iſta neceſſitas, vt corpus totum habere debeat, ita vt non ſit in eo guttula ſanguinis, quæ ad matricem non requiratur. Verùm antiqui non intellexerunt, neq; recentiores cupiunt intelligere. Quantopere vos loqui iuuat, Galenus, Aui-

Auicenna, &c. dixerunt: his verbis expurgatos fore vos opinamini, remq́; vt aiunt, acu tetigiſſe, verumq́; fore quòd ipſi talia dixerint. At profetatis authores veſtros in medium, eosq́; veridicos docete prius: ſed veſtrarum virium non eſt id efficere poſſe. Quòd verò falſis authoribus hactenus fides adhibeatur vt Euangeliſtis, vóſq; nihilo meliores natura ſitis, meritò manetis penes huiuſmodi fictitios, & mendaces authores: nam ſimilis ſibi ſimilē quærit, eosq́; ſimul diabolus accumulat. Cùm igitur in muliere peculiaris conditio necnon monarchia ſit, erunt neceſſariò duæ monarchiæ, alia mulieris, & viri ſimiliter alia. Sequitur inde cœli & ambarum ſphærarum, in quibus microcoſmica cōſenſio cæcis ignota medicis ac omiſſa latet alia cognitio.

Hominis corpus itaq; diuiditur, aliud mulieris, & aliud viri: ſimiliter infirmitates eorum diſcernendæ ſunt, vt quæ ſuprà poſita clarius intelligantur per exemplū. Vt ſi vir & mulier icteritiam vterq; habeat, vel auriginē, ſub eiſdem ſignis, prognoſticis, &c. per quæ vnum

&idem genus vel ſpecies eadem iudicaretur, in viro non alia quàm in muliere; ſed ab ocularibus iudicijs morbus vnus: ſequitur inde cura ſimiliter vna, hoc eſt, vnica medicina, quæ tamen inualida prorſum exiſtit: eius rei cauſam infrà tibi proponam. Sunt nihilominus hermaphrodita medicamina quędam, quæ vtrinq; deſeruiunt, attamen etiam peculiare quid habent, aliàs reſeruo, quę iuxta verum ſunt ordinem ſic intelligenda. Mulier aurigine laborat prout vir, & abundantius, id eſt corpus habet, quod eſt Icteritia, hoc profluuium eſt: quod quidē excrementum non eſt menſtruum, ſed corpus eſt integrum, ex quo menſtruum promanat: hocipſum corpus profluuij nomen retinet, in morbum tranſit, & eſt microcoſmi liquor, qui quidem Icteritiæ ſubiectus in hunc modum aduenit, vt eius in viro & in muliere cauſa ſit eadem, ſed non vnum vel idem corpus. Non aliàs quàm ſi lignū & pannus eodem flauo colore tincta ſint, color idem & infirmitas eadē, at corpora duo ſunt, quanquam ſignum vnum. Quapropter

propter Medicina formari debet ad corpora,nō ad colorem: prout lignum dolabra, ferrum verò malleo præparatur. Corpus medico præ oculis fore debet, ac innoteſcere, prout hæc palàm ſunt. Donec iſta ſibi proponat,has non poterit infirmitates propellere,quamuis ea, quæ colores auferunt, adhibeat medicamenta, corpus adhuc nihilominus adeſt. Liquor namq; microcoſmi,quum in ſuum tranſit profluuium, albus fit: Quid aliud hoc, quàm albus morbus? Alius eſt flauus. Albedo non procedit ex flauedine, niſi fuerit congregatio quędam ex qua plures morbi defluāt,rubeus, albus,flauus,niger,&c. qui ſub vno capitulo cōcluduntur omnes. Etſi proponendum ſit corpus hîc, & non colores tantū,ſed corpus & colores ſimul, bipertitā nihilominus ibidē fore medicinā oportebit, licet hermaphroditicis vtaris ſimplicib. quod etiā ex arte non,ſed ex mera ſtupiditate & ignorātia vos habere,ſuo loco docebitur. Omnia ſimul cōfunditis,quęcunque reperire poteſtis, ſi bene ſuccedat, habetis. Verùm ars vera nō vtitur viri-

libus medicamentis ad mulieres, neq; ad viros muliebribus: vnamquamque Monarchiam in anatomia ſua retinet abſq; mixtione. Quod enim permiſcetur, operatur vtrinq; non perfectum opus. Nam quæuis hermaphroditica medicina ſimplex, & non cōpoſita fore debet: vt Plantago ſiſtit fluxum ſanguinis in viris & in mulieribus, quapropter eſt hermaphroditica; nihilominus adhuc ſeparatur: vtramq; Monarchiam in ſe continet, vt aliæ, quæ non vſq; adeò multæ ſunt: viro quum applicantur, in eis muliebre moritur arcanū: contrà ſi mulieri, virile moritur. Ex hermaphroditicis medicamētis orta ſunt experimēta, quæ quodq; cuique ſuum applicare docet, viro mulieriq;. In alijs verò ſimplicibus nullū experimentum inuenitur, ſed canonica Practica. Non propterea ſufficiunt hermaphroditica experimenta, quòd iuuent in morbis canonicè non prouenientibus, at contra canonem; qui canonicè tamen oritur, iuxta canonem etiam amoueri morbus debet: in iſto nihil prodeſt experimentū. Similiter eos dun-

duntaxat amouet experimentum, qui canonicè non oriuntur, & nulla cura canonica. Plura de cognitione horum proponenda ſunt, at ſuo loco. Antiqui ſcriptores curam canonicā ſæpiſſimè proponunt ac primò, quòd morbos omnes canonicè prouenire iudicēt, qui maximus eſt error. Poſtmodū canonica cura ſequitur in hoc errore fundata: quę ſi iuuare nolit, ad Theſaurum pauperum confugitur, & ad alia pleraq; ſimilia. Item hoc vtere, dixit ille, ſæpius iuuit. hoc eſt optimū ſcripſit alter, &c. His apertiſſimè patet, eos non intellexiſſe diſcrimen inter curam canonicā & experimenta. O medicorum cæcitas. Quod ad propoſitum exemplū de aurigine, vel ſimilibus alijs morbis latius attinet, ſciendum, non vnicam, ſed plures flauedines, ſic & flauos fore morbos vel aurigines plures. Et quāuis fel colores exſiccet, non vnicus in eo color exiſtit, at flauedines omnes, prout ſuo capitulo dicetur latius. Alia quidē eſt flauedo fel mulieris, alia viri, ſic & alij colores exiſtūt. Quare cū diuiſi ſint, medicamētum etiam diuiſum eſt. Aſſa

colorũ eſt inuentrix: Reſſelba horum amotrix: Centaurea excremẽtum. Principalia tamen arcana, quæ in iſtis exiſtunt, & non hermophroditica, non ſolùm colores auferẽtia, nec experimenta ſunt: illa debent à fundamẽto ſtatim arripi, vt corpus præ manibus habeatur. Nam ipſa corpora tranſmutãtur in morbos canonicos, vt coloratũ, quod colorem ſuum nunquã dimittit, ſed à corpore minimè ſeparari poteſt. Quod cùm euenit, non vt ſuprà medicandum eſt, at ex monarchia ſua, quæ corpus aſſumit, & inſtaurans illud ſanitatem adferat, infirmitate penitùs expulſa. Duæ ſiquidẽ ſunt morborũ conditiones omnium iuxta corpus, & pro corpore: quãuis hæc differentia nondũ obſeruata ſit: & hîc fuit error, quẽ in ſuis curis cõmiſerunt. Aliud fel in mulieribus: attamen cũ proprietatib. omnibus, quas fel habere debet, vt hoc ipſum in canonicis morbis exiſtat per ſuã propriam monarchiã curari debet, hoc eſt, idem medicamentum à viri medicamẽto in alterã anatomiam & phyſicã ordinatũ eſt. Quare quòd centaurea maſcula viris

ris applicata poteſt,in eodem gradu fœmina cētaurea mulieribus efficit:Deus enim hoc ſummè reſpexit, vt mulieribus peculiarē daret monarchiā: vti ſeparauit eas in aliud corpus & eſſentiā: non aliàs etiam ſeparatim ſuū eis tribuit mundum, vſum & neceſſitatē, ac ſuper ea conſtituit medicū, qui ſimilia cognoſceret,non Auicennam neq; Galenum. Diuina ſiquidē prouidentia talium ingenia fictitia hominū pręuenit, quū ſeipſum creaſſe Medicū dixerit, is ſi dixiſſet, is Medicus nouit, quem ego creaui:qui verò ſeipſum inſtituit,falſus eſt.Per naturæ lucē probare modò potes,quis verus, & quis pſeudomedicus exiſtat. Cùm itaq; producta quæuis à terra diuiſa ſunt ob monarchiā duplicem,vti ſuprà dictū eſt, Firmamentū etiā,terram, aquā & aerem in illas duas monarchias diuiſit, cuiq; Deus ſuas proprietates ad ſuſtentandū.Latiùs notandū eſt in his, cibum, quē homo comedit ab eò qui latet in medicamento longè aliū fore,hoc eſt,non ſunt eiuſdē eſſentiæ neq; conditionis. Nam cibus omnis qui comeditur, ſimplex eſt, etſi

diuiſus in monarchiam duplicem, hæc diuiſio ſolùm concernit vires medicinales, & non cibum aut nutrimentum. Quãuis cibus in multis vtilior ſit mulieribus ex ſua monarchia, quàm ex monarchia virorũ, hoc ſolùm fit ex defectibus, quos corpus eiſdem adfert, & quod non aluntur. In ſtomacho faber exiſtit & præparator, qui carnem humanã facit: is duas conditiones habet conquinarias, vnam in viro, qua virilẽ carnem fabricat, alterã in muliere, qua muliebrem carnem efficit. Cibus eſt vnicus & humanus: Archeus verò præparat eum hominibus in monarchiam ſuam. Alimentum igitur exhibendi cura medico nulla eſt, ſed medicamentũ ſolùm in monarchiam ſuam introducendi. Quòd ad nutrimentũ attinet, eius magiſtrum exercet Archeus in ſtomacho, fabricans ex cibo quod neceſſum eſt, prout faber ex ferro ſuo quicquid vult, ſic & ille. Non ita cum medicina tamen: hæc enim ex monarchia ſua debet adminiſtrari, vt in eſſentia ſua cõſeruetur: nam eodem loco non poteſt Archeus aliud efficere, quàm id

ex

ex ea quod exiſtit. Cibus omnis eſt ipſemet homo: nam poſtquã ederimus eum, conuertit Archeus in idipſum quod eſt, nempe carnem & ſanguinem: quandoquidem ipſum hoc ſumus. Medicamentum autem non ſumus, hoc eo cõfert, aut alio loco vbi nobis quidpiam deeſt, ex eadem ſpecie vel genere nobis foret adhibendum: nam ſtomachus non fabricat quod neceſſarium eſt, niſi prius receperit à nobis quo indiget, aliàs in ſuis viribus manentia pellit à ſe reijciens. Corpus igitur & infirmitates eius duo ſunt, & non vnum. Regimen pari modo fore diuiſum oportet in ſua monarchia, quòd hoc ea de cauſa non ordinetur, vt carnem & ſanguinem efficiat, ſed vt pellat omne quod iſta corrupit atque deſtruxit. Eſt igitur in eo medicamentũ & cibus, id eſt regimen efficit carnem & ſanguinẽ, non tamen ex nutrimento ſumpta, ſed ex medicamento, hoc eſt, regimen eſt nutrimentũ & medicamentum. Corpus enim ægrum non vegetat, imò deficit, quapropter vt in bono ſtatu ſeruetur, oportet regimen fore medica-

mentũ, quod vegetatiuas ſuſcitet corpori vires ad nutrimenti receptionem. Hac de cauſa monarchia ſeruanda eſt in ægris per cibum & medicamentum iuxta morbi tenorem. Verũ eſt illa, quæ nutrimento ſimul & medicamẽto ſeruiunt, vt Lactuca, Bleta, Rapæ, &c. nos communiter in monarchiam non ponere, ſed peculiariter dignoſcenda volumus, vt ea, quæ medicamentũ ſimul adferunt, quę virtus etiam eſt ſeparanda, vt in monarchia mulierum ſua bleta: virorum verò ſua particulariter adminiſtretur. Ex horum negligentia ſequitur incidentia curſuũ aſtralium & firmamenti, quæ corruptionem in contrarietatẽ adferunt ægris corporibus, vt extra monarchiam viuant, ac tempora ſua mulieribus excitent, viris aliàs concilant carnes: quod iſtis in auxiliũ conferunt in vno, mulieribus in detrimentum in alio, nec non pleraq; alia ſimilia. Sanis perſonis regimen ponere maius eſt, quàm infirmis ad ſanitatẽ recuperandam, quæ quidẽ in illis conſeruanda. Sanum enim amplam cognitionẽ habet in omnibus membris poſitam:

ſitam: in ægris regimen eſt minimum, quod in conſiderationem veniat: arcana verò maximum. Quicunq; ſanis dietam præſcribit, monarnarchiam diuidit, & cœlorum curſus cōſiderat, item perſonarum ſubiecta poſtmodum ad cibi curſum venit, quòd etiam Aſtrum ſuū vt cœlum cibus habeat, quo præuenit illius curſui. Cognitione hac omnes qui carēt, errare neceſſum eſt: nam præſentibus non eſt præueniendū, ſed futuris. Verùm ars tota huius negotij conſiſtit in eo ſcilicet, vt cognoſcatur quid futurum ſit, & ſic iſti præueniri queat. Hoc medico ſummè neceſſariū, aliàs homicidium & latrocinium ars eius. Ad hæc latiùs: cùm prima materia carnis & ſanguinis hominis vnū ſit, id eſt, cibus & potus, at vltima materia duo ſunt, quæ poſtmodum veniunt ex illa prima, vt viri caro, & caro mulieris, quæ tantùm diſtant ac piſcis & caro, cognitione tamen. Materia prima nec vltima cōſideranda: nam Deus qui virum & mulierem creauit, ſimul vnam carnē fecit, hoc eſt, in vna carne cibum vnum edendum atq; potum vnum bi-

bendum, & non duos neque diuerſos: hac ratione primā habent materiam, etiam vnam. Sed Archeus eſt alius: vtrique hic in monarchiam diſponit quod editur, ex vna tamen olla ſunt obſonia, quæ ſimul conueniunt.

In his Theorica neceſſaria, qua cognoſcatur, quidnā ſit illud quod tranſmutatur, & quinam ſit id, & quid Archeus in illud efficere valeat: item ex eo quod vnum eſt, qui virilem carnem, & carnem efficiat menſtruificam, quæ longè quidem inter ſe diſtant; hoc modo. Cùm ex cibis ęgritudines oriantur, hæc origo neceſſaria cognitu, ſed in vltima materia, nō in prima, ni fortè hæc hermaphroditica foret in ſuis viribus, vel diuiſæ monarchiæ, medicamētum concernens virum aut mulierem: tum demum huius amotione morbus etiā auferetur. Si defectus in vltima materia tamen exiſteret, non in prima, nullo modo reperietur in iſta, ſed in illa. Morbos igitur quærite locis, in quibus vltima materia in ſeipſa corrupta eſt, & ſeſe in ſui ipſius infirmitatem excitat.

Quamobrē ęquum eſt iſtius theoriam,

in

in Phyſicam ſuam deducere, quam ingredientes mox inueniemus noſtrum ſubiectum in vltima materia conſiſtere, non in prima. Sequitur inde nos eo loco debere, quantùm inter ſe diſtent vltimę viri mulierisq; materiæ cognoſcere: demum æquali diſtantia monarchias eorum etiam diuidere ſepararéque: quod niſi fiat, eo loci Chronicum aut mortalem præparari morbum eſt metuendum.

Vt matricem latiùs, quînam iuxta microcoſmicam noſci conditionẽ debeat, præſcribam, id eſt, quí parua, tertia, nec non vltima creatura maneat in microcoſmica natura conditionéque. Notione communi certum eſt, vas fœtum continens cõmuniter vocari matricem, quamuis ea mulier integra ſit: ęquius tamen eſt ſemen propter quod mulier creata nomen prægerere: nam vaſis cauſa tantùm conſtat ipſa, non alterius membri nec rationis, &c. Melius vt ipſa matrix intelligatur, conſiderandum, totam mulierem eſſe terram, & omnia elementa reliqua: matricem autem arborem fore, quæ creſcit ex ſua

terra, & fœtum eſſe fructum ex hac arbore naſcentem. Et prout arbor exiſtit in terra, in aere & in aquis, quę ſimul ager eius exiſtunt, pariter quatuor fructus, elementa quatuor, & ſuperior ac inferior ſphæræ ſunt in muliere, quorum in medio conſiſtit arbor, propter quam eſt ipſa mulier, & nō aliàs quàm terra, fructus eius & elementa propter arborem, quam ſuſtentare debent: propter matricem exiſtunt mulieris omnia membra cum ſuis proprietatibus atque natura.

Huius igitur creaturæ cognitio ſubiectum noſtrum noſce nos decet, vt in medicina requiritur. Latius, cùm arbor ex quatuor fructibus, elementis quatuor, ſuperiore ac inferiore ſphæris, incrementum attrahit, ac ſuæ vitæ (ſine quibus exiſtere minimè poteſt) & hoc varijs modis, donec in arborem excreſcat, ac ſuſtentetur: ſic etiam ipſa matrix in muliere prout arbor ex omnibus membris eius corporis toto ſugit omne, quod ei neceſſarium eſt: hoc modo ſuſtentatur in omni ſua forma, tum corpus mulieris, vt arbor ex e-

lementis

ſementis & fructibus omnibus.

Sequitur inde, quia nutrimentũ recipit, eam ſuo tempore, perq́; menſes ab excrementis repurgari, ſicuti narratum eſt. Vbi matricem comparatione concordaueris ad mare, nec non ad arborem, conditiones eius facilè cognoſces. Eſt itaq; Microcoſma minor mundus, qui corpore ſuo continet omnia mineralia mundi: corpus igitur medicamentum ſuum ex mundo ſumit ac recipit, quod id ipſum etiam exiſtat, vtpote mundus. Ex his colligi poteſt, omnia mineralia prodeſſe homini, quódque ſuo minerali corporis applicatum. Qui cognitione caret iſta, non eſt philoſophus, quantò minus medicus? Nam priuſquam loquatur medicus, Marchaſitam huic vtilem vel illi, ſcire debet, quid Marchaſita mundi ſit, & quid microcoſmi: hæc eſt philoſophia. Latiùs cùm vt medicus loqui volet, marchaſitam hanc vel illam fore morbum hominis dicat, ideo prodeſſe concludit, &c.

Quid aliud eſt foramen aut vlcus in corpore hominis corrumpentium

corroſione factū, quàm minerale quid, vt ſal, & penes illud gradus vnus ac genus vnum. Inde ſequitur colchotar illud curare, hac ratione ſcilicet: quia colchotar ſal hoc eſt, quod foramen vlceris excedit. Sic etiā curat ſua Mercurius foramina vel vlcera, nec non Arſenicalia plura, ſimiliaq́;. Verū hoc eſſe percipere poteris extrinſecùs, ac differentiam ab experientia tua, genus iſtud aut illud ſalis curare, quod aliud genus, aliáue ſalis conditio nequit: item iſta nulla curare vulnera, ſed conſolidis, mumia, balſamisq́; tantùm curari, quæ ſalia non ſunt vulnera, ſiquidem ex ſale minimè proueniunt: quare ſalia, vitriola, mercurius, arſenica, &c. non proſunt, quòd vlcera procedāt ex ſalibus: & balſama, conſolida, mumia, ſalia non exiſtunt: quare non iuuant in vlceribus illa. Vt nunc de extrinſecis vlceribus, ſic etiā corpus intellige ſua mineralia continere, iuxta quæ dĳudicari vult & cognoſci, non ex humoribus. Corpus enim & materialia quæq; ſunt in tribus primis poſita ſubſtantĳs: quapropter materia prima hoc modo

cognoſci

cognoſci debet, eſtq; vltima. Poſtmodum vltimæ concordari debet: nam in concordantia poſita ſunt omnia: qui hunc ignorat, immeritò medicinæ doctor eſt, aut executor: quum ægrotorum nullum curet. Si verò per ſe iuuante natura ſanitatem recuperent, ſors eorum & medicorum indebitus honor eſt, quem ex induſtria minimè conſequuntur.

Matrix itaq; ſuas infirmitates à terra concipit, vt arbor quæ corrumpitur, illa viriditate, conditionibus, viribus & poteſtate ſuis deprædatur, pariter & fructibus, &c. Idipſum accidit mulieribus, quarum corpora malè ſana ſunt, & non in recta cõcordantia poſita, matrix earum omnino deſtructa, ſterilis, inepta, & non ſolùm accidentalibus infirmitatibus onuſta. Prout igitur ipſa terra, & fructus eius tibi cognoſcenda ſunt, etiam Miſcrocoſma, non aliàs enim quàm terra deſtruit arbores, matricem etiam vaſtat, ac omne quod arboribus, matrici quoq; poteſt accidere. Cùm igitur accidens aliquod in radicem incidit arboris, hanc im-

mutat: idipſum euenit matrici naturaliter. Similiter cùm alius color inditur arbori, quàm naturalis extitit, fructus eius etiam alium accipiunt. Hinc fit vt infantibus aliquid accidat in ſua naſcentia prout lentigines, panni, &c. cuius cauſa mulieres potiſſimũ exiſtunt. Nam vti vir plantat arborem ac manibus colorat, hoc ipſum efficit mulier ſuis imaginationibus, vt ſuo loco de terra latiùs. Ex his colligitur, matricem reddi ſanam cõſeruariq;, vel infirmam fieri iuxta diſpoſitionem illius, cuius in vtero continetur & ſuſtentatur: hanc enim ſequitur. Si velimus infirmitatũ ferre iudicia matricis, quid illi deſit, noſce prius oportet: primò namq; dolores profert corporis, vbi non manifeſtum fit. Qui ſpecies huiuſmodi mineralium non nouit, ſcire minimè poteſt quid matrici deſit. Nam ſi Chachimia ſtrumas arboribus inferre, Talcum vermes, &c. matrici poſſunt etiam: inde ſtrumæ naſcuntur; glandulæ, excreſcentiæ necnon ſimilia. Reliquos ab hoc exemplo noſce morbos diſcito. Nec eſt quòd ſtrumas ex melancholia,

phlegma-

phlegmate,&c.fieri,quia falſum eſt:mineralibus attribuendæ ſunt, ex quibus etiam naſcuntur, ſiue neruoſæ, vel venoſæ,vel canneæ ſint, &c.

In eiuſmodi cauſis infirmitates omnes reperiendę ſunt,ex ſpecierum eruptionibus in materialibus.His adhibenda fides: tum coſiderandum quî variæ ſpecies iſtæ ſuũ dominium acquirant: hoc etiam regit arborem eiuſdem terræ,id eſt,quæ in iſta eſt. Latius animaduertendum, quũ in genus aliquod aut in familiam incidit aliqua cõditio,non recedit ab ea,donec huiuſmodi ſpecies conſumatur, aut permixtionis dominium ſuperetur:hæc eſt fatuorum,ſtultorum capitum,& ſimilium,particularium conditionum, qualitatum, proprietatũ, perſonarum,membrorum & proportionũ generationis occaſio. Prout in iſtis, in alijs etiam quod ad infirmitates attinet. Cùm igitur in matrice tales cõditiones ſint,cur nõ alia Theorica foret? Quanquam pater etiam per iſtiuſmodi ſpecies minerales, ſibi ſimiles infantes generare poteſt,præſertim vbi ſpecies eius incorporata ſemi-

ni fuerit. Habet igitur mater in ſe duplex accidens: ex ſe quidē vnum, quod concernit arborem: Arbor namq; bona fructus bonos profert, id eſt, ſi corpore terraq; ſana ſit atq; fœcunda, bona pariter arbor erit, & fructus eius. Alterum accidens eſt in conceptione fœtus, id eſt, ſemen bonum fructus bonos adfert. Arborum & ſeminum hoc loco duæ proprietates exiſtunt, & in duas partes diuiduntur. Arbor terræ fructū ſuum edit ſemper abſq; ſemine: mulieris tamen arbor non ita, niſi fuerit ei ſemen inſitum, id eſt, per virum. Semen itaq; plurimi refert, videlicet vbi nullius frugi fuerit, arbor ex eo nihil boni producere poteſt: itidem ſi mala ſit arbor ſemine bono; bonum vtrumq; fore decet, vt bonum vnum ſit ibidem, id eſt, fructus. Sunt igitur alij morbi, qui matrici accidunt ex plantatione ſeminis: iſti iuxta viri conditionem exponi debent, & non ex mulieris conditione. Hac ratione matrix diuiditur in proprias infirmitates, ac eas, quæ concipit ex viro.

Hæc eſt vera Theorica procedens ex luce

luce naturæ, non ex figmentoſis capitibus. Morbi mulierum ex viris procedentes, maſculea petunt medicamenta: hic euenit vt iſta ad calculum ordinata, morbum eundem curauerint in mulieribus. Eius rei cauſa morbus non fuit (vt putarunt) ſed quòd à viris acquiſiuerant, ideo iuuerunt. Quod ex ſe habet hac via minimè curatur, ſed ex propria ſua chirurgia, non ex quapiam alia. Hac de cauſa quandoq; iuuit, aliquando non, vt quum ex ſe prouenit: ſic de reliquis morbis. Vbi ſemen Icteritia cōtaminatum fuerit, hoc in matrice receptum mulieri morbum eundem imprimit, eò quòd iſtius anatomiā ſeminis matrix attrahat: quare quum ei fuerit incorporatus auriginis morbus, hac ratione maſculo medicamento curandus erit, & non alio. Exardeſcit enim corpus deſiderio laxandi ſeminis, vt ſanguinē ſuum totum commoueat, & in exaltationem prouehat. Et quum ſingulorū portio membrorum à ſanguine recedit, quorumuis locorum anatomia partem ſuam infirmitatis adfert ſecum, ſeipſam inficit, ac

in eiuſdem infirmitatis generationem tranſit. Iſta ſe contrà defenſione tueri conantur inexperti medici: medicamentum iſtud(inquiunt)mulieres atq; viros iuuit. Inſcitia loquitur eorũ, palamq́; facit eos ignaros fore. Imò latiùs(dum aiunt)virgines iuuit intactas à viro quopiam. Apertius his verbis produnt ſuã ignorantiam, quum non conſiderent virgines à paterno ſemine morbos hæreditare poſſe: quapropter curat eas maſculinũ medicamentum. Nullam prorſus experientiam habent iſti,nec ſciunt quę morborũ ſint exordia, quídue ſit,quod morbos excitat. Non aliàs cum ſuis humoribus agunt, quàm Ioannes de Garlandia,qui commentatus in Alexandrum (quòd ordinare nollemus) pro ſuo captu fecit quod potuit.

Quánam ratione ſimul conueniant corpora viri mulierisq́; non ignorandum, cùm duo ſimul mixtionem corpora non admittant,præter corruptionem vtriuſq;. Hîc verò duo ſunt corpora, ſcilicet infirmitatis vnum,& mulieris alterum,quod illud pati debet in a-

natomia

natomia ſua. Mulieris corpus integrũ eſt & corrumpitur: nam vbi corpus anatomiæ corruptum fuerit, nihil ibidem operabitur medicamentũ, quòd in corrupto corpore nullum ſit remedium. Vt in combuſto ligno videre licet, ex carbonibus & fruſtulis integrum fieri minimè poſſe. Corpus autem infirmitatis, id eſt, quod ex viro procedit, morbi corpus exiſtit, & non materiæ primæ, ſed vltimæ ſolùm. Sunt igitur hęc duo corpora diuiſa, viri nempe quod ſpiritus inſtar eſt, à mulieris corporeo. Spiritus & corporeum ſimul conuenire poſſunt, prout aer in aliquo corpore, prout in aqua, ligno, lapide, &c. Et cùm aer impurus ſit, lignum in ſe malè ſanum eſt. Non quòd lignum aut lapis infirma per ſe ſint, ſed quòd in ipſis eſt, nempe aer. Sic de viro iudicandum in ſemine malè ſano: ſeminis infirmitas eſt aer, non aliàs in corpore mulieris eſt hæc ęgritudo, iuxta ſuã anatomiam, quàm aer in alio corpore: hoc tamen excepto, quòd in muliere colores cõcurrunt, in aere verò non. A coloribus hæc intel-

ligenda:nam accipiuntur,quum in ſuis corporibus alieni ſunt, in quibus reperti. Summa requiritur in his animaduerſio, quũ in vna ſubſtantia corpora quatuor exiſtant, in quo quidem corpore ſitus eſt morbus, non vt honor, ſed vt corpus, & non quòd in iſto corpore ſit humor,at bene liquor. Iam conſidera tu humoriſta, quænám ſit ars tua, quum illud corpus hactenus minimè cognoueris, neq; quatuor illa quæ dicta ſunt exiſtere. Quapropter etiam ignoras vbi ſita ſit peſtis, an in ſanguine vel in carne:te ſiquidem latet ſanguinem quadruplex fore corpus,& calculum. Hîc addiſce priuſquam rubeum capiti pileum ſuperponas. Optimè fundatus eſt, qui nouit hoc ipſum quod apoſtemata producit, & quod corpus:nam is etiam nouit ſanguinem eorum nihil efficere, quæ ſuæ naturæ non ſunt, id eſt, hæc tam admiranda corpora. Is etiam perfectus eſt in hac arte, qui nouit, qua via mulier à viro nouum corpus accipiat,ſic intelligendum puta. Cælum alium virum efficit, hominem alium, & mulierem aliam:

hoc

hoc poteſt Firmamentum, aſtrum & curſus. Sic & vir eſt, vt ſuprà, mulieris aſtrum, Firmamētum & cœlum: & prout iſtud poſtremum alium reddit hominem, ſic & vir mulierem aliam, id eſt, naturam, conditiones, qualitates & proprietates alias, in eis quę microcoſmicam naturā concernunt ex influentijs, impreſſionibus, &c. Non ſecus mulier à viro conſtellationes accipit, eiúſque ſydera recedunt ab ea, viriq; ſyderibus loco cedunt. Quicunq; nouit hęc, in vera medicinæ ſemita conſtitutus eſt. Aſtra tamen ignoranti ſunt incredibilia, quæ diximus. Naturæ quis enim inimicus eſt, alius quàm is, qui ſeſe magis induſtrium exiſtimat illa, quū noſtri ſit omniū ſchola ſuprema? Improbus ille ſcribentium antiquorum labor, de mulierum infirmitatibus eſt fruſtraneus, quum ne verbulo quidem aut litera mulierum tranſmutationis, in interno ſuo corpore non meminerint per viri ſydera factę: prout illæ duæ cōditiones microcoſmicæ conueniūt, inferiorq; ſuperioris impreſſiones recipit: quamobrem ad iſtam illa pluri-

mum eſt inclinata. Ex viribus & poteſtate ſcribendæ ſunt Theorica, necnon Phyſica, iuxta ſuum ordinem & formam duobus modis. Aegrotum ſiquidem viri corpus in ſuo ſydere, per ſuam impreſſionem inficit illud, quod ad ipſum eſt inclinatum. Non aliàs quàm ſtellæ cœli, quod ad infirmitates attinet, inclinãt & cogunt, pari modo curſus iſte, poſtquam hoc modo producitur, mulierem aliud habere corpus cogit, quo ad infirmitates: quare peculiarem phyſicam requirit. Cæcutitis vos in iſtis medici, qui pecunias & non artem aſpicitis. Summa diligentia conſiderate cœlũ hominis, quod ex eo plurimæ naſcantur infirmitates, quarum origines aliò perſcribentes falsò contortę ſunt. In exemplum: Quid aliud eſt ſuffocatio matricis, quàm ex cœlo hominis in corpus mulieris impreſſa conſtellatio, quæ huius morbi cauſa prima eſt? Cùm enim aduenire cupit, hominis infirmitas eſt in caduco, id eſt, ſydus eius caduceũ exiſtit: & licet ita non ſit: eſt tamen inclinatio, prout in cœlo ſtellæ non habẽt ipſęmet eos morbos, quos

quos hominibus imprimunt. Quum iſta conſtellatio cõiunctio fit & impreſſio, ſequitur inde ſuffocatio caduco non abſimilis. Maxima fuit hæc ſcholarũ omnium inſcitia, quæ de caduco multa ſcripſerunt & ſuffocatione, craſſa nimis tamen negligentia omiſerũt, aut ignorantia potius ex illis quatuor, caducus habeat adſcribere, vel in quo ſitus. Cùm igitur ſubticuerint aut ſiluerint, multò minus quid iſte ſit, eis notum extitit. Quapropter eorum ſcripta meræ ſunt opiniones, vt ruſticorum. Primùm omnium quod ſcribere debet medicus, corpus eſt ſubſtantia: hoc eſt, fundamentum, ex quo medicinæ poteſt ars cognoſci. Poſtquã igitur vir conſtellatus eſt in cœlo, vt iſtam coniunctionem habeat in ſe, prorumpere neceſſum eſt. Duo iam habet corpora, hoc eſt, duo ſubiecta, proprium videlicet, ac mulieris: ſi ſuper ſeipſum cadat inclinatio, ſydus eius voluntas eſt propria: ſi ſuper mulierem, & non ſuper ipſum in ea verus caducus non eſt, prout vir habet, at matrix: nam aliud corpus ibidem, & non aliud

quod homini comparari poteſt. Duæ ſunt etiam inclinationes: ab externo cœlo prior, & hæc eſt velut in homine: poſterior ex cœlo hominis, quæ ſuffocatio matricis eſt. Hac de cauſa tres caduci reperiuntur à ſe mutuò diuiſi: viri virilis eſt: mulieris verò muliebris: ambo tamen ex vno cœlo: nam ibidem eſt virilis conditio: tertius eſt interni corporis, & cœlum ſuum accipit à viro. Non ignorandum iſta hæreditari, ſi non in patre neq; matre, tamen in fructu. Vir ſeipſum in veris exterioris cœli caducis non inficit, ſed in ſyncopen: mulier in matricis ſuffocationem. Virgo ſic nata dupliciter in ſuffocationẽ incidit, virginis & mulieris inſtar, priore modo, velut in ſyncopen, vnà cum aliquibus caduci ſignis adhærentibus: altero quidem in ſuffocationem, quæ ſyncope maior eſt. His de morbis latius & ſuo capitulo ſcribetur, peculiariter vt mechanici valeant intelligere: hoc loco relinquemus, vt minimè neceſſarium, &c. Prout ſuperiùs de ſuffocatione, ſic de præcipitatione, quòd etiam ex viro ſit, intelligendum id eſt,

ex viri cœlo. Nam, quotquot infirmitates matrix amplius habet, aliꝭs quàm virilibus prolatas nominibus aut comprehenſas, ex cœlo viri ſunt omnes. Et quamuis in corpore mulieris oriantur ex terra, firmamento, aere, aqua, prout anteà multis locis auditum eſt, cœlum nihilominus earum prima cauſa (viri) prout peſtis morbus eſt ſupra naturã hominis ex cœlo, tamen in hominibus initium ſumit, & in eis vltima materia: ſic etiam in illis accidit. Præcipitatio quidem ex Aſtro prouenit, ex quo apoplexia. Matricis autem profluuium ex Aſtro, ex quo Dyſenteria, Lienteria, Diarrhœa ſumunt originem, quæ diriguntur, ac terminantur in matricem, iuxta microcoſmi corpus idẽ. Ab initio cuncta hęc medico ſunt cõſiderãda, quînam vnum in aliud tranſeat. Inde mox ſequitur monarchia per expoſitionẽ ſuam: niſi tamẽ infirmitates in corpora quatuor ſpecifices, ac rerũ primordia demonſtres, & in anatomia manens, creaturam duplicem obſerues, virum & mulierem vnà cum ſuis appropriatis medicamentis omnibus:

aliàs nulla fuerit ars tua, præterquam cinnamomũ, quod ſiccum euanuit, ac in ore nil aliud quàm filtri fragmẽtum præſtare poteſt. Diligite vos igitur artem & ſcientiã illis, qui diligere debent, id eſt, quibus Deus ordinauit ac dedit. Nam etſi calleatis, nõ vobiſipſis. Diſcite rurſus medici non placere vobis, at illi, qui vos propter illos creauit, quorum gratia dedit medicinam.

Cùm ergo medicus ille ſit, qui ſummum Deum laudare poteſt ac debet in ſuis creaturis, eum etiam ęquum eſt in eis maximè cognoſcere. Quis enim hominem, quid & quantũ creauerit eum Deus, alius quàm ipſe medicus noſſe melius poteſt? Is opera Dei ſuis in creaturis exponere nouit aliȷs, quàm nobilis mundus, & quantò nobilior ac pretioſior homo ſit, & quînam vnum ex alio natum, ac proceſſerit. Quem verò latuerint hæc, medicum ſe minimè iactet. Admirãdus namq; ſic homo creatus, ordineq; tam pulchro diſpoſitus inuenitur, quum inueſtigatus eſt in eſſentia ſua, qualitatibusq; veris, quid ſit, &c. Magnum arcanũ, hoc eſt, quod illi

minimè

minimè conſiderant, in cœlo nihil eſſe nec in terra, quòd non ſit in homine. Quandoquidem in iſto cœleſtes virtutes exiſtunt, quæ commouebuntur, & ipſe Deus exiſtens in cœlo, eſt in homine. Cœlum enim vbi eſt quàm homo? ſi debemus vti cœlo, in nobis ipſum fore neceſſum eſt. Hac de cauſa nouit ab ore ex ore ad Deum quid velimus, cùm cordi noſtro proximius ſit, quàm lingua vel cogitationes. Deus creauit ſibi cœlum pulchrum, magnũ atq; nobile. Summatim in cœlo Deus eſt, id eſt, in homine. Quapropter medico ſummè conſiderandum, quídnam præ manibus habeat. Nam ſubiectum nobiliſsimũ omnium, maximum, & momenti potiſſimi tractat. Et niſi mundũ, elementa, firmamenta nouerit, quid in homine cognoſcere poſſet: qui hoc omne, quod in cœlo & terra eſt, imò cœlum ipſum atq; terra ipſemet exiſtit, homo nempe aer & aqua? Qui creauit hæc & vtramq; monarchiam creauit, cum ſuis medicamentis in monarchia ſua: itidem & medicũ ita creauit, vt ex creatis addiſceret, non ex opinio-

num ſpeculationibus imaginationibúſue ſuis, &c. ſed in creaturis, quæ ſchola ſibi ſunt atq; doctor. Ex homine ſiquidem horum nullum procedit fundamentum neq; ſcientia. Verùm Deus quum vult, medicum excitat, quòd ſuũ ſit facere, cùm crearit eum: quare naſci permittit eundem pro ſuo, & non pro hominũ arbitrio: ſibi reſeruauit illum.

Cùm itaq; videamus terram ex cœlo ſuas arbores bonas & malas producere, cùm rari ſint anni, quibus terra ſola dominatur, fructusq́; ſuos iuxta ſuam conditionem edit, etſi valde bona ſit: ita fortis ac vehemens eſt influentia ſub rerum generationem. Non alias in corpore mulieris intelligendũ eſt inclinationes fore. Tamen optimè communiterq́; notum eſt, terram bonam fructus bonos adferre: verùm vbi nullum accidens à circumſtantibus id eſt, ab externo cœlo, contrarium non inciderit.

Ad hæc notandum, terræ ſubuenire minimè poſſe nos per ſeipſam, at eam cœli conditionibus obnoxiam relinquere debere: ni fortè quis philoſophiam

phiam rerum naturalium medicam intelligeret. Mulier tamen ab inferiori cœlo tueri poteſt,& ab eius infectione, ſcilicet;quo facto bonos edere fructus, eò quòd ipſa bona terra ſit,valet. Non parui ſanè refert intelligere,bonam arborem,bonos producere fructus. De conditione bona dictum eſt, ac ſi diceretur: Arbor bonæ conditionis fructus edit ſimiles,& omni mala conditione fortior ad reſiſtendum,in bonoq; fundatior, quàm ei nocere malum valeat. Exemplo hoc ad iſta ſe referenti melius intelliges per comparationem. Chriſtus loquitur ipſe, bonam arborem fructus bonos dare, de bona conditione loquens ex natura procedente, ex qua ſuos elegit Apoſtolos, at ex conditione, de qua malũ exurgit, duodecimum elegit,nempe Iudam. Bonæ conditionis enim apoſtolus Chriſtum non prodidit, ſed ex mala conditione fuit,qui proditionem commiſit. Cùm igitur Chriſtus bonam atque malam conditionem tuam altè proponat, in ipſa natura meritò nobis cognoſcendæ ſunt. Bonis conditionibus medica-

menta bona : malis verò mala ſunt, etſi per ſe bona:non aliàs cum his medico ſuccedit,quàm Chriſto cum Iuda. Conditiones iſtæ cum allegatis nulla ratione ſpernendæ ſunt, cùm eis morbi curabiles,&non bene curabiles procedant, non ex alio fundamento. Docet nos Chriſtus bonas conditiones è prauis eligere naturaliter, quod etiam ad ſalutem poteſt intelligi:quapropter medico naturali bonæ conditiones & malæ notiſſimæ fore debent. In exemplum adduco mulierem bonæ conditionis in ſanitate.Hæc ab inferiori cœlo malæ conditionis aut infirmæ protegenda eſt,à viro malè ſano videlicet, quòd ab iſto ſanitas illius deprauari poteſt. Item videmus bonæ conditionis homines in fide, congregari poſſe in bonum, etiam in malum per concionatores, quorum ora cœlum & inclinatio ſunt. Sic & homo cœlum eſt mulieris, non ore tamen, ſed eò quòd ipſi duo caro ſunt vna.Concionatores malæ conditionis in ea manent, qua populum ſeducunt: contrà bonus in bono cōſeruat eum. Non aliàs mulieri

ſua

ſua conditio bona hoc loco poteſt bonæ conditionis viro cõſeruari: quúmque bonum aſſociatur bono, mali nihil ex eis oritur. Ex curſu naturali Chriſtus vtique loquitur de matrimonio: Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet: ac ſi loqueretur matrimonio ſeparatis: nam veſtræ ſunt coniunctiones: malæ conditionis eſtis, peſſimè agitis. Matrimonium autem quod coniunxit Deus, illud eſt, ex quo filij naſcuntur & electi Dei: vos non ſeparabitis, nec etiam poteritis hoc ſoluere: idem ac ſi locutus eſſet: Matrimonij patres ac matres Petri, Ioannis, Simonis, Philippi, &c. Deus coniunxit, & manſerunt vnà: ex his nati ſunt Petrus, Ioannes, Philippus, &c. quia bonæ conditiones patrum atque matrumq; item prædeceſſorum eorum ſimul manſerunt, & minimè ſeparatæ ſunt. Cùm igitur Chriſtus bonam conditionem extollat, ex ea quoque ſuos eligat: pariter & medicus eam cognoſcere deberet, vt arte ſua conſeruare poſſet in bonitate qualitatis, vtque Microcoſmus & Microcoſ-

ma ſimul nedum virtute, ſed etiā corporis ſanitate conueniant: cuius ego hoc loco mentionem facio. Magna quidem eſt cognitio hæc,& multa concernit. Si Chriſtus enim hoc modo ſuos eligat Apoſtolos,Rex quoq; ſimilis fore debet, ac regio quæuis Magiſtratum eligere ſuum. Nam conditio mala, quæ bonam ſe fingit coram populo,Iudas eſt:is bonus videbatur propter pauperes, at lucro ſuo factum. Non à bonis pijſq; verbis, & ſimilium apparentia,ſed à bona conditione tantùm electio fienda. Plus ore quàm bona, valet habetque mala conditio ſermonis boni magis. Bona contrà demonſtratur operibus bonis, vbi mala nihil operatur boni: de hoc autem abundè plusq; ſatis loquitur. Ex ore nullum iudicium, ex corde verò maximum: hoc in os minimè venit abſque operibus. Ex his omnibus colligat medicus, qua ratione bonas conditiones cognoſcere valeat, ex natura bona. Quandoquidem omne quod in corde fuerit boni, demonſtrabit ipſa natura. Prout etiam de matrimonio Chriſtus

ait:

ait: Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet, id eſt, ſi bona conditio ſit in matrimonio, vos non auferetis, at perſiſtet, hoc eſt, qui non aſtiterint, à vobis non ſeducentur. Prout igitur in matrimonio probatur à coniunctionis perſiſtentia bona conditio, vel à ſolutione mala, pariter in ipſa natura fieri poteſt: nam quod bonum in ea non reperitur, in bonum tranſire minimè valet. Non aliàs enim quàm, cuncta ſeparata ſunt, Sol, Luna, dies & nox, ſic etiã diabolus & angeli, &c. Pariter homines inter, duę conditiones exiſtunt: qui tenebrarum cõditionem habent, qualeſcunq; ſint apparentia, tenebroſi manent, & ex eis nihil boni poteſt fieri, non magis quàm ex diabolo. Quum igitur natura talis fuerit, nullum remedium.

Hæc à me dicta ſunt, quia præcedentibus adduxeram, vt arbor bona maneat, id eſt, mulier, eam eſſe bonæ conditionis oportere prius, tum demùm ab inferiori cœlo, viro ſcilicet, non deprauatum iri, hoc eſt, vterque bonam conditionem quum ſimul adduxerit,

inde bonos fructus fieri. Non ſecus ac corde, licet hoc loco medicum non concernat, in medicina tamen ſimilis differentia ſeruanda. Præſepe terra quamuis bonum fructum, id eſt, ſemen habeat, in productione tamen deficit. Quapropter vnumquodque conditione cum quoque ſuo conuenire debet, vt ipſa cum ſuo ſemine terra. Hoc eſt matrimonium, quod homo non ſeparat: quia Deus coniunxit. Semen ſuper lapidem cadens exaruit, etſi bonum, ſed bona cōditio ſemper præſeruatur, ne in indignationem Dei cadat, quamuis aliquādo corde ſimili deuiet, vt bonæ conſtitutionis eſt proprietas. Similiter in medicina quum talis in ægritudinem cadit per medicinā iterum ſurgit ab infirmitate: mala tamen à natura conditio iacens manet. Hac ratione curabiles & incurabiles ægri fiunt, qui non aliàs ex patre cum Petro conueniunt, ex altera cum Iuda, qui non ſurrexit, at prout ſeipſum laqueo ſuſpendit, ita manſit, &c.

De morbis incurabilibus extant multæ fabulæ, quorum fundamentum hactenus

ctenus iſti fabulatores medici non attigerunt. Moritur etiam bona conditio, niſi habeat quo ſurgat, id eſt, auxilium ipſius medicinæ. Ignari verò medici locuti ſunt ex medicinæ defectibus, hos aut illos morbos incurabiles fore, qui tamen curari potuiſſent. Primò conſiderandum eſt inferioris ſphęræ cœlum: deinde ſuperioris & inferioris vtriuſq; ſimul vt cœlum vnum, poſtmodum ipſa cõditio, tandem corpus, & poſtremo loco mater in ſeipſa: iam in iſtis Theorica habetur integra. Similis in medicinis conditio ſeruanda eſt: nam ex iſto fundamẽto compoſitionum ars oritur, quæ ex anatomia procedit, & non ex gradibus, complexionibus, experimentis, ſed ex anatomijs, quæ medici cuiuſlibet initium & finis eſſe debẽt, & ſine quibus compoſita nullus euadet. Ars demonſtrat ſeipſam per naturalia: ſeipſam nòn occultat. Bene quidẽ homo percipit, virum & mulierẽ inter animalia cætera conuenire ſimul à ſpecie, hoc eſt, ex anatomia. Non aliàs etiã ſcire deberet medicus, morborum & medicinarũ con-

uenientiã iuxta ſuas conditiones. Nam ſi medicinam hanc, iſtum curare morbum nouit, ignorare minimè poteſt aut debet, cùm varia morborũ & medicamentorum genera ſint, quæ ſimul conueniant, & velut matrimonio iungantur: quod per anatomiam fieri debet.

Quanquam vna medicina reperitur, in qua cunctæ ſunt anatomiæ morborum omnium, & medicamentorũ pariter omnium: quę medicamenta ſummum eſt in omnibus rebus arcanum. Eó cœlum deueniet ſuis temporibus, vt vnicus morbus futurus ſit, & vnica medicina. Aſtronomi veri talesq; medici omnes intelligunt ſoli, quid per hæc velim dicere. Verùm quòd Sophiſtica, quæ hactenus in pretio fuit, adhuc non ceſſat; magna vilipenduntur arcana, tum quòd Apotecariorum coquina medicamentorum præparationes deſtruunt.

Vt ad primordia redeam, & ad concluſionem accedam, audite qui ſimul conueniant, centrum ipſius matricis, & matrix integra, tum quînam vnum aliud

aliud inficiat,hoc modo ſcilicet. Prout ſubtile penetrat vitrum, & quod in eo continetur,calefacit. item vt ignis, qui firmum ſuo calore penetrans in æſtuarium, agit abſq; læſione cuiuſuis, non aliàs morborum ſpiritus per centrum matricis, & non per poros tranſeunt, cùm iſtius conditionis infirmitates o- nes,ſolùm ſpiritus exiſtant,qui non ſecus à ſuis corporibus recedunt, quàm à Sole calor: ſi quem Sol enim adurit, ſpiritus id Solis agit. Differentiam hanc animaduerte hoc loco,Sicuti Sol per vitrum calefacit,& ignis per furnũ, per, vel trans pellem hominis id minimè faciunt: ſed calor exiſtens in hominis corpore corroboratur externo calore, bullitq; ſuis in liquoribus, vt vapores expellat, ſicuti bullientium eſt conditio proprietaſq;: hinc fit vt vaporem ſuum per poros emittat, ſpiritum infirmitatis (de quo hîc agitur) extra centrum matricis. Intelligendum eſt ſpiritum hunc aliam fore ſubſtantiam,quàm ſemen ipſum,& quàm ſubſtantia matricis: item ſemen ſuam ſubſtantiam habere,prout iſtæ tres condi-

tiones,& tria centra ſeparantur. Etiam vbi matrix infirmatur, primum hoc, nempe morbus iſte, corpus fit, quod manet poſtmodũ vapor ex eo, ſpecies eius eſt, non aliàs quàm fragrantia, quę ex moſco roſisue procedit, atq; penetrat nemine vidente vel tangẽte quid ſit. Similes exiſtũt infirmitates omnes ex matrice tranſeuntes in corpus. Quę verò ex corpore veniunt in matricem, corporales exiſtunt,& cum ſuis corporibus, vt ſuo loco dicetur latiùs. At ſpiritus ex matrice venientes in corpus colorati ſunt, id eſt, colorandi poteſtatem habent, prout ſpiritus vitrioli tingit,& ſpiritus eſt: non aliàs illi ſpiritus. eſt morborum, tingunt, & corpus in omnibus arripiunt, ac ſi corpus haberent.

Cùm igitur matrici multæ variæq; accidant infirmitates, euenire ſæpius poteſt, vt vna curetur per alteram, vt quum centrum matricis infirmatur, ſæpè curatur per matricem, & hæc per illud. Nam vti vnum aliud inficit ægrumq; reddit, nõ aliàs ex aduerſo per eiuſmodi conditionẽ vnum aliud curare

rare poteſt. Vbi namq; morborum eſt origo,radix etiam ſanitatis ibidem haberi poteſt. Quandoquidem ex ea radice ex aqua morbi procedunt, ex eadem ſanitas prouenire debet:item vnde ſanitas oritur, inde pariter infirmitatem exire neceſſum eſt. Verùm poteſt infirmitas ex ſeipſa procedere:non aliàs ex ſe venire poteſt aut redire ſanitas. Item ſi per accidens infirmari nos poſſibile ſit, accidente ſimiliter ſanari non eſt impoſſibile: nam in quo nos ægrotare contingit, in eodē etiam ſanos fieri. Quapropter ſi nobis Aſtrum infirmitates infert,ſanitatem idipſum adferre debet: quoniam in ſua conditione quodq; manet,in extraneā minimè tranſiens. In corpore microcoſmi ſimiliter fit,vt externa ſanitas internam infirmitatem ſuperet, id eſt,ſanitas corporis vincit infirmitatē centri: tum iſtius infirmitas, corporalem ſanitatem ſuperat matricis. Quoniam ſi cœlum externè poteſt interna corporis noſtri ſani, quod habemus à terra, lædere: potens eſt è contrà curare cōſeruareq; hoc idem corpus,quod æ-

grum defectus ipſe reddere vult aut poteſt: ibidem etiam æqualis eſt conditio, quod Hippocrates his verbis intelligit eodem quo nos modo. Virtus (inquit) eſt illa, quæ morbos curat, id eſt, vna virtus aliam pellit. Virtus itaq; cœleſtis eſt potentia, non ex medicamento, ſed inuiſibilis medicina quædam: vt cùm quis per ſe curatur abſq; medicamento, hoc eſt, per virtutem ſanari: Virtus hæc Aſtronomia cœleſtis, quæ curat infirmitates: qui tamen hac ratione ſanitatem non recuperant, eos medicamentis vti neceſſum eſt, & per arcana curantur Arcanum virtus non eſt, ſed vis & potentia, longè plus quàm virtus: quamuis hic error hactenus in medicina verſatus ſit, vt vires potentiales appellarint virtutes: quia non intellexerunt Hippocratem ſuum, nec eius commentaria.

CONCLVSIO.

HIS paucis monarchiam concernentem ipſam mulierē ſummarie concludam, quam diligenter medicis

cis

cis conſiderandam relinquo. Tametſi his eam finiuiſſe nolim, ſed latiùs Deo dante quālibet mulieris infirmitatem, quam cum viro communem, tum eas, quas peculiariter abſque viri communione habet, vobis præſcribam ſingulariter omnes, vt iſta microcoſmi Monarchia cognoſcatur & intelligatur: adiectis expoſitionibus omnium, declarationibus & cauſis ad hæc neceſſarijs, vnà cum virilibus, anatomicis & alchimicis demōſtrationibus ac mundanis, præter quas medicus eſſe non poteſt. In iſta monarchia diſſentire me fateor ab omnibus alijs medicis, & per eam ſeparatum ab eorum opinionibus, & meritò, cùm ipſi manifeſtò comperiantur ignarè, tum abſq; vllo fundamento medicinam agere, nec non præter lucem naturæ ſcribere, cùm tamen ſcribere nullus deberet medicus, niſi quæ eadem luce probari valeant vt ſcribit. Nam ſi medicinam ex terra depromere debeat, neceſſariò terra medicus erit, & nō homo: quapropter ex terra diſcere debet his vti, quæ producit hæc illis, & vbi neceſſaria ſunt.

Quæ quidem ſi ignorauerit, eius ſcripta ſunt opiniones & ſomnia, tantùm in ſeductionem poſita medicis & corũ patientibus ægris. Etiamſi fundati ſint in Academijs ſuper quatuor columnas, ſuper quas etiam ædificãt magna, contra quę neminem loqui, vel ſtatum eorum carpere poſſe putant: attamen fatentur ipſimet eas ordinaſſe, verùm, ignorant, an ſpeculatio vera ſit an falſa, propriam illis defenſionẽ relinquunt: aliquot experimenta, rationesq; mouerunt ipſos, quę ſi ex vero fundamento ſint, ſemetipſa defendant. Leuis eſt & friuola columnarum erectio, debilisq; fundamenti iuxta molem, quam ſuper eas ædificant. Item qui ſeſe in Academias intruſerunt, quartũ ſe membrum fore iactant, errare non poſſe. Verùm in eo craſsè nimis erratum eſt quod admiſſi fueritis. Fundamentum ex Chriſto ſumpſerunt, qui loquitur: Indigent ægri medico. Verùm quòd nomen retinueritis, putarunt vos fore tales omnino. Profectò ſi melius conſideraſſent, Chriſtum ex terra creaſſe medicum & medicinam, item Chriſto

locum

locum in ſimilibus dandum: quæſtionem in Academijs propoſuiſſent: Vtrũ à Deo vel diabolo creati fuiſſetis, id eſt, vtrum veritatis vel mendacij ſectatores exiſtatis: tum demum innotuiſſet, vtrius iſtorũ creaturæ ſitis vos. Deum enim condemnatos Pedagogiſtas, Procuratores, Apotecarios, Presbyteros, Monachos, & ſimiles in medicos elegiſſe vel creaſſe falſum eſt. Crearunt vos Lipſia, Tubinga, Vienna, Ingolſtadiũ, &c. quapropter creatoribus creaturæ ſimilis eſtis. Nihilominus tantillum olfacitis in Aſtronomia, parum in Philoſophia, puſillũ in Logica: ſed hoc omne calidũ non eſt, neq; frigidum, at prorſus inſipidum. Si tamen Aſtronomus abijceret ſua Sortilegia, Philoſophus ſua irrationabilia: Logicus verò ſua mendacia relinqueret, æquũ foret, vt in medicina locũ aut fundamentum haberetis. Velle voſmetipſos per Machaonem, Apollinem, Ariſtotelem, Galenũ, Auerroem, Auicennam, Meſuem, &c. defendere, vanum eſt: probareque docereque vos prius decet, an mentiti ſint aut non. Si veſtra ſcripta ſi-

THEOPHRASTI PARACELSI ſummi philoſophi ac Medici

PARAGRANVM.

Hoc eſt,

De quatuor Medicinæ columnis, ſcilicet Philoſophia, Aſtronomia, Alchymia & virtute.

Paracelſi præfatio.

NON leuibus de cauſis hactenus in lucem quædam edidi de morbis aliquot, in quibus pręcipuum meum argumentū fuit, errorum medicinaliū conſideratione dignorum reprehēſio. Hoc igitur ab illis ipſis erronibus in peſſimam mihi partem trahitur, nec ſolùm ipſi, ad quos hæc pertinent, id faciunt, ſed & contra me commouent medicos imperitos, qui harum rerum

fundamenta non intelligunt, vt me, cùm tamen ipſis benefaciam, in gratiam aduerſariorum meorum, criminentur, vt nocens innocens apud futuros meos aduerſarios infamiam incurram. Cogor igitur hunc librum PARAGRANVM inſcribere, in quo tractô de fundamēto, ex quô ſcribo, fundamento ſcilicet, ſine quo nullus, medicus naſci poteſt, in quo adeò me patefacio, vt animus meus tandem omnibus manifeſtetur, measq; in partes tranſituri ſint illi ipſi, qui nunc in aduerſariæ partis gratiam non ſolùm impedimento mihi ſunt, ſed & aliqua ex parte ſanguinarias ſeditiones contra me excitant, nulla habita ratione eius, quod propoſitum meum in vtilitatem cedat ægrotorum. Et quamuis criminationes & conuitia omittere debuiſſem, illa tamen non ſunt foro digna, ſed eiuſmodi, qualia ſcriptorum mos & profeſſorum libertas fert in demonſtratione errorum, quæ decenti modo fit: præſertim verò maior libertas illi concedenda eſt, qui longè meliora in lucem profert & proponit, & de-

Conuitiorum huius libri excuſatio.

deterius veracibus verbis reprehendit, vt detrimento anteuertatur. Meliora enim in ſcriptis meis proponuntur, quàm alia hactenus ſcripta plauſibiliter docuerunt, ita vt ne litera quidem vnica immixta ſit abſque ſingulari experientia, & ſimili modo mihi contra dici debere exiſtimo. Scripſi autem hactenus (quod mihi quidem nimis parum, aduerſarijs verò meis nimis multum videtur) præcipuè de impoſturis illis craſſis, quæ retinentur in ligno, argento viuo & purgãdo, à medicis phyſicis ſeu corporis interioris, & de ſtultitia chirurgorum in vſurpandis ſectionibus, cauterijs, corroſionibus, &c. dicens, vtrumq; genus medicorum imprudenter agere. & prætereà ſcripſi alia quoque, quę mihi in peſſimam partem interpretantur, nempe de tartaro: de origine puſtularum: de modo pharmacandi: de modo phlebotomandi: & quæ in libris Paragraphorum ſcripſi. In his omnibus perſonam meam taxant: non autem manum patinæ admouent: itaque cogor his contemptibus, præſertim cũ me in inſulas Pontij Pila- *Quæ hactenus ſcripſerit.*

ti relegare conati ſint,in Germania ma nere,meamq; patriam colere,ibiq; vobis tandem omnibus fundamētum,& ſolum,in quo cōſiſtunt columnæ meę medicinæ, patefacere, vt illis perlectis & perpenſis de me iudicare poſſitis, meaq; ſcripta damnare, ſi non ex radice Cheiri prodeo, & iudicare, ánnon meritò mihi concedi debeat & indulgeri,vt ex hoc fundamento indeſinenter ſcribam. Enitar igitur poſthac ea, quæ iuxta meorum aduerſariorū ſententiam, nimis breuiter à me ſcripta ſunt, exquiſito fundamento & fuſioribus verbis declarare, vt, ſicut volunt, mea ſtultitia & ipſorū ſtultitia pateſiat, mea & ipſorum experientia, meum & ipſorū fundamentū vniuſcuiuſq; oculis manifeſtetur: quandoquidē ſanè vtraq; ex parte expetitur interius cor, & quomodo interior medicus exteriori aſſimiletur. Quod mihi ſiniſtrè interpretantur, quòd alia ſcribā, quàm ſcripta ipſorū doceant, id nō fit ex mea, ſed ipſorū ignorantia: omnia enim ſcripta mea nihil extra fundamentū veritatis continent, imò bene radices egerunt, & tempore

Alia quidē ſcribit, quā aduerſarij, ſed vera tamen.

tempore Maij ſui frondes ſuas emittunt: quòd verò iſti tam matura ſcripta murmure proſequũtur, non ex paruis cauſis fit: nemo enim clamat niſi vulneratus: nemo vulneratur niſi qui ſentit: nemo ſentit niſi qui corruptibilis eſt & obnoxius interitui: cùm igitur iſti clamant, cauſa eſt, quòd ars ipſorum fragilis & mortalis eſt, nihil ſanè clamat niſi quod mortale eſt: cùm itaq; ipſi quoq; ſint mortales contra me clamant. Ars medica non clamat contra me: eſt enim immortalis & immortali fundamẽto innititur, ita vt prius cœlũ & terra ſint ruitura, quàm medicina emoriatur. cùm igitur ipſa medicina mihi infeſta ſit, quid me moueret clamor medicorũ mortalium? qui ſolũmodò ideo clamãt, quòd à me reijciuntur & vulnerantur, quod inditio eſt ipſoſmet in medicina ægrotare. ille morbus eſt certamen cõtra me: non enim libenter patefit: maximè enim in hoc murmurãt, quòd pulſum tango, qui in ipſis pulſat, potiusq; defendere volũt ſuũ detrimẽtum, quã propugnare quę ad ęgrotos pertinẽt, ſciẽtiam ſcilicet, doctrinã,

experientiam, probitatem, in quibus ſcriptorum meorum cauſam & originem quæro. Sed nec ex eodem fundamento, imò multiplici contra me pugnant, ita vt quilibet peculiare fundamentum habeat, cùm tamen vnicum in medicina ſit fundamentum: iſtius autem diuiſionis cauſa eſt, quòd ex fragmentis nati ſunt, ideo dicunt, tu doctor, hoc defende, tu baccalauree iſtud, tu tonſor illud, tu balneator aliud. Summum eorũ telum contra me eſt, quòd non ex ſcholis eorum prodierim: ego verò ſi ita ſcriberem ſicut ipſi, mendacij crimen non effugerem: veterum enim ſcripta ſemetipſa falſa oſtendunt. Quis igitur non falſus ex ipſis naſcetur? Si in medicina veritatem ſcribere volo, non ſolùm diſcipulis, ſed & præceptoribus & magiſtris eorum omnibus: omnes enim me coniungere oportet, quandoquidem tam clamoſi ſunt: & ſi tam clamores eorũ, quàm artem medicam patefacere volo, oportet me ea ad manum ſumere, in quibus medicina conſiſtit, vt mei ſimiles dignoſcere poſſunt, an mihi liceat ſcribere

Veritas medicinæ in quatuor columnis conſiſtit.

ſcribere vel non. Fundamentum itaque meum quod habeo,& ex quo ſcribo,ſunt quatuor illæ columnæ,ſcilicet philoſophia, aſtronomia, alchymia & virtus: his quatuor inſiſtam & quoſuis aduerſarios expectabo, viſurus an extra has columnas medicus vllus contra me exurgere audeat. Iſti autem contemptores ſunt Philoſophiæ, contemptores Aſtronomię,contemptores Alchymię,& contemptores virtutis:quomodo igitur non poſſent ab ægrotis contemni? cùm ea contemnant, quæ ægroto medicinam producunt: qua enim menſura aliis metiuntur, eadem viciſſim ipſis menſuratur,& opera ipſorum ipſosmet confundunt. Chriſtus erat fundamentum ſalutis, & nihilominus ſpernebatur,ſed contemptus ille recidebat ſuper contemptores, ita vt neq; ipſi, neq; Hieroſolyma permanerent: ita & ego comparare poſſum iſtas ſectas academiarum,tonſorum & balneatorum,agyrtis illis Franciſcanis, quos nudipedes appellant,in illa tribu clamatorum vos ſuprema loca occupatis. Sed de fundamento meo plura

ſunt dicēda: quis igitur poteſt eſſe medicus, qui non ex quatuor dictis columnis abſq; macula natus ſit? nullus certè, imò vndiq; in iſtis quatuor eum experientiam habere oportet: illæ enim ſunt medicus, homo non: illæ ſunt ſigna: illæ ſunt medicina: in ipſis poſitus eſt medicus, in iſtis ægroti conſolatio & ſpes ſita eſt, ſicut in cruce Chriſti mortuorum refocillatio. Cùm itaq; ego ex hoc fundamento medicinæ ſcribam, oportet me damnari: quoniam enim ex vero fundamento aut vero thoro nati non eſtis, adhęret vobis ſpuriorum natura, ſeſe in ſupremum locum extollens. Quis inter omnes doctos non mallet in ſua profeſſione ſaxo potius, quàm arenæ inniti? niſi ſolummodò iſti cornuti academici beani, qui ex ſuo fundamento nomen quoque habent, cui innatant, nec depoſitionem ferre queunt: itaq; picti medici manēt. & niſi ita picti pro forma incederent, quis eos pro medicis agnoſceret? certè opera eorum non oſtenderent eos, ita foris ſunt pulchri: intus autem nil niſi lutum & ſtatuæ pictæ. Quis doctus medicum

medicum quærit in externa ſpecie? nullus ſanè. Quis autem quærit eum in externa ſpecie? ſimplex vulgus. Quale autem fundamentum habet medicina illa, quæ à nullo docto quæritur, & in qua nulla ineſt philoſophia, in qua nulla animaduertitur Aſtronomia, in qua nulla alchymia reperitur, in qua nulla virtus deprehenditur? & propterea quod ego hęc doceo, quę ad medicum pertinent, nomen mihi mutatur ab ipſis: Cacophraſtum enim appellant, cùm tamen multò melius THEOPHRASTVS vocer, & naturæ & baptiſmatis ratione.

Aſtronomia ignem & aerem: philoſophia inferiora duo elemẽta, aquã et terrã tractat: alchymia præparat in his natã medicinalẽ materiam.

Poſthac igitur rectè meam ſententiam intelligite, quomodo fundamentum medicinæ ponam, & in quibus perſiſtam, & perſtiturus ſim, nempe in Philoſophia, in Aſtronomia, in Alchymia & in virtutibus: ita vt prima columna integra ſit philoſophia terræ & aquę: ſecũda verò ſit Aſtronomia & Aſtrologia cũ perfecta cognitione vtriuſq; elemẽti, aeris & ignis: tertia verò ſit Alchymia illa immaculata, cũ omnibus pręparationib. & proprietatibus

ſuà induſtria dominans quatuor dictis elementis. Quarta autem columna ſit virtus, quæ cum medico perſeueret vſque in mortem, quæ & concludat & conſeruet cæteras tres columnas. Hæc itaq; bene animaduertite: nam & vos hanc viam ingredi oportet, quatuorq; columnas experiri, aut ruſticis paganis patefiet veſtra ſcientia fallax, nec non principibus, dominis, ciuitatibus & regionibus, quòd ſcilicet nulla veritas nec peritia vobis inſit, & quòd reuerentia, quæ vobis exhibetur, ſtultis & hypocritis contingat, hoc eſt, vobis Pſeudomedicis. Sicut igitur ego quatuor iſtas columnas mihi propono, ita & vos oportet facere, ita vt vos me ſequamini & non ego vos. me ſequimini Auicenna, Galene, Raſis, Meſue, Montagnana, &c. vos me ſequemini, & non ego vos. Vos Pariſienſes, vos Montepeſſulani, vos Sueui, vos Miſnij, vos Colonienſes, vos Viennenſes, imò quicquid Danubio & Rheno continetur: Vos in inſulis maris: tu Italia, tu Dalmatia, tu Sarmatia, tu Athenienſis, tu Græce, tu Arabs, tu Iſraelita, omnes me ſequemini,

Theophraſtus monarcha & caput erit medicinæ, quē omnes ſequentur.

quemini,

quemini,& nō ego vos, Nullus veſtrûm vel in abditiſſimo angulo, vbi canes mingunt, manebit. Ego Monarcha ero, mea erit MONARCHIA: ego geram monarchiam, & cingam lumbos veſtros. Quomodo ſic vobis placet Cacophraſtus? iſtas lautitias vos deuorare oportebit. Quomodo vobis cornutis placebit, quando veſter Cacophraſtus princeps erit Monarchiæ? vos calefactores autē eritis purgatores caminorum? Quomodo videbitur vobis, ſi triumphabit ſecta Theophraſti? vos autem in meam philoſophiam cogemini conſentire, & veſtrum Plinium Cacoplinium appellabitis: & veſtrum Ariſtotelem Cacoariſtotelem: ego verò & ipſos & veſtrum Porphyrium, Albertum, &c. in meam merdam impreſſero vnà cum veſtra compaternitate. Hæc omnia mihi efficiet VIS MINERALIS & generatio mineraliū, quicquid inter duos polos mundi eſt, erit mihi pro armis, veſtram Aſtronomiam, Geographiam in lacum Pilati præcipitandi. ALCHYMIA ipſa mihi veſtrum Aeſculapium, veſtrum Aui-

Mineralia Theophraſti præcipua laus.

cennam,veſtrum Galenum,aliosq; ve-
ſtros ſcriptores ad alcalı vſq; decoquet
& in reuerberatorio vſq; ad extremas,
fęces cōburet. Vulcanus verò ſulphur,
picem ac oleum infundet:exactius ad-
adhuc purificabimini quam aurū per
ignem: in antimonio vos examinabo
& videbo, quomodo infundo vaſis re-
gulū efficiatis:expoliam vos in ſmiri:&
virtus,vt quarta medicinę columna,ex
vobis maius ſpectaculū efficiat,quàm
vnquā Iuriſcōſulti in pœnā malefacto-
rū excogitarunt.ô quàm ridebūt veſtri
ægroti,quos perdidiſtis?O veſtri miſeri
Galeni animam, qui ſi in medicina im-
mortalis manſiſſet, manes ipſius in a-
byſſo inferni non ſepulti eſſent,ex quo
mihi ſcripſit, cuius datum erat ex in-
ferno:minimè autem credidiſſem prin
cipem Medicinæ in culum diaboli a-
bijſſe, quem & conſequuntur diſcipuli
eius, aut ſaltem in matris ipſius Tro-
phonium antrum deſcendunt. Iſténe
eſſet princeps Medicinæ, in quo requi-
eſceret medicina? tunc ſanè medici ma
ximi eſſent fatui,qui ſub ſole viuerent,
ſed & egregiè probant, quòd eum ſtu-
dios

dioſè imitentur. Si nullum aliud ſubſidium contra vos haberem, quàm teſtimonia ęgrotorū, quanti in Monarchia medica fierem? qui ſcilicet tam diuturnum & vetus mendaciū retego, veriſq́; teſtimoniјs cōfirmo, adeoq́; clarū reddo, vt ſol æſtatem. Multò magis verò in Monarchia locū habebo, ſi præter teſtimonia ægrotorū, vos quadruplici facultate vincam, eoq́; adigam, vt vos doceā, & nō vos me. Quicquid enim ex vobis didici, nix pręterita abſumpſit: librorum turbā in ignē S. Iohaunis cōieci, vt omne infortuniū cum fumo illo in aerē diſpergeretur, atq; ita purificata eſt Monarchia, nec ab vllo amplius igne conſumetur. Vos igitur iam conſiſiderate liberè vtrius ſit Monarchia, meáne an verò veſtra? certè niſi verba veſtra oſtentatoria vobis gratiam magiſtratuū conciliarent, pauperiores Codro eſſetis, propriumq́; ſtercus prę mera pauperie comedere cogeremini. ita inſtituit Galenus ſuos diſcipulos, vt ex mortuis & perditis hominibus viuant: quòd ſi mortui cōualeſcerent iterum, in naſo potius veſtro cacarent, quā amplius vobis gratioſe domine dicerent.

Scitote igitur, me non eſſe philoſophum educatum iuxta veſtras doctrinas. Quid autem me ad id impuliſſe exiſtimatis? nempe quòd abſque vlla veritate NATVRALIA deſcripta ſunt apud vos, nihilq; aliud, quàm opinio incerta veſtri textus & fundamenta ſunt, ita vt Philoſophiæ veritatem nondum attigeritis. Quid autem primum in medicina eſt? nempe vt medicus norit id, quod ante hominem fuit, ſcilicet philoſophiam, quæ nihil eorũ, quæ poſt hominem ſunt, tractat, ſolummodò ea, quæ ante hominẽ ſunt, eáq; perfectè & ſolidè nouit, vt peritus practicus non tamen medicus. & quidẽ duplex hîc philoſophia reperitur, nempe rerum ſphæræ inferioris, & rerum ſphæræ ſuperioris. Dico igitur duplicem eſſe philoſophiam, duplicemq; medicinæ introitum, & vtrumuis denuò duplicatum: nam quælibet ſphæra duo elementa continet. Quin & Aſtronomus philoſophus eſt cœli & aeris, & quicquid Aſtronomus nouit, etiã philoſophum noſſe decet: & econtrà Aſtronomus philoſophiam nouerit: vterque

Aſtronomiæ, Philoſophiæ & Alchymiæ neceſſitas.

terque vocatur Aſtronomus, vterque etiam philoſophus, prior vtitur mirabilibus ſphæræ ſuperioris, poſterior aſtris ſphæræ inferioris, ita vt minera & aſtrum vnum & idem ſint. Cur autem putas me tibi iſta proponere? certè non loquacitatis cauſa, ſed ideo, quòd medicum eo modo in duas ſphæras diuiſum eſſe decet, nempe in Philoſophicam & Aſtronomicam ſphæram, ſed & exteriores ad interiores referre comparare, ita vt medicus ſit interior Aſtronomus, & interior Philoſophus, natus ex philoſophia & Aſtronomia. Nondum tamen medicus natus eſt, ſed ſicut in flore pyri gemma pyri fons eſt: pyrum autem illud nemini prodeſt, ita etiã hoc in loco medicus eſt, ſed nondum meſſis eſt. Idcirco Alchymiſtam eum eſſe oportet. quid maturat pyra? nihil aliud quàm Alchymia naturæ. quid ex gramine lac efficit? quid vinũ ex ſicca terra procreat? ſanè digeſtio naturalis. Sicut itaque natura foris Alchymiſtam habet, ita medicum quoque matureſcere oportet: & ſicut omnium rerum præparatio in natura fit, *Alchymia.*

ita etiam à medico fieri oportet. maturatio fructuum eſt naturę decoctio: quicquid enim natura in ſe habet, id coquit, quo cocto natura perfecta eſt. ſimiliter quando medicus coquere nouit ea, quæ philoſophia & aſtronomia ſuppeditant, tunc eſt medicus, qui ſolatium & gaudium afferat hominibus. Poſthac itaq; neceſſe erit, vt dediti ſitis Philoſophiæ, Aſtronomiæ & Alchymiæ, ſine his nihil honeſti efficietis.

Vbi hîc relinquuntur veſtri apothecarij & cænum illud iuſculorum? vbi eſt veſtra aſtronomia & philoſophia? Quid aliud hactenus veſtra ars fuit, quã fundamentum putre, per quod vxores & liberos veſtros exornaſtis? oportet me hæc in lucem proferre, etiamſi mihi iterũ ſcorpiones in olera miſceatis: in vobis enim venenum illud, & in me minimè ſuffocabitur, veſtraq; doloſa conſilia in caput veſtrũ recidant. A primo veſtro ſcriptore ad vltimum vſq; nunquam hactenus ſciuiſtis, quid medicus ſit: id enim innata veſtra ſcientia demonſtrat: quid autem ſophiſta eſſet, optimè nouiſtis. quod ſcire vultis non

Theop. ab aduerſarijs ſcorpiones oleribus mixti.

eſtis,id eſſe vultis quod neſcitis.iterum dico non medici,ſed ſophiſtę eſtis.Hoc enim vos ipſi teſtamini veſtriq́; libri, cùm non habeatis tantum veritatis,vt vel de minima vrina iudicare poſſitis, quídnam præſagiat & ſignificet. Quid autem hoc eſt? aut quid valent iudicia iſtius falſæ determinationis ? Veritas artis omnes proprietates vrinæ oſtendit, quas medicus tam bene & certò ſcire poteſt,ac ſutor calceum ſuæ formæ inducit.Cùm igitur perfecta cognitione artis vrinariæ careatis, pro quibus alijs vos habebo, quã quòd dominæ doctoriſſæ reditus & cenſus colligatis, vt eò meliùs in ſandalijs incedere poſſit, ſicut ganeones, quibus honore pares eſtis. Medicũ autem verum talẽ eſſe decet, vt morbos excidat ſicut ruſticus arborẽ ſecuri, vt & morbus ita concidat: quòd ſi ego hanc artem non noui, ipſemet quoq; tunc non ero medicus ſicut vos: ita enim cõdita eſt medicina,vt abſq; hęſitatione & mẽdacijs vſurpari poſſit : nihil enim imperfecti Deus creauit, ideoq; etiã perfectũ medicũ non dubitabundũ: Deus enim nõ

Theophr. morborũ extirpator

vult de ſe dici, quòd aliquid imperfecti homini propoſuerit: homo autem ipſe rem perfectam imperfectè ad manus ſumit, hîc ſitum eſt veſtrũ fundamentum, hic latus veſtrum pungitur & firmamentum veſtrum. Medicum itaque perfectum eſſe, & quatuor columnis ſupradictis inniti decet: hoc ordine ingrediendum eſt in medicinam, non à ſuperiori parte per foramen porcorum deſcendendum. Quoniam igitur ego hæc contendo, oportet me eſſe membrum abiectum academiarum, hæreticum facultatis medicę, ſeductorem diſcipulorum: meq; falſis ſcriptis Galeni, Auicennæ, &c. refutare volunt. Vos medici me euertere conamini, verùm ego vireſcam: vos autem eritis ficus areſcentes: vos ex falſo ſidere nati eſtis, quod curſum ſuum finiet, cœtumque proprium malum ſuum puniet, ſuosq; Aſtronomos corriget, terraq; & aqua ſuos philoſophos renouabunt, lumenq; naturæ ſuos Alchymiſtas regenerabit, & ægroti ſuos medicos baiulabunt. in iſto delectu, vbi manebit Doctor Conradus, magiſter pectens pe-

Inſtat renouatio medicinæ.

pediculos, & magiſter vertẽs podicem vnà cum circumforaneis nugacibus & ſuperbis aſinis? quis poſt illum delectũ aliquid dabit ſubſidij dominæ tuæ ad emendum frontale aut amiculum collare? Nemo, ſuperbia enim & pompa ipſarum mẽdacijs ſuſtentata fuit, cum quibus & ſublata eſt: quàm ſibilabunt iſti doctores peplorum, ſicut ſerpens aduerſus bufones. Venenum ipſorum in ipſos redeat, & non in me tranſeat: ipſimet deuorent ſuas apothecas, melius eſt ipſos ſuffocari, quàm me.

Concluditur itaque, quòd curatio efficiat medicum, & quòd opera efficiant magiſtrum vel doctorem, non Cæſar, non Papa, non facultates, non priuilegia, non academia: eos enim latet id, quod medicum gignit, ideoque ſolummodò externam ſpeciem intuentur, vt aliquid ſaltem videantur eſſe. Nullus hactenus medicus in academijs natus eſt, qui veridicè vel minimi morbi cauſam edocere potuiſſet. Cur igitur vos laruati gerrones criminamini mea ſcripta, quæ nullo modo refellere poteſtis, niſi quòd dicitis, me nihil a-

liud ſcribere poſſe,quàm de luxu &Venere: an autem ea res parua eſt?aut ita contemnenda, vt vos ſentitis, cùm omnes morbos vulnerarios cõplectar, quomodo in morbum Gallicum tranſplantentur, qui morbus omnium,qui in mundo ſunt,maximus eſt,nec peior vnquã repertus eſt, nulli parcens, præcipuaq; capita maximè aggrediens.

Morbus Gallicus omniũ morborũ maximus.

Anne igitur contemnendus ero in hoc quod principum,dominorum & ruſticorum vtilitatem quæro,& quos errores offendam enumero? Id quod mihi magnæ gloriæ & bono eſſe debebat, vos in lutum proijcitis, nec parcitis ægrotis: illo enim & nõ me in cænoſum lacum præcipitatis: non conſideratis vtilitatem,quę per opera mea efficitur, imò ægrotos in veſtri gratiam ſe cognoſcendos & perſcrutandos præbere oportet,& vt vobis placeant me con temnere,& nihilominus morbum ſuũ retinere:quin &myſteria & arcana,quę ipſos latent manifeſtare non vno, ſed pluribus modis.Quoniam autem ARCANA iſtas compoſitiones excæcant, ea contemnuntur, in quibus tamen

men Soldanelli, Barbari, Perſæ, Chaldei & omnes linguæ oblectantur, & maximam eorum vim percipiunt, quam Deus ex diuina clementia omni religioni cõmunicauit: hanc clementiam præ ſua ſuperſtitione abijci volunt, vt ipſorum infidelitas Dei fidelitati antecedat: ſibi enim ipſis fideles ſunt, ægrotis verò infideles. Cogor igitur eos beanos appellare, cùm veritati naturali reſiſtant, ſuisq; ſirupis & pilulis omnia arcana clamando ſuperare nituntur: non ego itaq;, ſed ſeipſos ipſi patefaciũt, hisq; ſuis clamoribus infatuant auditores, vt de arcanis & myſterijs naturæ nihil audire velint, ſed oportet eos immergi decoctionibus & mixturis, etiamſi ſuffocentur in illis.

Arcana cõtemnuntur.

De ſtirpe ſerpentum oriundi eſtis, idcirco venena mihi à vobis expectanda ſunt, quanta cum contumelia me proclamaſtis pro LVTHERO MEDICORVM, cum hac explicatione me eſſe Hæreſiarcham, non Monarcham: Ego verò ſum THEOPHRASTVS, & plus quàm illi ipſi, quibus me comparatis: ille ipſe

ego ſum, & præterea ſum MONARCHA MEDICORVM, eaque vobis probare poſſum, quæ vos minimè probare poteſtis. Lutherus ſua defendat: ego quoque mea plana faciam, aliosque omnes, quos mihi confertis, ſuperabo, ita me extollent arcana. Quales homines oderunt Lutherum, talis turba me quoque odit: & ſicut veſtra ex parte de illo ſentitis, ita de me quoque, nempe ad ignem: ſed non opus eſt, vt hoc lixiuium expectem: non cœlũ ex me fecit medicum, ſed Deus: cœlum non facit medicos, medicina eſt ars, quæ ex Deo eſt, non ex cœlo. Ego gaudeo, quòd mihi infeſtiſſimi ſitis: veritas enim non habet hoſtem niſi mendacem: ego audeo vobis maledicere, vt agyrtis: hoc me docet hoſpitale veſtrũ, ſi vobis animus eſt, vicem mihi reddite ſimili cum veritate: ſed non opus eſt, vt contra vos induam arma aut loricam: non enim tantùm doctrina valetis aut experientia, vt vel minimam literam mihi euertere valeatis. Si caluitium meum tam bene à muſcis defendere poſſem, quàm meam Monarchiam

Theophraſtus caluus fuit.

chiam à vobis defendam,aut ſi Mediolanum à ſuis hoſtibus tam tutum eſſet, quàm tutus ego ſum à vobis,neq; Heltij neque lancigeri eò proficiſcerentur. Ego meam Monarchiam non authoritate, & perſonarum reſpectum propugnabo, ſed arcanis,non quæ ex apotheca deſumam: illa enim nihil aliud ſunt, quàm iuſculorum colluuies, nihilque aliud ibi fit,quàm colluuies iuſculorum. Vos autem tuemini vos aſſentando & adulando. Quandiu autẽ exiſtimatis rem hanc duraturã? Retia mihi tetendiſtis, vt in manus coriariorum inciderem, profectò vos ipſos pro merito tractabunt, & in lupinam foueam veſtram ipſimet cadetis: vóſne me diſputando vincere contenditis? qui tamen ſimplicia non nouiſtis, & ab apothecarijs illa addiſcitis. quid hoc eſt? quid hoc ſignificat? vos gloriam reportare conamini, & adhuc apothecariorum diſcipuli eſtis, quibus ſi veſtes depoſuiſſetis, ne canem quidem curandum committerem.

Ordinariũ et iuratum Phyſicũ eſſe, non dat doctrinam.

Quandoquidem non ſum ordinarius, & in ciuitatibus & aulis principũ

ſtipendio conductus, ánne propterea minus acceptus eſſem? iſti autem confidunt ſuo iuramēto dato, & ſub illo ipſo me vincere diſputando volunt: ſed profectò iſta fiūt ex ſimplicitate magiſtratuū, qui ipſos ita conducūt, vt omnem diligentiam quantā poſſunt, adhibeāt, idq; iuramento polliceantur: ſed non conſiderant, quòd nulla diligentia ab ipſis prꝩſtari poteſt: acciperent enim vnius anni reditus & aliud iurarēt. Quid verò proſunt hꝩ ineptiæ? quomodo ſenatus poſſunt eſſe tam ſimplices, vt tales medicos iuramento obſtringant, cum iuramento ſatisfacere nequeant? eiuſmodi conductione melius radices agunt deceptiones: ignarum enim vulgus exiſtimat, eum qui iuramento tali obſtructus fit, non poſſe errare, arbitrantes vbicunq; ſit conductio & iuramentum, ibidem etiā eſſe ipſam ſcientiam. Propter iſta igitur iuramenta approbari volunt, quaſi verò nullus alius verax eſſe poſſet, niſi iſti deieratores: ſed quæſo vos perpendite, quot homines iſto iuramēto decipiantur, tunc falſis iſtis teſtimonijs nunquam locū dabitis.

bitis. Infirma certè teſtificatio eſt eorũ, qui hoc iuramentum imponunt, per quod colligitur ars eſſe alicubi vbi minimè eſt, & omnia per iuramentũ excuſantur. quis vnquam hæc audiuit, medicum debere iuramento conſtringi? ſi iuramẽto ad probitatẽ cogi putatur, quid prodeſt illa coactio, ſi nihil ſcit? ſi ideo iurat, ne quem nimiò pretio oneret, tunc tres loco vnius decipit, vt ſic quoq; numerũ ſuum expleat. Res miſera eſt, aliquem ad iuramentũ cogere. nulli iuramentũ imponi debet, niſi notum ſit iuramentũ nullius fraudis cauſam eſſe aut adminiculũ: graue teſtimonium incumbit ſenatui alicui, qui eiuſmodi teſtimoniũ dat medico, cui poſteà credit populus, ſenatus dicit eũ eſſe probum: ipſe verò reperitur eſſe improbus: vos autẽ approbaſtis eũ propter iuramentũ, qui tamen minimè probãdus erat: propterea diſcretionẽ habete, quouſq; iuramentũ pertingere poſſit: ipſi enim prouiſionem acciperent, & manus pedesq; abiurarent.

Quomodocunq; autẽ ſe res habeat, iuramentũ eos minimè contra me iuſtificabit: oportet enim eos mecum de

Excuſationes Galenicorum.

præmio decertare, ſuasq́; impoſturas relinquere, etiamſi ſuffocarentur per eas, quin & hanc excuſationem eis adimam: Deum ita voluiſſe, nec non mendacium illud, ſi non iuuat, ſaltem non nocet, ſicut de ligni Guaiaci medicina, de argento viuo, de purgationibus & ſimilibus loquuntur, ſi hæc nihil nocent, vos eius rei prius fidẽ facite, prius vos ipſos vngite, & probate an ſine detrimento ſint, profectò experiemini in quali vitulina medicina exerceamini. Nihilominus me hæreticum erronem vocatis? cùm tamen me veritas non veſtrum mendacium ad peregrinationes impellat, hoc ſit vobis dictum, ſtultiſſimus pilus occipitij mei plus ſcit, quàm vos & omnes veſtri ſcriptores: & calceorum meorum annuli ſunt doctiores, quàm veſter Galenus & Auicenna: & barba mea plus experta eſt, quàm omnes veſtræ Academiæ; quin & horam ipſam ſentiam, quando ſues vos in luto trahent. Quomodo vobis placet iſte peregrinus? quomodo vobis placet aſinus ſylueſtris, ex eremo Heluetiorum Einſidela? Prorepite, quid

Patria Theophraſti Einſideln, vicus Heluetiorũ, duobus à Tiguri miliaribus diſtans.

latet

latet in vobis, poteſtíſne diſputare? quare rem aggredimini: diſputatio illa vos eò rediget, vt rationem reddere cogamini de veſtris ægrotis, & iudicij ſæcularis ſententiam audire: quàm vos delectat, quòd à Iuriſconſultis aliquid auxilij accipiatis: quid ſi autem illorum ſubſidium frangatur, vosque tum ſpectaculū fiatis tale, quale fiunt alij ſyluarum piſcatores. Nolite vti iſtis friuolis verbis, nos patrem habemus Galenum & Auicennam, lapides eos conterent, cœlumq; alios medicos procreabit, qui quatuor elementa cognoſcent, & præterea magicam & cabaliſticam, quæ cataractæ ſunt oculis veſtris: illi erunt Geomantici, erunt adepti, erunt Archei, erunt Spagyri: illi hebebunt quintum eſſe, habebunt arcana, habebunt myſteria, habebunt TINCTVRAM. Vbi vos iuſculorum coctores eritis ſub hac reuolutionè? & quis vxoribus veſtris tenuia labra ornabit? Diabolus ſcilicet in panno famis.

Aſſeclæ Theophraſti quales.

Quàm libenter id, quod ego vobis dicere audeo, mihi viciſſim obijcere.

tis, ô Theophraſte, tu ęquè ac nos ęgrotos perdis: minimè, minimè, minimè, imò quæ vos perdidiſtis, illa ego reſarcire conor: quòd ſi non ſuccedat res, vos iam antè corrupiſtis ea: nam piſcatoribus ſyluarum vos comparo, qui alicui eripiunt id, quod reddere nequeunt. Quis cędem reuocare poteſt? quomodo membrū abſciſſum rurſum agglutinabitur? ita vos quoq; ſine gladijs & cultris membra abſcinditis, poſtea dicitis, neq; Theophraſtus eum curare poteſt, hic ſaccus plumbeus incidat. Quis eiuſmodi homicidia reſarciret? hunc quē decies fumigaſtis: aliū quindecies vnxiſtis: tertiū quindecies lauiſtis: quartum tres vel quatuor annos ligno lactaſtis: in hoc deliteſcit quarta pars librę argenti viui, in alio ſelibra, in tertio integra libra, in quarto libra & dimidia: vni reſidet in medulla, alij in ligamentis & venis, tertiò in articulis: in vno viuum eſt, in alio puluerizatum, hîc eſt ſublimatum, alibi calcinatum, alicubi reſolutum, & ita de ſimilibus alijs. Quis vnicuique ſuas nequitias palliare poteſt? quis quamlibet meretricem

Quóſnam Theophraſtus curare non potuerit.

tricem probam efficere poteſt? quàm gratum vobis eſſet, ſi veſtrum dedecus tergo meo imponeretur, ſicut ſępè ten taſtis facere. Quoniam autem noui vos eſſe doctores ligni, nõ vos pertimeſco, & ſi diutiſſimè ſtudeatis, ad extremũ tamen cũ ligno concluditis: éſtne hoc ſtudium veſtrum? tunc in quatuor decim diebus, non in ſcholis altis, ſed humilibus ea diſcere poſſetis? pudeat vos quemlibet fabri ferrarij ſeruũ noſſe, veſtram autem abſq; ligno eſſe. Similes eſtis capris, quæ quò altius ſcandunt, eò melius ipſis cibus ſapit: non enim cogitant, quòd ſuperiora & inferiora ſint eadẽ. Quòd ſi nullo alio fundamẽto innitimini, veſtriq; ſcriptores, quos habetis in vero fundamento medicinæ nunquam conſtiterunt, & canones ac compoſitiones, quibus & ipſi & vos vtimini nulla certa promiſſione aut ſpe fulta ſunt, cõſequetur ex his veram medicinã nunquam in lucẽ prolatam eſſe, & quòd non aliter hactenus actum ſit quàm ſi catus pultem feruidam circumeat. Anne exiſtimatis & tam ſimplices eſtis, vt credatis, fœnum

Græcum & mucilaginem pſyllij vera eſſe maturatiua, aut alia ipſis ſimilia? videte quot compoſitiones habeantur, quæ iuxta vulgarem medicinam anthraci conducere exiſtimantur: talis autē intellectus non ſufficit ad medicū: Videtis SAPHIRVM à Deo contra anthracem ordinatū eſſe, non vnguentum album, non vngulam caballinam, quæ peſti auxiliatur. Anne putatis, quòd vera medicina ita ſcripta ſit? nullo modo. iſta medicina eſt perinde, ac ſi quis cultris faber lignarius eſſe vellet? ánne creditis rectè hactenus de gradibus & compoſitionibus ſcriptum eſſe? longè aberratum eſt: medicina enim tantum fundamentum habet, vt omnia vix principijs æquentur.

Anthracis cura.

De gradib. & compoſitionibus vide infrà.

Quare igitur tam ſimplices eſtis, vt in vrinis perſiſtatis, cùm tamen quotidiana mendacia videatis: vrina quidē per ſe eſt iuſta & magni iudicij, continetq; in ſe totam phyſiognomiam, totam anatomiam & proprietates ipſius: quandoquidem autem hæc vrinæ inſunt, medicum & integrè ea effari decet, cùm verè inſint: ſi autem non ineſſent,

eſſent, tunc ſufficerent vobis ea, quibus vtimini. In pulſu corpus vitæ poſitum eſt: vos autem mihi ex illo demonſtrate ea, quæ de vita pronunciare opus ſæpe eſt.

Non in his ſolúm, ſed & in pluribus alijs rebus vos auditores & lectores admonitos volo, ne mihi hanc præfationem in ſuperbiam & arrogantiam trahatis, aut in mores ac naturam Martialem, ſed paria paribus collata ſtatuatis: in his omnibus hoc conſiderantes, quòd certè non tam leui in fundamento medicina ædificata ſit, vt hactenus traditum eſt: ſi enim in ſaphiro vera anthracis cura latet, quis crederet illi, qui de fœnugræco loqueretur?

Duro nodo durus quærendus cuneus.

Hæc itaq; exempla & contentiones ſint vobis ante oculos poſitæ, vt ad altiores medicinas perueniatis, & non ad eas, quas neq; Deus neq; natura ordinauit, vt veris inuentionibus inſiſtatis, quarũ vobis multa volumina propoſui, conſcripta ex fundamento quatuor columnarum ſequentium, videlicet Philoſophiæ, Aſtronomiæ, Alchymię & virtutis, in quibus mens mea eſt,

Multa volumina inuentionum medicarũ ſcripta à Theophr.

vos auditores eò permouere, vt extra quatuor iſtos angulares lapides nihil recipiatis. Sequentur igitur quatuor iſtæ columnæ, vt ſcriptorum meorum fundamentum & cauſam percipiatis & me ac aduerſarios meos iudicare, & vtrunq; pro ratione fundamenti & experientiæ ipſius colere poſſitis.

Dixi.

De Philoſophia primo fundamento Theophraſticæ medicinæ.

QVandoquidem primum medicinæ fundamẽtum in philoſophia poſitum eſt, primo omnium quoq; philoſophia cognoſcẽda eſt, & quomodo ex philoſophia medicinæ fundamentum depromatur. Priuſquã autem hęc vobis referã, neceſſitas requirit, vt ante omnia vobis oſtendam, quínam ſint illi, quos contemno, vt falſam philoſophiam cognoſcatis, priuſquam ingreſſum faciam ad fundamenta veræ philoſophiæ. Difficulter ſanè vobis perſuadebitur, vt tollatis ea, quibus aſſuefacti eſtis, difficilius in quibus educati eſtis:

Auditores liberos requirit.

eſtis:nihilominus ſpero de vnoquoq; ea quibus aſſueuit, quæq; ipſi inculcata ſunt,& hæc quę ego iam proponam, prudenti iudicio examinaturos: nihil ſit apud vos tam durum,quod emolliri nequeat, nihil tam molle,quod non vt chalybs indurari poſſit: imò ita parati ſitis, vt regeneratio veteri naturæ ſemper prædominari poſſit.

Mox igitur in principio philoſophię muſcus enatus eſt, ita vt in illo muſco foris accreuerint philoſophiæ fungi, ſicut tubercula corpori annaſcuntur. Ariſtoteles enim & ſui ſimiles philoſophiam ita tractarunt, vt comparari poſſit fæcibus vini, quæ ex vino terreſtrem materiam ſegregant, aut ſpumæ,quæ in olla peſſima pars eſt materiæ coctæ, nihilominus ſupernatat, & ſub ſe contegit meliorē partem,& quoniam bonum ſub ipſo latet,cuius ſaporem refert, ideo pro cibo ſumi poteſt, ſed ſolūmodo à catis & canibus. Ita philoſophia veterū tantùm ſpumā & fungos tractat,& nō materiam, ex qua illa producūtur. talis fungoſa philoſophia in medicina docuit hactenus, ex qua

Veterū philoſophia eſt ſuperficialis.

Simpliciũ natura, & morborũ origo. natus eſt medicus, authoritate munitus. hęc duo remorata ſunt deſcriptionem veram rerũ naturalium: nec non deſcriptionem affectionum & morborum corporis humani: quale autem eſt fundamentum, vnde prodeunt eiuſmodi ſcripta, tales etiam æſtimandi ſunt huius radicis fructus. Vos autem adhortor, ne quid patiamini apud vos eſſe tam aſperum, quòd dolabra non explanet: nihil tam curuum, quòd malleus non rectificet: nihil tam ferum, quòd venator non domet. Quid laudabilius in diſcipulo, quàm vt in molli testa contineatúr, quæ non indureſcat, *Quales diſcipulos velit.* donec in ſua diſciplina alas conſequatur, & tum demum hominibus inutilibus effugiat: quin & honeſtum & laude dignum eſt in eiuſmodi diſcipulis, ſi ſeniores ſuos ex nido detrudant: ſcientia enim & ſapientia, amor & diſciplina omni tempore magiſtris antecellere debent, & excreſcere ſicut fagus iunior. quæ adoleſcendo ſeniori laudem ſuam adimit.

Hæc dico propter philoſophiam, de qua ſermo nobis erit, (vt fundamētum

me-

medicinæ intelligatis) quæ ſola cognitionem parit, quam medicus habere debet in omnibus morbis; nempe vt ſciat eorum materiam, proprietates & totam conditionem, aliàs enim nulla via eſt inueſtigandi veritatem & corporis ſanitatem & paſſiones: & ſi extra philoſophiam hanc aliud fundamentum quęratur, illud eſt deceptio; noſter enim intellectus, qui concluditur cranio noſtro, nimis infirmus eſt ad medicinā generandā. Ita enim philoſophiā medicinæ coniungi oportet, vt & oculi intelligant & comprehendant, & vt reſonet in auribus ſicut cataracta Rheni, vtque philoſophiæ ſonus tam clarè in auribus poſitus ſit, ſicut venti ſibilantes in mari. lingua verò talem notitiam eius habeat ſicut mellis & fellis: & naſus ſicut quemlibet odorem percipit totius ſubiecti. Extra hanc cognitionem peruerſum eſt quicquid naturæ attribuitur: in hac enim philoſophia propoſitum meum eſt, quòd ipſa natura ſit MORBVS, ideoq; ſola natura nouit, quid ſit morbus: quin & ipſa medicina ſola nouit ægrotorum

Medicina oculariter ex natura diſcit & medicamētorum & morborū vim.

affectiones, extra hæc duo quis poteſt eſſe medicus? ex medico nullus eſt morbus, ſed neque medicina ab ipſo proficiſcitur: ſicut autem morbū conciliare poteſt, eodem modo etiam ſanitatem dare poteſt. Quis potius híc magiſter erit, quàm ipſa natura? quæ harum rerum notitiam habet: & omnium rerum ocularem intellectū proponit, ex illo oculari intellectu medicus diſcit. Quòd ſi autem ſola natura hæc nouit, ipſa quoq; compoſitiones faciet, ita vt ratio compoſitionis naturæ oculariter ante medicum poſita ſit, ex ipſa prodit ars, non ex medico, ideoque medicum ex natura naſci oportet cum perfecta intelligentia: perfecta autem intelligentia eſt, vt manus tangant, & oculi videant id, quod in occulto craneo conſtituitur: quicquid enim occultè comprehenditur, ſolam fidem gignit: perfectionē verò & ſucceſſum dant opera: opera ſunt viſibilia, ita vt viſibilia & inuiſibilia ſint in eodem, & non in duobus. hæc eſt tota, perfecta, conſolatoria cognitio, in qua eſt lætitia & omnis bonus labor, doctrina & inſtitutio.

Quòd

Quòd ſi igitur ex natura medicus naſci debet, dic, quid aliud ſit natura, quàm philoſophia? quid philoſophia aliud eſt quã natura inuiſibilis? ſi quis notitiam habet Solis & Lunæ, & clauſis oculis nouit quales ſint Sol & Luna, is Solem & Lunam in ſe habet, quales in firmamento cœli ſunt. Hæc iam eſt philoſophia, quòd omnia in homine inſenſibiliter ſint ſicut foris. ſicut ſi quis ſeipſum ſpeculo conſpiciat, de parte in partem expreſsè: ita etiam medicus hominem ſignificanter ſibi notum habebit, extractum ex quatuor elementorum ſpeculo, quæ in toto microcoſmo imaginabitur, vt illum perſpiciat, ſicut coagulũ cereum concluſum vitro: ita clarè medicus hominem penetrabit viſu, vt vuam diſtillatam, in qua nulla ſcintilla occultari poteſt, quę non videatur: imò tam perſpicuus ipſi homo ſit, oportet, ac fons ſcaturiens, in quo numerari poſſunt lapides, & granula arenæ, vnà cum coloribus & formis ſuis, &c. tam ipſi patebunt membra corporis humani, tam perſpicua ipſi erunt, vt chriſtallus politus, in quo

nec minimus pilus cælari poſſet. In hac philoſophia poſitũ eſt fundamentum medicinæ, non quòd homo tibi ita inſpiciendus ſit, ſed potius natura ipſa, ſcilicet quicquid cœlo concluditur, illa particulariter omnia iudicabit: ex ea enim homo compoſitus eſt. materia illa, ex qua factus eſt, tibi oſtendit, quale illud ſit, quòd ex ipſa factum eſt. ſicut in chalybe polito ædificium aliquod conſpicis, quod ab extra poſitum eſt & recedente exteriori interius quoque in chalybe non amplius adeſt: exterius enim mater eſt interioris. Ita homo quoq; imago eſt in ſpeculo poſita ex quatuor elementis, quibus interibit quoque homo: dum enim exterius ante ſpeculum coſiſtit interius quoque permanet. Philoſophia igitur nihil aliud eſt quàm integra ſcientia & notitia illius, quòd imaginem in ſpeculo ex ſe præbet: & ſicut imago in ſpeculo neminem ſuæ eſſentiæ cognitionem docere poteſt, & quid ſit indicare: ſtat enim quietè ſicut imago mortua, ita homo quoq; ſibi ipſi eſt: nihil enim ex ipſo deſumitur, ſolùm ex cognitione

Philoſophia medica quid.

gnitione exterioris, cuius figura ipſe in ſpeculo: id quod homo loquitur, lingua & vox ipſius eſt res incerta, nec plus medicum erudit, quàm ſi in ſpeculo ægroti perſonam loqui cerneret, non autem audiret. Integrè igitur & fortiter medicus microcoſmum cognoſcet ex matre ſua, ex qua natus eſt: nihil enim deficit, nullum membrum, nullus pilus eſt in homine, quin teſta ea exterior contineat & iudicet. Non itaque ferre aut pati poteſt medicina illam fungoſam philoſophiam, quæ hactenus declamitata eſt. *Homo microcoſmus*

Longo ſermone opus eſſet, ſi clarè & perſpicuè demonſtrare vellem, quantum ab hac mea philoſophia differant Ariſtotelici, Stoici, Platonici, Philoſophi, etiam Theophraſtus ille Tyrtamus, quantum à me Aureolo Theophraſto diſtaret, quæ diſſidia in deſcriptione philoſophiæ de folio in folium ſatis complexus ſum. Hìc verò tantùm tradam ea, quę ad medicum pertinent, & quomodo ille fundamentum ſuum ex philoſophia deſumat. Notate igitur quòd materia, ſpecies & eſſentia cor- *Tyrtamus Theophr. Græcus.* *Philoſophicū opus Theophraſti.*

pora ſint medici: cauſa autem deſtru-ctionis & inſtaurationis eſt medici ſa-piẽtia: in hac poſita eſt ipſius cognitio. Vt igitur dictum eſt, harum rerũ cognitionem eum accipere oportet ex matre, ex qua homo factus eſt, in illa reperit cor, omniaq; quæ cor exhilarant & contriſtant: ſimiliter cerebrum quoq;, & quicquid cerebrum perturbat & recreat: nec non verum gaudium & triſtitiam, epatis quoq; nauſeam & appetitum, & ſimiliter de alijs membris intelligẽdum. Breuiter igitur vobis dictum ſit exterioribus diſci debere ea, quæ ad interius membrum ſpectent. Hîc verò catena medicorum contra vos pugnabit: non enim cognoſcunt parentes hominum & originem eorundem, quia ex mortua figura ſpeculi artem veſtrã depromitis, eamque phantaſia veſtra concipitis & fundatis, nominaq; vnicuiq; rei iuxta illam phantaſiam imponitis, quæ in vera philoſophia neque manus neque pedes habent. Hinc orta ſunt nomina illa, cholera, melancholia, phlegma, ſanguis, quæ nihil aliud ſunt, quàm inſtabilis phantaſia. Quis enim

Non ab homine, ſed à mundo incipiendum

enim vnquam in natura vidit cholecholeram? quis vnquam in philoſophia inuenit melancholiam? quis vnquam phlegma pro elemento agnouit? vbi vnquam ſanguis aeri comparatus eſt? quis eos docuit cœlum materiale & globum terræ, vnà cum elementis in ipſis comprehenſis ita diſtribuere? non plus virium ineſt tali ſpeculatiuo fundamento, quàm ſi quis aliquid optet, aut bene opinetur: itaque fundamento opinionum innituntur & optationibus, quæ longè à vobis & quolibet medico abſint.

Ex rebus exterioribus compone hominem integrum, & in ipſo reperies oculariter omnium materiarum corpora, inuenies etiam omnes ſpecies membrorum ſanitatis & morbi, nec non omnes ipſorum eſſentias, quomodo vnumquodque contra alterum ſit poſitum: quid frangat, quid reſtituat: in illo poſita eſt ſapientia medici, quam non hæreditario accipit, ſed in ipſomet gliſcit, ſicut ars apud diligentem artificem, eſtque ſapienria

Materia, ſpecies, eſſentia rerum maioris mundi inſunt homini, qui nouit ita diſtribuere hominem, eſt verus anatomicus.

dicitur,iſte morbus eſt acorinus,iſta ægritudo eſt anthera: ita medicus intelligere poteſt anatomiam maioris & minoris mundi. Quando dicitis,iſte morbus eſt morbus pulegij, iſte meliſſæ, alius ſaphenæ, tunc ex nomine certam curam iam habetis: ita quot ſunt matricariæ,tot ſunt etiam matricis paſſiones: ita compoſitio facienda eſt, & non miſcenda ſunt varia contra vnicum morbum. Quare ne vos vincat phantaſia,quę ex propria ſpeculatione proprietates & numerũ accipere vult: oportet enim oculos exteriores hæc omnia ſtabilire & confirmare. Ita etiam dicitur, hoc eſt vitiũ ſanguinis,hoc epatis.& quis vobis fecit iſtos lynceos oculos, vt ſciatis tam exactè,quòd epar vel ſanguis ſit in cauſa? cùm tamen neſciatis quid ſit ſanguis. Sanguis in maiori anatomia nihil aliud eſt quàm lignum: ligni quidem nomen eſt vnicum.quot centenas ſpecies autem hoc genus habet? non pauciores ſpecies quoq; ſanguinis ſunt: & quàm multiplices fructus ex arboribus naſcuntur,tam variæ ſunt ægritudines ſanguinis,& ſicut cœ

Sanguis correſpondet lignu mundi.

lum arbores excitat per æſtatem, eaſdemq; ſopit per hyemem, ita etiã ſanguinem in ſimile regimen deducit. Ex hoc ſequitur iam, quòd verus medicus dicat, hic morbus eſt morbus terpentinæ, iſte eſt ſileris montani, ill eſt helleborinus, &c. Hoc eſt phlegma, hoc eſt branchus, hoc eſt rheuma, h c eſt coryza: iſta nomina non fluunt x fonte medicinali: ſimile enim ſuo ſimlili nomine comparari debet: ex hac enim aſſimilatione opera ipſa deſcẽdunt, hoc eſt, arcana cuiuſlibet morbi pateſiunt: non enim vna ſolùm colica eſt, ſed multiplex, & quidem totuplex, quotuplex eſt arcanum in colica: hinc eſt colica zibetina, colica muſcata, non ventoſa, non fellis, &c. aut iuxta alias cauſas, quas vos deſcribitis.

Oportet me iterum loqui de ea parte, quæ mihi tandiu refragata eſt, cùm impreſſiones, influentias, fructus & mineralia, res ad medicinam inutiles & non neceſſarias vocarunt, antepoſita ſua ſpeculatione de humoribus, exiſtimantes, nullam rem exteriorem & philoſophiam corpori in ſuis caſibus

bus prodeſſe. Ex tali ſtoliditate quatuor humores excogitarunt,vt ex illis ea,quæ opus eſſent medico, perdiſcerent, nec non cauſas & proprietates morborum., id quod æquè conueniens eſt, ac ſi muſca aſino conferatur: nihil enim eſt in ipſo corpore, quod non foris ſuam cognitionem habeat, formæ & aſpectus corporales non moueant te. Hoc eſt fundamentum quod ſcire debes,ideo nō opus eſt,vt vlterius fundamentū inquiras: in tua enim natiua ſapientia & docta ſophiſtica Deus artem medicam non fundauit: tu autem te ipſum ab omnibus doctis ſeiunxiſti,nempe cùm medici fraudes meditati ſunt,peculiares vias quæſiuerūt, vt hoc vel illo modo doctos & exercitatos homines efficerēt, atq; ita facultas quædam atq; ars erigeretur,vt hoc modo magnā nequitiam ſub ſpecie doctrinæ cælarent. Quis vobis Iuriſconſultū cenſorē daret? cùm adeò rem veſtram abſcondideritis, vt & Cæſari & Papæ actiones veſtræ ſint obſcuræ. Theologus verò quomodo vos ſuperaret,cū ex ſcriptis veſtris nō intelligere poſſit, an

Medicarū ſectarum cauſa ambitio perplexa.

Deo vel diabolo adhæreatis? Mendacia enim veſtra humoribus tegitis, vt neq; pœnitentia, neq; remiſſio vobis dari poſſit: quis vulgo iudicem eliget ſuper vos? cum omnib. hominibus ænigmatici ſitis, & vobis tam mirabiles dictionarios & vocabularios feceritis, vt quicunq; eos inſpiciat, indeceptus nõ recedat, ideoque inuolutis verbis in apothecas ſcribitis, cùm plebs ſępe in horto ſuo meliora habeat. Ita medicina à doctis ſeiuncta eſt, ſicut percuſſores canum ab honeſtis hominibus, cùm tamen medicina in quauis patria lingua tam clarè & perſpicuè tradi debeat, vt medicus Germanus Arabem intelligat, & Gręci Germanicã, ita debet medicina in ſua arte & ſapientia eſſe, vt omnes docti in ea mirabilem authoritatem habeant, altitudinemq; huius artis admirentur. Quem enim ornat cœlum niſi ſuum doctorem, qui illud cognoſcit? quẽ decorat terra niſi ſuum philoſophum? arcana enim firmamenti terræ per medicum manifeſtantur ipſi: nota ſunt naturæ ſecreta: alijs autem doctis per medicinam communicantur.

nicantur. Ita philoſophia omnia membra & partes hominis comprehendit: ſecundam & aduerſam valetudinem, ita per exteriora iudicium vrinæ docet: pulſus in firmamento comprehenditur physiognomia in ſideribus, chiromantia in mineralibus, anhelitus in Euro & Zephyro, febres in terræmotu, & ita de alijs ſimilibus. Quando itaque, tu medice, iſta omnia memoriter de verbo ad verbum noſti, ſcis & perſpicis extra hominem omnes morbos, ita vt homo cum omnibus ſuis affectionibus à te imaginatione conceptus ſit, tunc aggredere hominem interiorem, & eſto medicus, tunc inſpice vrinas hominum, tange pulſum, iudica perſonas, idque non ſine magna cognitione hominis exterioris, qui nihil eſt niſi cœlum & terra: noli eſſe tam temerarius & arrogans, vt abſque hoc fundamento hominem tangas: noli defendere tuum fundamentum ſpeculatiuum & phantaſticum, quod mobilius eſt arundine, quæ in aquis creſcit. Sed vos potius eſtote cõtenti eo, quòd eò rem perduxiſtis, vt vobis credatur

Morborũ relatio ad exteriora mundi.

abſque operibus, & vt culpa veſtra Deo imputetur.

Medicus quadruplex arcanum iuxta iiij. elementa in homine quæret.

Vt autem philoſophum meliùs vobis depingã, ſcitote, quòd duplici modo intelligatur, ita vt vnus ſit cœli, alter terræ, ſingulæque ſphæræ ſingula latera medici conſtituant, neutrum tamen totum medicum facit. Philoſophus eſt ille, qui ſphæram inferiorem cognitam habet: aſtronomus verò ille, qui ſphæram ſuperiorem cognouit, vterq; tamen eandem intelligentiam & artem habet, & ſub illis ſunt myſteria quatuor elementorum: eadem enim eſt ratio illius, qui Mercurium nouit: & qui aquilam, idem intelligunt, qui marcaſitam nouit & qui galaxiam: nec non qui angelicam intelligit & qui mannam. Vnica enim eſt anatomia diuiſa quadrupliciter, ita differens ſicut duo brachia, duóue pedes differunt, ſicut oculus alter ab altero, ſicut dentes ſuperiores ab inferioribus, ſicut caro buccarum à carne pedum: hoc modo Saturnus eſt in cœlo, qui ignis eſt, alius eſt in terra, qui terreſtris eſt: ita Sol eſt in aquis, & ſimiliter alius

alius eſt in cœlo. Similiter etiam eſt in homine, omnia ſunt quadruplicia, ita vt eius etiam rei, quę in profundiſſimo angulo terræ ſita eſt: vmbra in hominem cadat: quicquid in abyſſo maris iacet, imprimitur homini, & quod ſub polo antarctico eſt, reflexum ſuum proijcit verſus polum arcticū; & econtrà quod ſub polo arctico eſt, reflectitur verſus polū antarcticum in hominem. Quid eſt Venus orbis aliud, quàm matrix Veneris? Venus enim orbis medicum matricis gignit. quid eſt receptio Veneris, ſi Venus eam non operatur? quid proſunt vaſa ſpermatica, ſi Venus malè velit? Quid eſt ferrum? nihil aliud, quàm Mars. quid Mars aliud quàm ferrum? vtrunque eſt Mars, vtrunque eſt ferrum. quid diſcriminis eſt intet Soles? inter Lunas? inter Mercurios? inter Saturnos? inter Ioues? nullum quantum ad hominem, niſi quòd forma differāt. Ideoq; non quatuor arcana ſunt, ſed vnum, attamen quadruplex, ſicut turris quatuor angulos iuxta quatuor ventos habet, & ſicut turris nullo angulo carere poteſt, ita

nec medicus vno ex his quatuor, vna pars non efficit integrum medicum, neque duę, neque tres, ſed quatuor: oportet enim tam integrum eſſe, quàm ſunt quatuor illa arcana, quæ in quatuor elementis latent. Et ſicut per ouũ in teſta ſua mundus figuratur, & pullus cum ſuis alis in ea abſconditus eſt: ita hæc omnia quoque, quæ mundus & homo complectuntur, in medico eſſe oportet: & ſicut gallina figuratũ iſtum mundum in teſta ſua incubando in pullum tranſmutat, ita per Alchymiam arcana, quæ philoſophicè inſunt medico, maturantur, & in terram proferuntur, ſicut ea ignis purificat & præparat. In hoc error eſt, quòd medicus non rectè conſideratus fuit: ſi enim hoc ignorant, etiam arcana ignorabunt: ſi neſciunt quid cuprũ gignat, & quid vitriolata pariat, etiam quid lepram efficiat neſcierint: ſi ignorãt quid rubiginem inducat ferro, ignorabunt quoq; quid vlcerationes cauſet: ſi eos latet quid terræmotum efficiat, etiam cauſam febrium non habebũt notam: exteriora docent hominis affectiones: homo

Morborũ generatio ſimilis generationibus mundi.

homo autem minimè indicat, quid ſibi obſit, vbi fundamẽtum poſitum eſt, hoc iſti dormiendo prætereunt.

Non ex mercurio & ſulphure metalla naſcuntur, vt iſti aiunt; non ita ſe res habet, vt iſti docent, quòd terra nullos lapides gignat: non enim ex terra lapides generantur, ſed ex aqua, ita vt ſint mineralia aquæ: quin etiam in generatione metallorum obliuiſcũtur eius, quod coagulat, non duo, ſed tria efficiunt metalla: iſti veræ philoſophiæ inniti debet medicina, non fungis illis forinſecus adhærentibus ſicut agaricum larici. Sed non abſque contradictione & magna allatratione eorum omnium, qui neque me, neque aduerſarios meos intelligunt ſermonem meum finire poſſum: manifeſtum eſt, generationem metallorum, qualem hactenus philoſophi deſcripſerũt, ex nullo alio fundamento defluere, quàm ex eo, quod medici in quatuor humoribus poſuerunt & finxerunt, per quod totam medicinam corruperunt, ita per mercurium & ſulphur philoſophia corrupta eſt: & ſicut ægroti

Sal coagulat.

Tria principia metallorum.

perditi ſunt per quatuor illos humores: ita per Mercurium & ſulphur philoſophi claudi facti ſunt, ſicut vnum quadrat, ita etiam alterum.

Verus philoſophus et medicus docetur per nonũ cœlũ, quod ipſi lumen naturæ illuſtrat. falſus autẽ animalem intellectũ prævalere ſinit

Qui verus eſſe philoſophus ſtudet, ita vt in philoſophia nihil falſi doceat, eum fundamentum philoſophiæ eo modo ponere oportet, vt cœlum & terram in vnum microcoſmum redigat, nec minima linea omiſſa: ſimiliter qui ex fundamẽto Medicinæ ſcribere vult, eum quoque in nulla linea errare oportet, ita vt ex microcoſmo faciat curſum cœli & terræ. Philoſophus enim nihil aliud inuenit in cœlo & in terra, quàm ea, quæ etiam in homine reperit, ita vt hæc duo nihil differant niſi ſolùm in figura & forma, ita tamen vt vtraque forma vni eidem rei ineſſe intelligatur, &c. Ex phantaſia proprij ingenij hæc non intelliguntur, ſed ex lumine naturæ, quod accenditur per nonum cœlum, quod ſuo diſcipulo ſapientiam & intelligentiam patefacit per ſua opera, ita vt ratio animalis præ admiratione exhorreſcat & contremiſcat. In hoc poſitum eſt initium omnis

mnis veræ ſapientiæ, ſicut ſplendor Solis omnia illuſtrat. & ſicut tam bona quàm mala per Solem producuntur, ita etiam per lumen naturæ: errores enim ſunt quaſi vrticæ, quæ & ipſæ ex ſplendore Solis naſcuntur. Oportet enim Philoſophiam & Medicinam adeò eſſe integram, vt ſciant quid ſit id, quod plumbum liquefacit: quid ſit ferri durities: quid color in rubinis: & quę in ſint ipſis arcana. Vt autem hæc cognita ſint alicui, oportet id fieri per dictum lumen naturæ, quod ſcienter ante oculos poſitum eſt cuiuis animali intellectui: qui autem extra hoc lumen nihil oculariter demonſtrant, illi ducuntur phantaſia intellectus animalis, atque hinc orta eſt Philoſophia & Medicina falſa, de quibus ſuprà dictum: deſperarunt enim de vero doctore, & exiſtimarunt, quæ ipſorum ratio animalis exquirere nequiret, ea non poſſe dari homini: hinc terminos Philoſophiæ in ſolo Ariſtotele, & terminos Medicinæ in Galeno ſolo conſtituerunt, qui ſanè nihil aliud quàm contra veritatem ſcripſerunt.

Hoc modo ſe tuentur illi, qui contrarij ſunt lumini naturæ, quod apud nos tam purum atque aurum obryzum eſſe debet, ita vt nulla rubigo ei adhærere poſſit: cùm primùm enim aliquid ei miſcetur, iam corruptum eſt fundamentum. Quis enim aliquid boni cupro compararet? quid enim integrum eſt? nempe quòd ſine rubigine eſt: quod antem abſque ærugine eſſe non poteſt, minimè integrum eſt: in integro enim nulla eſt ærugo. Id quod oſtendit ſummũ lumen Apoſtolorum, in quo nullum vitium, nulla ęrugo, nullus defectus eſſe poteſt: quòd autem aliquis Iudam pro ærugine accipere velit, nihil eſt, imò munus eſt peculiare, nec pertinet ad ſummum lumen, etiamſi enim in numero & nomine luminis habitus ſit Iudas, nihil tamen in ipſo habitauit niſi ſolum nomen.

Sciendum itaq; eſt diſcrimen erroris, quod illi addicti luminis naturæ nomen ad ſe trahant, peruerſo ſcilicet ordine: ordine enim non petuerſo nullus error naſcitur: hoc modo aduerſarijs potuit dari ipſorũ intelligentia, quam

ſe

ſe puram habere aiunt: ordo enim luminis naturalis in pueritia euerſus eſt, ita præualuerit ratio animalis, & texerit omnes profeſſiones. Quare primus verus philoſophus ſummopere miraretur de ſcriptis Ariſtotelicis, & ſimilibus, nec non primus verus medicus de ſcriptis Auicennæ & Galeni: nullus enim ex his talis vel philoſophus vel medicus fuit, qualẽ vel nos imitari debeamus. Cùm igitur contra fundamentum ſcribãt, oportet eorum ſcientiam violentum quid eſſe, cúm tamen artes cogi nequeant, & ſicut quælibet ſcientia ſibi fidem facit in terris inter homines, ita ipſi quoque ſibi fidem faciunt violentam, quam incorporando confirmant ſua diligentia & labore, ita vt corpus illud falsò fidem faciat, quæ fides ex nulla alia re proficiſci debebat, quàm ex arte & artis operibus. Quantum autem operũ ineſt omnibus ſcriptoribus, quæ quidem certò ex arte penderent? imò mera phantaſia fictam artem apud vos ſuſcitat, quæ vanos labores & ſtudia adhibet: centies enim plus diligentiæ requiritur ad medicũ

fictum, quàm ad medicum natiuum: atque ita in libra ſcolaſtica poſiti ſunt, quàm ſingulari diligētia eos cōſeruare neceſſe eſt, aliàs enim patefierent. Nulla igitur vos excuſatio errorū iuuat, nulla itē teſtificatio operū, & quòd nomen geratis, imò ſicut Iudas ita eſtis electi. Quoties enim verum aliquid procedit ex nono cœlo, toties ei opponitur electus diabolus. Ita Philoſophia vos notat, quod ex ipſa naſcamini ſicut marcaſita, quæ pulchra eſt & ſplendet, ita vt metallicus nihil aliud, quàm aurum adeſſe opinetur: quando autem in igne ponit, nihil aliud adeſt, quàm ſulphur & arſenicum: ſic vos quoque ſplendetis, ſed quando probamini, vt ſolent marcaſitæ, talci, cachymiæ, nihil aliud eſtis, quàm marcaſita argentea (argentum catorum) Et ſicut orichalcum colorem ſuum à calaminari accipit: ita vos quoque veſtram ſcientiam & honorem doctoralem accepiſtis: quando enim ad ægrotos venitis, tum ſplendor veſter volatilis fit, nec probam ſeu examen ſuſtinet, ſicut ne talcum in igne per-

perdurat. Videte quòd natura nihil in colore aut forma occultauit, imò in rebus ipſis ineſt arcanum, vbi forma vel color non eſt: quòd ſi natura ita agit, quomodo tu marcaſita argentea tonſor aut medice, exiſtimas, quòd coloribus tuis cõfident homines cum erroribus inniti nolint?

Ideo autem vtor hac vexatione, quòd per eam vos in naturam pertrahere velim, vt in ea diſcatis & circumſpiciatis, illudque obſeruetis, medicum ex rebus exterioribus naſci debere & non ex homine. Si in homine morbum inuenit, qualis ſit, & quis ſit, ex loco in quo ſitus eſt non cognoſcet, ſed foris id eum addiſcere oportebit, vt ſæpè iam dictum eſt. Ob hanc autem cauſam hæc repeto, vt ſciatis pæoniam oſtendere caducum, tempus & horam ipſius paroxyſmi. proprietates omnes & ſubſtantiam, ea te ex pæoniæ natura addiſcere oportet, aliàs tantùm confutus medicus es, qui nihil ſcis niſi quæ ægrotus ipſi dixit, cuius os nullum medicum aut naturæ indagatorem facit.

Quot arcana foris in mũdo ſunt tot ſpecies morborũ ſunt in homine.

Similiter in viſco quercino diſcis aliam ſpeciem caduci, eiusq; originem: & ſic de aliis arcanis:& quot ſunt arcana,tot etiam ſunt ſpecies morbi huius. Sed nec in hoc ſolùm morbo ita res ſe habet, imò in aliis quoque ita addiſcitur origo vermium ex hyperico, ex nigella,& ſimilibus: ſi autem in hoc fundamento doctus non es, rem non intelliges. Quid enim eſt quod centaurea vel gentiana eos pellere conaris? qualis es medicus? perinde ac ſi quis alteri iuſculum largiretur: vt autem cum ex culina remoueret, nimio ſale illud conſpergeret, ita vt nihil boni ei daret. Anne vos medici exiſtimatis hoc eſſe fundamentum in medicina? certè eſt ſtultum fundamentum ad nihil vtile. itaque ſola Philoſophia mater eſt medici, & explicatrix omnium membrorum hominis, explicatrix omnium morborum ipſius: ibi enim eſt fundamentum vbi auxilium eſt, in illo intelligentia eſt & ſcientia, & quæ alia eò pertinent. Porrò hîc nihil aliud conqueremini, quàm quòd neſcietis, quid in hac vel illa herba inſit, itaq; deſperabitis

Vide librũ de Vermibus, de Serpẽte cap. 3.

rabitis de arte, aut impoſturam ſequemini, in nomine domini, ſicut hactenus, pergentes occidere & perdere.

Quanta fuit veſtra induſtria, donec modum componendę receptę excogitaſtis? quid mentis fuit vobis in iſtis, cùm naturæ eſſentiam non intellexeritis, neque in cognoſcendis morbis, neque in ſimplicibus? quibus de cauſis, & ex qua concordantia præſcripſiſtis ſirupos, pilulas, & alia? in quibus naturæ eſſentia, vis & proprietates frangitur per inſcitiam. Ars componendi eſt in ipſa natura: ipſamet hæc componit: quòd ſi in auro poſuit ea, quæ auro debebantur, profectò idem in violis præſtitit, ita vt neque ſaccarum neque mel adddere debeas, ſicut neque aurũ tibi perficiẽdum dedit: ſimiliter etiam per ſe perlas fecit abſque te: etiam abſque te integram fecit verbenam ad reſtrictionem ſanguinis, vt non opus ſit te adijcere burſam paſtoris aut barbã Iouis. Scitote itaque integram virtutem aliquam ineſſe ſimplicibus, non diuiſam in duo, tria, quatuor, quinque, &c imò in integrum aliquod, illudque

Natura cõponit in quolibet ſimplici vim certã, quã nos ad diſcere poſtius, quàm alia addendo ſimilia corrũpere debemus.

Verbena restringit sanguinem

ſimplex nulla alia re eget, quàm Alchymia, quæ nihil aliud eſt, quàm opus metallicorum foſſorum, fuſorum, &c. in extractione, non in compoſitione res ſita eſt. cognoſcenda vis eſt, non in compoſitione & conſarcinatione efficienda? Quænám caligæ ſunt meliores? nempe integræ: ſarctæ enim & conſutæ peiores. Quis ſapiens eſt tam ſimplex, vt credat naturam diſperſiſſe vnam eandemque vim in herbas diuerſas, ita vt hæc tantùm, alia tantùm, tertia tantùm, &c. habeat: & poſtea vobis domine doctor demandaſſe, vt has componeretis? Natura certè tam ſapiens eſt, vt vobis non ſit hoc officij commiſſura. Nihil in vobis eſt: natura verò arcana egregiè ordinauit & compoſuit, quæ componi debebāt, & nihil reſtat, quàm vt ea intelligatis & diſcatis non vt vos ipſos intelligatis, naturā verò negligatis. Natura eſt medicus nō tu, oportet te ex ipſa naſci, nō ipſam ex te: ipſa componit nō tu, tu modo vide vt addiſcas vbi ſint apothecæ ipſius, vbi ſcriptæ ſunt virtutes ipſius, in quibus libris habeantur: certè non in Meſue,

Cōtra compoſitiones.

ſue,non in Lumine,non in Præpoſito, qui contrarij ſunt naturæ: nihil apud eos inuenies: quod enim integrum eſt, hoc ipſi diſcerpunt, & diſcerptum volunt eſſe integrum. An non igitur meritò DE GRADIBVS SCRIPSI? etiamſi non ſecutus ſim veſtram rationem: natura eſt compoſitor non medicus, ideo mendacium mixtum eſt deceptioni vbicunque ſunt veſtræ compoſitiones, quæ omnes interibunt, neque eas ſaluare poteritis, niſi mendacia præualeant. Hoc vobis concedendum erit, quaſdam compoſitiones eſſe bonas, hoc iſo aliàs quoque defendere vultis. poſſetis tot res coniungere, vt cœlum & terras in manu haberetis, ſicut in vrinis quoque plurima vno aſpectu comprehenditis: propterea etiam interdum aliquid veri dicitis: quid videtur vobis? ego tria ſimplicia remouebo ex compoſitionibus theriacæ, tryphera & mithridatij, & reliqua, quæ ferè centum ſunt, nihil valebunt. vbi tunc erit compoſitio veſtra? ô vos cæci.

Hominis natura & affectiones diſcẽdæ ex mundi curſu, vbi perfecta cognitio poßibilis, non ex homine ipſo ſeu ex empl'is morborum, ita vt idea quædam concipiatur extra hominem.

Philoſophia itaque mater eſt medicinæ: naturæ enim cognitio eſt cognitio affectionum hominis: exteriora enim totum hominem deſcribunt & proponunt vnà cum adhærentibus illi: & ſicut non eſt poſſibile abſque naturali iudicio colores præparare, arbores educare: ita etiam impoſſibile eſt te abſq; natura videre in homine, quid in ipſo ſit: & ſicut per naturam cernis quid in ſemine ſit, ita per eandẽ etiam hominem diſcere & perluſtrare poteris: omnia enim patefacit tibi natura. Et ſicut gallæ & vitriolum procreant colorem nigrum, ita etiam comperis quid in homine lateat: & ſicut ex nigredine, quid nigredo ſit, cognoſcere non potes, aut vnde ſit: ita neque morbos cognoſces. Qui nouit quid ſit id quod nigrefacit, is eſt philoſophus, qui, hoc ignorat, & ſolũmodo nouit, quòd ſit nigrum, is nihil valet niſi vt decipiat homines, & nigredine inficiat. Qui igitur, vt dictum eſt, Philoſophus eſt, is aggrediatur facultatem medicam, & exterius commutet: illa commutatio parit medicum, ſi ex maiori mundo minor

minor mundus fiat: talis medicus nullo modo ex interiori homine diſcet: ibi enim nihil eſt niſi ſeductio & mors. Vix enim alicui ſatis ægrotorum dari poteſt, vt ex ijs hominem interiorem perdiſcat abſque exteriori: in homine enim diſcere requirit neceſſariò, vt ante oculos ſint poſiti omnes homines à primo ad vltimum: in omnibus enim hominibus omnes morbi poſiti ſunt: in vno homine vnus aliquis morbus eſt: cùm itaque medicus omnium hominum medicus eſſe debeat, quomodo ex vno homine, aut ex decem, duodecim, &c. id diſcet, cùm nihil hoc faciat ad perfectionem ſummamque rerum? & quamuis aliqua ſint conſcripta vel eſſent, quid aliud ea ſunt, quàm tantùm principium, nõ autem verum fundamentum? Quare mundum maiorem oportet dare medico hominem illum, qui omnes morbos mortuorũ & futurorum in ſe contineat: in homine verò eſt imperfecta obſeruatio: nunquàm enim finitur, nunquam certificatur, & ſpecimen quod inde prodit, eſt debilitare, perdere, occidere: hæc

diſcunt medici,qui in homine ſtudent, hæc norunt. Niſi igitur homo exterior in tua mente obuerſetur, tantùm eris experimentator, hoc eſt fortuitus & deſperabundus ſperator: tale autem ſtudium éſtne doctoris aut latronis? de hoc iudicent omnes lectores, an videlicet Deus nobis medicinam dederit inuolutam iſti homicidiali doctrinæ & experimentationi, profectò non ita voluit. apagite vos cum iſto ſpecimine. Deus enim medicinam creauit, vt vitam daret, at iſti vitam furantur: quomodo igitur nos per iſtam homicidialem doctrinam & probam fieremus magiſtri & doctores? melius eſſet Deum nullam vnquam medicinam creaſse: plures enim in probatione interficerentur, quàm omnes magiſtri poſſent reuocare. Deus itaque nobis hoc modo propoſuit philoſophiam, vt ex illa diſceremus & naſceremur, & magiſtri fieremus extra hominem: tales enim neminem occidunt. Sed hæc apud vos locum non habebunt, vt ea ſequeremini, imò inſana beania præualebit: attamen veſtram conſcien-

tiam

tiam in teſtimonium adducam, quod falſi & dubij eſtis in omni veſtro conatu: & niſi Deus ægrotos cuſtodiret, quis viuus maneret? idcirco ipſimet magno ſtupore Dei bonitatem admiramini.

Oportet autem anatomiam vel œconomiam totius hominis exterioris adeò medico notam eſſe, vt ne pilum quidem in hominis capite inueniat, quem non foris prius decies inuenerit & cognouerit, & euidenter intellexerit. Ex hac enim anatomia fluit ratio compoſitionũ vel receptorũ, vt membro membrũ, arcano arcanum, morbo morbus correſpondeat: in hoc ſitum eſt negotium, non in numero, non in primo, ſecundo, tertio gradu, &c. imò membrũ membro comparetur, tunc morbus & arcanum conueniunt in vnũ: ita natura vult ad manũ ſumi medicũ, & non iuxta impoſturas. Vnde orta eſt hęc opinio, quòd calor, frigus, humiditas & ſiccitas gignãt morbos, eoſdemq; curẽt. quid poteſt ſiccitatis exiccatio? & quid eſt exiccatio aliud, quã quòd humiditas de loco ſuo in alium pellitur?

Morbi arcanis correſpondentibus nõ contrarijs qualitatibus curandi.

ſicut ſol exiccat lacunas: humiditates autem minimè abſumitur, ſed tantum modò hîc aufertur, & in alium locum transfertur. Quódnam frigus à calore tollitur, niſi quòd ſolummodò in pondere non ſatis præponderat: & præterea temporis cauſæ conſiderandæ ſunt, quæ & ipſæ ad hanc medicinam pertinent. Videte igitur quàm prorſus philoſophiæ expertes ſitis. quomodo igitur poteſt vera eſſe veſtra ſcientia medicinalis? verum quidem eſt, quemlibet harum rerum proprietates in ſe habere oportet, ſed non ſunt hæc medicina aut arcana. Quid loquitur ex homine? quid eſt in auribus quod audit? éſtne frigus vel calor? neutrum, nihilominus ſunt calida & frigida, ſicca & humida. Quid autem illæ qualitates ad viſum? Ita etiam de medicina ſentiendum eſt, quòd neque calor neque frigus hîc ad viſum aliquid faciant: imò ſicut viſus eſt arcanum oculorum, ita etiam ſe habent arcana oculorum propria. ſic de aliјs quoque. Propterea meritò membrum membro adhibere iubeo: in hoc enim medicinæ ars poſita

ſita eſt. In arcanis itaque medici apotheca eſt: calor enim calor manet, & frigus frigus, nec conſumuntur, aqua manet aqua, ignis ignis: ſunt enim fixa elementa, quæ natura fixa hactenus non conſiderata eſt, quod ſcilicet humiditas, fixum frigus in ſe habeat, & vos morbum calidum per illud expellere conamini, cùm tamen nullus morbus fixus ſit in calore vel frigore. Quomodo igitur fixum & non fixum pugnabunt? Hoc eſt veſtrum illud fundamentum, contraria contrarijs curantur, ſcilicet calidum curat frigidum, id quod falſum eſt, & nunquam in medicina verum fuit: imò hoc potius: arcanum & morbus ſunt contraria: arcanum eſt ſanitas, & ſanitas morbo eſt contraria. hæc duæ ſe inuicem deſtruunt, ita quidem, vt ad internecionem ſe interficiant, vt de contrario nihil relinquatur, quæ perfecta expulſio in frigore & calore non eſt: ars expellentis eſt, vt hoſtis nunquam redeat. Anne autem nunquam pulſa fuit hyems aut æſtas, vt non rediret? nunquam certè, propterea curſum temporis non mor-

borum nobis demonſtrant: aliud eſt morbus, aliud ſunt elementa, elementa non ægrotant, corpus ægrotat. Ita ſcorpio ſuum in homine ſcorpionem curat, realgar ſuum realgar, mercurius ſuum mercurium, meliſſa ſuam meliſſam, cor ſuũ cor, ſplen ſuum ſplen, pulmo ſuum pulmonem, non cor ſuillum, non ſplen boum, non pulmo caprarũ: imò coaptanda ſunt maioris & minoris hominis membra ſimilia.

Concluſio ad auditores. Sed ne diutius detineam auditores meos, in genere eos adhortor, vt cognoſcant hominem exteriorem & maiorem, & per eum poſtea etiam interiorem & minorẽ, nec ſtatim credant, doctrinæ & verbis præceptorum ſuorum, qui ſemper ſibi ipſis plaudunt, & victoriam attribuunt, imò plus, quàm indigeant veritatis habere ſe putant: vos autẽ iſta nolite reſpicere, imò conſiderate opera ipſorum, ex illis intelligite quinam ſint. Quid enim vos docerent, cùm ipſimet turpiter deſiſtere, & ſeipſos mendacij arguere cogantur? ánne iſti, qui ipſimet nunquã aliquid valuerunt, ex vobis doctores & magi.

ſtros

ſtros facient? Concipite hæc animo, credite operibus & non verbis: verba ſunt res inanes, opera autē probant magiſtrum. Rogo vos, quę ſcribo perlegite & perpēdite, idq; diligēter, non ex odio, non cōtemptim, nō irriſoriè: hęc enim omnia tandē vobis ipſis contemptum paritura ſunt, in quibus nunc me contēnitis. Quandoquidē auditores eſtis, diſcite & audite vtranq; partē, quod bonū eſt eligite: niſi enim quotidie tuminetis ea, de quibus dico, quomodo medicinę certitudo & fundamentū vobis dabitur? Cognoſcite igitur microcoſmū ex natura exteriori, in qua miracula & magna myſteria cōprehendetis, quæ in homine abſcondita ſunt, non in mei gratiā, ſed in veſtram, ægrotorū, & Dei laudē. Quis enim vnquā hominē, vt hominem cōſiderauit? in ipſo cæcutierūt omnes facultates, nemo nouit ipſum: hinc oriūtur tot hęreſes: profectò theologi non ita vociferarētur, ſi tali modo medici fierēt: & iuriſcōſulti bene viderēt, quod eſſet prudētia ipſorū, & vnde orireť, aliíq;. ſimiliter in cauſa eſt, quòd homo cōſideratur quidē, ſed nemo eū rectè cognoſcere vult.

Quadruplicia omnia ſunt in homine.

Habetis enim metalla in aquis,in terris,in igne, in aere: habetis quadruplicem mercurium, quadruplicem betonicam, quadruplex thereniabin, quadruplicem amethyſtum,& hæc omnia in nulla alia re differunt, quàm in forma ſola:ita quadruplex eſt chelidonia: quadruplex horizon.Hæc omnia quoque ſic in homine ſunt: in quadruplici enim forma eſt poſitus homo, & bene formatus, in qua formatione ſcientia ars & myſteria medici ſita ſunt, hæc ſequi eum decet & nullam aliam profeſſionem: non enim ipſi eiuſque officio conueniunt. Atque ita primum medicinæ fundamentum ſatis edocti eſtis, quod ſcilicet abſq; philoſophia prædicta nullus medicus eſſe poſſit, ſed tantùm impoſtor enatus, ſicut muſcus ex trunco arborum.

De Aſtronomia ſecundo Theophraſticæ Medicinæ fundamento.

QVandoquidē integer homo iuxtà ſuam compoſitionem à quolibet medico conſiderari debet, in ſecundo

cundo fundamento de Aſtronomia dicēdum erit, quæ quidem ſuperior pars eſt philoſophię, per quam hominis cognitio integratur. docet autem quomodo ſuperiora corpora debeant cognoſci & intelligi in ſphæra ſuperiori, nec non ſimiliter quoque in hominis microcoſmi ſphæra interiori: quomodo ſcilicet vnum ſit firmamentum, vnum ſidus, vna natura, & vna eſſentia in ambobus, tantùm differens forma & figura. Aſtronomia igitur hîc ſecundum fundamentum eſt, & complectitur duas partes hominis, ſcilicet aerem & ignem; ſicut & philoſophia complexa eſt duas partes, terram ſcilicet & aquam. Sicut autem dictum eſt in philoſophia, ita hîc quoque ſtatuendum eſt, quòd in homine ſint aer & ignis ſicut foris ſunt: ſicut etiam meliſſa ei ineſt, perinde ac in terra eſt: & ſicut in cœlo eſt linea lactea, ita etiam in nobis eſt, ſimiliter etiam duo poli, nec non Zodiacus, & alia ſimilia: quot enim res in cœlo ſunt, tot etiam in homine ſunt, & ſic de aere. Cúm autem homo hæc in ſe contineat, neceſſe eſt hanc quo-

Aſtronomia tractat de cœlo ſeu igne & de aere, eorumq; morbis.

que partem cognoſci, minimeq; negligi. Sanè vos humorales medici mirabimini, quomodo galaxia trãſeat per ventrem, & vbi ſit polus ſuperior & inferior, nec non planetæ, quà tranſeat Zodiacus, ſicut mirati eſtis ſuprà, quomodo meliſſa in ventre naſceretur, & quomodo rubigo in corpore fieret: nõ mirum eſt ſi vos pro doctrina veſtra miramini: qui enim magis mirãtur, quàm fatui & ſtulti? Medicum autem decet hominem etiam in ſecunda ſui parte nouiſſe, ſcilicet per Aſtronomiam, vt ſcilicet in homine cœlum quoque faciat, aliàs non erit medicus hominis.

Cœlum enim cum ſua ſphæra cõplectitur dimidiũ corporis, & dimidiũ numerum morborum. Quomodo igitur medicus erit, qui dimidiam hanc partem ignorat? Pergo igitur docere, quòd homo patrem ſuum etiam in cælo & aere habeat, eſtq; natum & factum hominẽ ex aere & firmamento: præcipuũ autẽ negocium mihi erit, vt hæc ita tradam, vt credere poſſitis. Quòd autem non totam doctrinã hîc complectar, in cauſa

cauſa eſt, quod id minimè eſt neceſſarium: non enim ad fundamentum medicinæ pertinet: quantum autem medico ſcire opus eſt, hîc docebo, reliqua quærat in alijs locis, nempe de Generatione hominis, ibi tota res comprehenditur: hîc autem dico, quid deſit illi, qui hæc ignorat, & quis ſit is, qui hæc nouit. ſimiliter in alijs quoq; omnibus rebus plus quàm dico intelligere debetis. Dum igitur homo perfectè iuxta hoc fundamentũ medico infixus eſt, nulla veritas eſt in medicina, neq; in curando neq; in cognitione morborũ: nõ enim ex homine, ſed ex patre ipſius proueniunt morbi. vnde igitur oriantur ex illo, diſce eos cognoſcere: coſſus non naſcitur ex ligno, ſed in ligno: grylli fornacum non gignuntur ex luto, ſed in luto viuunt: erucæ non ex arboribus ſunt, in quibus tamen pendent: videte ſcarabeum equinum, qui non naſcitur ex ſtercore equi, ſed potius ex certa conſtellatione, pro cuius præſentia vel abſentia naſcitur aut non naſcitur: ita omnia quoque in homine ex patre oriuntur ipſius.

Primùm itaque ſciendum eſt, aerem & ignem non eſſe corpora ſenſibilia aut viſibilia per ſe, ita in homine quoque: ſicut itaque in cœlo agitur, ita in homine quoq; iſta corpora ſuos morbos pariũt: & ſicut ſol prodeſt vel obeſt, ita etiam corpora iſta hominis infeſtantur, ſicut terra à ſole. Cor autem non eſt ſol, neque cerebrum luna, & ſic de alijs membris, &c. Cor enim & cerebrum, &c. pertinent ad ſphæram alteram elementorum: & ſicut cœlum in illa agit, ita etiam ſcias in homine corpus quoddam eſſe. Quid autem conaris medicinam exercere extra hoc fundamentum? quæris morbos corporales, qui tamen non ſunt corporales, quantum ad hanc partem. Quomodo calorẽ Solis auferes à terra? non potes, nõ enim vllã poteſtatem in ſolẽ habes, ideóq; ſolummodò per vmbram te cuſtodis ab eo, aut in terra te occultas vt taxus: hoſti autẽ hoc modo nihil aliud adimitur, ſed propoſitum ipſius infringitur: hoc modo etiam & non alio aggredieris morbos firmamenti. Sciendum autem eſt partẽ firmamenti ſuos morbos

Cœlum & aer inficiũt aquã et terram, & pariunt morbos incorporales ſeu inuiſibiles, ita in homine quoq; fit: et morbi illi arcanis inuiſibilibus curantur.

morbos transfundere in alteram inferiorem partem: nempe ita rem intelligite, quòd aqua & terra nunquam ægrotent aut vitientur, niſi cauſantibus ſuperioribus firmamentis, tunc enim putrefiunt, ſic & ſterileſcunt ab aere & cœlo. in ſumma quicquid inſalubre ipſis accidit, id cauſant aer & cœlum. Hæc eſt peculiaris expoſitio in his morbis, peculiaremque medicum efficit, ſi modò medicus diuidi debeat, ſicut humoriſtæ diuidunt in chirurgum & phyſicum, in quibus tamen omnibus nihil eſt præter nihil ſcire, pudefieri, nihil intelligere, ſuperbire. Quòd ſi igitur pars illa incorporalium ſpecierum in corpore eſt ſicut externa elementa aquæ & terræ inſunt, ſcitote etiam in membris corporis ipſi attribui ſuam partem morborum. Vt autem iſti morbi intelligātur, origo eorū ex alia ſphęrà deſumenda eſt, & quomodo & qua via oriantur, in ſuo loco. Sicut enim in cœlo ſunt nuſquam alligata, vt à nulla re portentur, imò in aere pendent liberè abſque vlla terrena natura, potentia & vi, talia etiam ſunt in corpore, &

ſicut in cœlo ſtellæ tingunt abſq; vlla corporali commixtione, ita etiam in microcoſmo fit. Et ſicut iſta operatio inuiſibiliter fit,& tamen viſibiliter finitur:ita etiam de medicina eius intelligendum eſt,quæ etiam viſibiliter operatur, & tamen eſt inuiſibilis: id enim quod videmus non eſt medicina, ſed corpus illud in quo illa latet: arcana enim elementorum ſunt inuiſibilia,ſicut & arcana hominis : quod autem in ijs viſibile eſt, externum aliquid & impertinens eſt. Videtis aerem eſſe corpus firmamenti,etiamſi oculis id minimè probetur, arcano tamen humano probatur.in aere autem poſitum eſt firmamentum,nempe elementum ignis. Apud vos verò & iuxta noſtras cogitationes,cœlũ & ſtellæ ipſius,vt ſuprà dictum eſt, nemo portat, nemoq; in ſuo curſu eas ducit: ſed nos terreni ſumus ideo terrena loquimur, ideo dicimus nihil portare lunam ſicut neq; ſolem: ita etiam dicimus aer eſt nihil. Sed ſi ſuperioris eſſentiæ intelligentiam aggrediamur,inueniemus,quòd ſuperiora & inferiora vnũ & idẽ ſint,& in hoc

Cœlum & aer non videntur eſſe corpora, ſed ſunt.

ſolùm

ſolùm differunt, quòd nos terreni ea non cõprehendamus,& tamen terrena ſunt, eo modo vt videtis. exempli gratia albedo eſt color,nigredo etiã eſt color: quàm diſſimiles autẽ ſunt iſti duo, tam etiam differunt ſuperiora.Nihilominus dicimus,aqua & terra ſunt corpora,cœlũ autem & aer non,cũ tamen & ipſa ſint corpora. item luna eſt corpus vt & ſol, aer autẽ non, cum tamen aer quoq; ſit corpus.Inſpicite marmor quod eſt opacũ & obſcurum corpus,vt nemini ſit perſpicuũ, ſed ſolummodo in ipſo quieſcat viſus:chriſtallus eſt pel lucidus, ita vt id, quod ſub ipſo eſt,per ipsũ cernere poſſis:marmor itaq; terrã ſignificat,chriſtallus verò aerẽ:ita comparantur duæ illæ ſphæræ:ita lignũ eſt craſſum & obſcurũ, vitrum autẽ,quod ex ipſo cõficitur,eſt perſpicuũ. Nec verò quis miretur, quòd in aere ambulemus,cũ tamen ſit corpus:videtis enim piſces in aqua vagari,& non petere fundũ vel ſuffocari,ita quoq; nobis in aere accidit. Similiter ouũ totam eſſentiã & vitã noſtrã ſignificat,cuiq; vitellus in albumine iacet, centrũq; obtinet,nec in

vllam partẽ prolabitur,vitellus ſignificat inferiorẽ ſphærã,albumen ſuperiorem:vitellus eſt aqua & terra,albumen aer & ignis: & ſicut in ouo vnũ ab altero portatur,ita etiã in mundo fieri exiſtima,& quòd aer nihil aliud ſit quàm chaos: chaos autem nihil aliud quàm albumen oui,ita vt ouum ſit cœlum & terra.

Nõ ex quatuor humoribus, ſed ex elementis cauſa morborũ ſumẽda eſt

Vt autem ad propoſitum redeamus, ſi tale albumen, quod non videt eſſe corporale,& tamen, vt dictum eſt,corporale eſt(ſolis oculis differentiam faciẽtibus)morbos parit. Quomodo eos intelliges, ſi philoſophia careas? ſi enim dicas eſt phlegma, eſt cholera,eſt ſanguis, eſt melancholia,tum noſti iſta quatuor non aſſimilari elementis poſſe:hîc autem oportet cauſam elementis aſſimilari, vt ex elementis ſint ſicut alij. Ex hoc ſequitur horum morborum ignorantia, & totius propoſiti error: aliter enim operantur elementa, aliter phlegma, & ſi illa in quatuor partes diuidere velis, longè aliter te accommodes oportet, quàm cœperunt humoriſtæ, qui in cæno humorum pe-

nè

nè ſuffocantur, nihilque aliud, quàm ſtercus quærunt, & de ſtercore tractãt: hinc tota ipſorum ſapientia in nihil aliud directa eſt, quam vt clyſteres adhibeant, purgent, &c. quę hîc deſunt, de modo purgandi indicabuntur. Humores igitur ſeponere oportet, & proprietates elementorum ad manus ſumere, in quibus quærenda eſt affectionum harum cauſa, quæ ſanè nihil te docebunt de humoribus, imò in verum fundamentum medicinæ deducent, à quo tu aberrans, omnes tuos morbos falſò tractas.

Porrò ſcitis cœlum in nobis operari: quis autem cognoſcet, quid ſit illa operatio, qui proprietates cœli non nouerit? quid eſt illa cognitio niſi aſtrũ? quòd ſi igitur aſtrum eſt ars ſapientiæ cœli, medicus talis eſſe debet, & quando talis eſt, tunc eſt diſcipulus medicinæ, eſtq; aptus ad iudicandum de cœlo in homine. Quando autem de cœlo in homine iudicare poteſt, tum primùm eſt medicus, aliàs non: ſi enim tantùm externum cœlum nouerit, manet Aſtronomus & Aſtrologus: quan-

Cœlũ quoque in homine eſt. quod imitatur exterius in ſuis affectionibus.

do autē aſtronomiam in homine diſponit, tunc duplex cœlum nouit: duæ autē cognitiones hoc loco medicum faciunt, quo ad ſphæram ſuperiorem. Oportet igitur medicum abſq; defectu ſcire, vbi cauda draconis ſit in homine, vbi Aries, vbi axis polaris, vbi ſit linea meridionalis, vbi oriens, vbi occidens: ſi hæc ignoret, ad tabernas mercatorias relegetur, vt ab illis diſcat, & deinde ſtipendiarius ſit ciuitatum, tunc ſimilia ſimilibus iungūtur, aut in aulam principis alicuius, vbi inſtitori commodare poſſit. Scitote igitur vnum & idem eſſe aſtra ſuperiora & inferiora hominis, nec differre viribus: ideo ſicut aer in vitro clauſo ſurſum & deorſum mouetur, bonus & malus, ſicut is qui foris eſt, cum quo vnum & idem eſt, ita etiam in cœlo & corpore humano ſe res habet eodem modo. vitrum frangitur, nihilq; nocet elementis: elementa enim ante vitrum fuerunt, & iam tunc erant cùm vitrum fieret. ſicut itaq; in vitro aer eſt, attamen diſtinctus ab ipſo: ita etiam in homine firmamentum eſt in cœlo, non tamen vnum

num & idem, ſed duo ſunt. Manus enim quæ diſtinxit lucem & tenebras, & fecit cœlum & terram, illa inferiora aſtra in microcoſmo etiam fecit, deſumpta ex ſuperioribus & concluſa in manum hominis, vt habeat omnia, quæ cœlum complectitur: atque hoc modo cœlum nobis eſt index interioris cœli. Quis igitur medicus erit, qui cœlum exterius non cognouit? nos enim verſamur in illo cœlo, & obuerſatur illud ante oculos noſtros: cœlum autem quod in nobis eſt, non eſt ante oculos noſtros poſitum, ſed poſt oculos noſtros, ideoq; illud videre non poſſumus. Quis enim introſpiceret hominem per cutem? nemo: ideoq; ante oculos naſcitur medicus, & per anteriora perſpicit illa, quę poſt ipsũ ſunt: ex exterioribus videt interiora, omnia exteriora interiorũ cognitionẽ dant, aliàs nulla interior res cognoſci poſſet. Sciendũ itaq; hîc eſt de iſtis duob. firmamẽtis ſuperiori & interiori, vtrũ alterũ inficiat: notate igitur quòd homo exteriora nõ inficiat: exteriora aũt inficiũt interiora, hac de cauſa, ꝙ filius hæreditate bona

Ex cœlo externo, non interno diſcendum.

patris accipit: pater autem minimè à filio: cœlum autem & aſtra ſunt pater hominis: homo enim ex aſtris eſt. Omnis autem infectio incipit in aſtris, à quibus poſtea in hominem influit, nempe cœlo iam deſinente homo primùm incipit. Minimè tamen verum eſt, cœlum ſuam infectionem in hominem introducere, ideoq́ue vanũ eſt, quòd fumos odoratos excitamus, imò aſtra in homine à manu Dei ita diſpoſita ſunt, vt imitentur ea, quæ cœlum exterius perpetrat & generat, ideoq́ue in homine ea fieri oportet. Quanquam enim ſol vitrum penetret, & luna in terra ſplendorem efficiat, hæc tamen non conciliant hominis corpori morbos: ſicut enim ſol ipſe non intrat hoc modo in hominem: ita neq; aſtra in hominem deſcendunt: radij enim hominem non afficiunt, corpora verò afficiunt non radij, hoc eſt, corpora aſtralia microcoſmi, dum hæreditant naturam patris.

Cùm itaque homo ſimilis factus ſit aſtris: aſtra autẽ ante ipſum facta ſunt, & ipſe poſtea ex aſtris, oporteret labores

res paternos in filio quoque fieri ſci-licet in homine: non tamen operatur internum cœlum ſimul cum externo, ſed poſt ipſum: filius enim ſequitur patrem & non iuxta ipſum incedit. Hoc modo Mars filium ſuum habet in aſtro hominis: ita Saturnus quoque, Iupiter, Mercurius, Venus, Sol, Luna, aliáque ſidera, quæ non opus eſt recenſere. Vos igitur medici nolite contemnere id, quod vos exaltat, confirmat & perficit, quàm iucundum & decorum, & quàm veridicum medico eſt, ſi artem ſuam callere dicatur: ars autem non eſt fremere, geſtare pileos doctorales, & nomina magna: hæc ægrotos perdunt, tunc vocamini perditores & mutilatores, quod vobis dedecori eſt: Nolite vobis ipſis perſuadere, quod ſatis inueniatis in Auicenna & Galeno, aut Meſue, in ijſque ſatis periti ſitis: hæc omnia vobis proſunt, (ſi modò veritati inſiſtere velitis) quàm ruſticis prodeſt Petrus de Creſcentijs; & perinde eſt, ac ſi quis muſicus fieri vellet ex Danheuſeri & dominæ de Vuilſenburgo hiſtorijs: bene hæc reſonant

Ex cabaliſtica idea perfecta omniũ morborũ, qui in hominẽ incidere poſſũt, depromi poteſt non ex aliquot exemplis.

in auribus eius: qui ſatis commodi inde nanciſcitur, nec vllum melius exhilarant quàm cantorem ipſum. An non dignum eſſet conſideratione medici? quòd homo patris ſui anatomiam poſſidet, quam nemo ei eripere poteſt, filiusq; abſq; patre cognoſci nequit, ſed per patrem cognoſcitur: nec hominis pater eſt Adam, aut Eua mater: vterq; enim erat homo: homo autem non natus eſt ex homine: primus enim homo non habuit hominem ante ſe, ſed creatus eſt, ex creatura eſt limbus, & limbus factus eſt homo, homoq; manſit limbus. Quòd ſi igitur homo limbus manſit, & eſt circundatus cute, ita vt nemo eum introſpicere poſſit, eiuſque operationes non ſunt viſibiles in ipſo, oportet eum ſecundũ patrem ſuũ conſiderari, & non in ſeipſo: exterius enim cœlum & ipſius hominis cœlum interius vnum & idem cœlum eſt, duo tamen ſunt, ſicut & pater & filius duo ſunt: vna tamen eſt anatomia, qui alterutram nouit, etiam reliquã nouit. Vt autem cognoſcantur morbi non valet hęc ratio, quod ſcilicet vnum hominem

nem pro omnib. hominibus accipere velis: corpus enim patitur, non illud quod in ipſo eſt ęternũ: quòd ſi igitur corpus patitur, & corpus eſt limbus, omnes homines ſunt limbus, & omnes morbi ſunt limbus: diſtribue igitur ita, vt omnes morbi omniũ hominum fiãt tantùm vnius hominis morbi: quoties igitur homo, toties ponitur vna anatomia (iuxta humorales medicos) quis hoc modo ad finẽ certum perueniret? nemo ſanè. Scitote igitur medicũ debere omniũ morborũ perfectè eſſe peritũ, id quod ſumit ex patre exteriori, vt ſciat quid in Arabia, quid in Europa, quid in Italia, quid in Germania ſit, &c. quantũ enim patet mundus vbiq; medicus eſſe debet, non vnius ſolũ hominis, id quod fit per patris cognitionem, qui docet cabaliſticã doctrinam, hanc ediſce. Quandoquidẽ igitur in homine cœlũ eſt, nec ſe res aliter habere poteſt, vos medicos omnes ſcitote, quòd in homine omnes aſcendentes quoq; ſint. Quis autẽ dicet, quòd homo aſcendenti obnoxius ſit niſi ſolus Aſtronomus exterior? medicum hæc explicare & patefacere oportet. Quot enim

aſcendentes cœlum habet, tot etiam homo habet: ita homo multos centenos ſtatus habet, vnde illi accidit hoc in loco ſanitas, in alio loco morbus, in hoc iſtud, in alio aliud: hodie ita, cras aliter ſe habet, ita vt quotidie nullo membro ſuo tutus ſit à ſanitate vel morbo. Cùm igitur ad corporis ſanitatem & morbos hæc ſpectant, neceſſe eſt medicum aſcendentes coniunctiones planetarum, exaltationes, &c. & omnes conſtellationes cognoſcere & ſcire. quando autem eas foris in patre intelligit, conſequens eſt, vt & in homine hæc ponat. Cùm autem numerus hominum tantus ſit, quomodo cœlum cum ſua concordantia in vnoquoque inueniet? & vbi ſit ſanitas, vbi morbus, vbi principium, vbi exitus, vbi finis, vbi mors? homo enim cœlum eſt, & cœlum homo, & omnes homines vnum ſunt cœlum, & cœlum vnus tantùm homo. Cognoſcendum igitur, quare hoc in loco eueniat hoc, alibi aliud, hic nouum, alibi vetus, illic aliud: hæc autem intelligenda ſunt non de forma aut cœli figura, ſed de impreſſionis

Quare nõ omnib. hominibus eadem accidant, ſiquidẽ omnes cœlũ eiusq; mutationes in ſe habent.

ſionis virium diſtributione.hæc medico præcipuè conſideranda eſt:rem autem ita intelligite. Cùm nos homines omnes vnicum cœlum habeamus, ita tamen vt in quolibet peculiariter inſit, & quidem integrè,non fractum,ſed totum cœlum. Quæritur,quare non etiam vnus & idem ſit curſus omnium hominum ,hoc eſt eadem mors,ĳdem morbi in omnibus hominibus:cœlum enim ſemper operatur, cùm itaque vnicum ſit cœlum & vnicus curſus cœli, omnibus etiam hominibus afferet cœlum eadem , ita vt omnes homines ſimul ſint & ſani & ægroti ,quod autem minimè fit.Scitote igitur illud infringi per horam natiuitatis: infans eenim, qui concipitur , cœlum ſuum proprium iam accepit : quòd ſi igitur omnes infãtes in vnico temporis puncto naſcerenter, omnes vnum & idem cœlum , vnum eundemque curſum,vt ſuprà diximus, haberent. Cœlum igitur maius quomodo ſe habet tempore natiuitatis: ita imprimit cœlum in nato,eſtq; admirandum,ſi decem millia hominum nocte dieq; naſcerentur,

non tamen vnum idemq; cœlum haberent, imò tantū diſtarent, quantum occaſus ab ortu. Sicut enim creſcit & augetur arbor ex ſemine orta magis magisq;:ita etiā horę in his terris ſunt, ſi ad cœlum cōferantur: quando enim maior eſt arbor, quā ſemen ipſius, tantò longiores quoq; ſunt horę aſtrales quàm terrenæ, adeò quidem, vt ſub noſtris horis terrenis non poſſint cōprehendi menſes, nec ſub minutis. Atque hanc mirabilē proprietatem tam admirari nos oportet, quàm quòd in nobis cœlū & aer eſt, quāuis non ſint tantę magnitudinis vt exteriora: in puncto enim ipſo tam eſt circulus, quā in magna circūferentia. quantum autem circumferentia talis à puncto differt, & tamen vtrunq; eſt integrū? Sicut itaq; in circulo hoc poſſibile eſt, vt vno pede circulū ducat, altero ſtante etiam circulum minorem det: ita etiā de homine & cœlo ſentiendum, eandē eſſe quantitatem in creſcendo ab homine ad cœlum, & à cœlo ad hominem in decreſcendo, ſicut lineæ à circulo in punctū ſuum redeuntes. Sicut enim poſſibile
eſt

eſt,ſummam minorem habere eaſdem partes cum maiori:ita etiam ſunt exteriora ad interiora.

Quoniam autem homo ex terra & ex cęlo ortus eſt, ideo oportet eum eadem pati, quæ ipſa patiuntur,eaq́; quæ in ipſis ſunt attrahere: eadem enim in ſe quoq; habet, ideo nutrimentũ quoque ex ijſdem accipitur. Cur enim homo comedere deſinat, niſi quia ex terra eſt? cur bibere niſi quia ex aqua eſt? cur anhelat,niſi quia ex aere eſt?cur calorem expetit, niſi quia ex igne eſt?Sed dicere poſſis,quid hæc ad propoſitum tuum? dico eſſe eam ſcientiam,ex qua medicus regimen præſcribit, & extra hanc nullũ regimen præſcribitur,eſtq; tantùm externorum morborũ origo, & non ipſorum elementarium.Notate enim originem morborum, quod centrum morbum pariat, ideoq; omnis morbus centrum ſibi quærit, & extra centrum nullus morbus generatur, ideoq; fruſtrà de putrido aere dicitur. item claude ianuam hypocauſti, ne ingrediaris nebulã,&c.niſi enim conſtellatio ſit in te, nihil tibi hæc nocebunt.

Aſtra noſtra in nobis nos lædunt, aliàs nihil externum nos afficit.

Scitote igitur originem harum rerum non ex aere accipi debere externo, ac ſi quis de ſplendore Solis loqueretur, & non de Sole ipſo. Sol nullam lunam lædit ſolummodo ſolem, ſic luna ſolummodo lunam lædit: ex illa origine intelligite morborum generationem non ex afflatu externo hoc modo: prout aer ſe habet, pro eo habet ſe etiam noſtra valetudo bona vel mala: vtrique enim obnoxĳ ſumus, curſui morborum & ſanitatis traditi ſumus quaſi captiui: oportet nos igitur de his loqui. Quis extra hanc artem de his iudicabit? cùm in ea requieſcat cognitio coniunctionum, exaltationum aliorumq; bonorum & malorum dierum? quis innumerabiles patres & matres agnoſcet abſque hac arte, ex qua homo factus eſt? quis tot filios inueniet in homine per humores, per cauſam primitiuam, antecedentē, coiunctam? ô ruditatem & fallaciam hominū. quis beanos illos docuit ita diſtribuere morbos? morborum enim diſtributio eiuſmodi eſt, vt hac ratione minimè diuidi poſſint aut numerari: non enim diſcitur

tur antecedentibus potius ex aſcēdentibus, qui pariunt morbos: cœlum de antecedentibus nihil ſcit, ſicut nec de primitiuis. Quid eſt primitiua niſi pater? quid eſt cauſa coniuncta niſi coniunctio? cui ſatis fit per hoc, quòd omnium morborum cauſæ hac ratione agnoſci debeant. imò quilibet morbus ſuum proprium & integrum philoſophum & aſtronomũ requirit: & ſicut rerum origo intelligenda eſt: ita etiam morborum origo eſt intelligenda.

Quis igitur in generatione rerum naturalium talem diſtributionem ferre poſſet? multò minus autem medicus. éſtne hoc academicum, vos pediculoſi? Res facilis eſt ita loqui, ſi verũ etiam eſſet, ſed medicina nõ ita tractari vult: itaque cogimini tantummodo lutoſos ſyrupos conficere, atque hoc eſt fundamentum curæ veſtræ. Quomodo autem vos hæc decent? qualis theoria veſtra eſt, talis etiam eſt praxis. profectò ſi iſtam beaniam exueretis, & ad manũ ſumeretis proprietates cœli & terræ, non ſolùm vnum aliquē librum combureretis, ſed omnes, & ſi fieri poſ-

ſet etiam eorum magiſtros: non tenebitis me telis veſtris: meliores enim & certiores ſagittas adhuc in pharetra habeo.

Hoc modo etiam intelligitur,& incipit prædictio futurorũ morborum: incidente enim in morbum patre ſeu maiore homine,ex eo etiam filio morbus ſimilis prędicitur. Aſtronomus autẽ liberè & in genere loquitur,neſciens contra quem loquatur: non enim ipſi notus eſt minor homo quomodo ſe habeat ad cœlũ:ſed & medico non liquet quis paſſurus ſit,cũ non ſit grauis Coſmographiæ & omnium perſonarum, propterea vt decet,rem indicat. Quid enim aliud eſt ſcopus philoſophiæ & aſtronomiæ niſi homo?quando igitur ignoratur homo, artes illæ mortuæ ſunt. ſimiliter quid medicus prodeſt, niſi ſuis addat Coſmographiam, cuius inſignem notitiam habere debet,ſicut ſuperiorũ,de quibus dixi?omnes enim notitiæ in Coſmographia generantur, & ſine ipſa nihil fit. Cœlum autem ſibi ipſi medetur, vt canis ſuo vulneri:homo autem tali remedio caret. Cùm enim

Coſmographia particulariter explicat vim aſtrorum.

nim aliquid maius ſit, quàm creatura mortalis, etiam plura eum ſcire oportet, nempe quid in cœlo ſit, quid in terra, quid in aere, quid in aqua, idq; ideo vt cognoſcat, quíſnam ſit, & ex quibus conſtet: niſi hæc cognitio neceſſaria eſſet, homo non ægrotaret: ſed vt homo videat, quid & quis ſit, ideo patrem ſuum imitari cogitur in morbis & ſanitate. Videre enim quod dicitur, hoc membrum Mars fecit, hoc Venus fecit, hoc Luna, hîc eſt chaos, hîc thereniabin, hîc eſt ſanguis & caro ex aqua, ibi ex terra. Hi morbi & ſanitates hominum ideo tantùm accidunt, vt homo limbum cognoſcat, ex quo natus eſt: item vt pecudes in agris & ſyluis inſpiciat, vt ſe ſimilem animalibus eſſe videat non meliorem. Ideo hominem ſeipſum conſiderare oportet, & omnium creaturarum peritum eſſe, vt ſeipſum agnoſcat: in hoc nullus altero melior eſt: eſt enim vnica veritas & fundamentum, cui credi poteſt, & præterea nihil aliud. Cúm igitur homo ſublimior ſit omnibus alijs creaturis, quæ omnes ipſi

Homo ſcipſum noſſe debet, iam difficulter curatur, non vt cœlum per ſe.

inſunt: data etiam ipſi eſt cognitio hæreditariò ab Adamo, vt ſeipſum iudicet, quàm ſublimis ſit, ne incidat in ſuperbiam Luciferi. qui ignorabat quis eſſet, ſed ſeipſum Deo æquabat: ideoq; homo aliter creatus eſt & formatus: Deus enim præuidit hæc, & cum ex rebus mortalibus confecit, idque ei notum fecit. Ex hoc ſequitur, quòd homo per medicum cognitionem ſui accipere debeat: medicum enim Deus creauit, vt tibi dicat quis ſis, & quibus rebus obſtrictus & ligatus ſis, & quomodo liberari poſſis. hæc omnia ideo fiunt, quòd homo ex creaturis compoſitus eſt, vt ſeipſum contempletur in ſuis paſſionibus quíſnam ſit.

Cur impreſsiones in homine ſint durabiles & non fugaces vt in cœlo.

Cœlum itaque ipſum quoque ęgrotat, vt ſuprà dixeramus, ſed nihilominus pergit, eiusque morbos homo hęreditare accipit: cœlum enim ipſius patrem ſuum ſequitur: morbus autem ipſius non ita tranſit: habet enim in ſe corpus quod non tranſit: non enim in vno illa commixtio ſubiectum eſt medici. huius ſubiecti locus medico debet eſſe notus, & quòd cœlum id faciat

&

& aer: adeoque medico ſciendum eſt, quare ſuperior ſphæra tam efficaciter id faciat,& vbi,& quòd retentio ſola ſit mors hominis, quãdo ſcilicet cœlum non poteſt pertranſire,illa retentio eſt ſuffocatio eius quod intra cutem eſt. Notandũ enim hîc eſt,quòd aſtra interiora iuxta ſe habeant corpora mortalia,illa duplicatio naturę parit morbos, quos extra cutẽ expelli oportet, cœlũ hæc non patitur: non enim duplicatio hæc in ipſo eſt. Quomodo medicus præcauebit hanc mortificationem, niſi qui ſciat illa aſtra per ſuum cœlum penetrare & excidere? qua penetratione facta,ſola mors expellitur non ſanitas: de quo lege PARAMIRVM, quem librum peculiariter de Origine morborum ſcripſi.

Medicamẽta morbos proprietate non cõtrarietate qualitatis vincunt.

Fundamentum medicinæ hoc docet, niſi recepta ordinentur contra proprietates aſtrorum, & illius, quod quolibet in loco peccat, aut cauſa morbi eſt, nihil ibi curari: qualis enim eſt ſtella,talis etiam eſt morbus:& qui nouit ſtellam, etiam morbum nouit: id autẽ nihil aliud monſtrat,quàm

proprietas medicinæ. Cognito enim hoſte etiam amicum agnoſces: ſi cœlum eſt hoſtis, amicus eſt ex ſphæra inferiori: ſi hoſtis eſt ſphæra inferior, tunc ſuperior ſphæra amica eſt: non enim ſemper auxiliantur generata, ſed ſæpe etiam arcana cœleſtia. Nullus autem eſt morbus, qui non violenter ſola proprietate oriatur, non complexione: & econtrà proprietate quoq; ſimili vincatur. Vermes enim qui naſcuntur, originem ſuam ex proprietate habent nō ex frigore aut ex calore, hęc proprietatis omnibus morbis eſt cauſa. Quis igitur tam temerè audebit morbos deſcribere, qui hanc proprietatem non didicerit? multò minus aliquis eos curare diſcet, niſi hoc ſciat: quare ambæ ſphæræ medico ſua arcana commendant. Differunt autem arcana à medicina in hoc, quòd arcana ſua ſubſtantia agunt, medicina autem per contraria elementa: arcana autem antecellunt medicinam (quæ quidem non ita intelligenda eſt, vt frigidum calido, putredinem purgando expellere nitamur) arcanorum enim ſubſtantia

à na-

à natura directa eſt contra proprietatem hoſtis, ſicut vnus gladiator contra alterum armatur: ita natura quoq; dolum cõtra dolum dirigit, &c.& vult vt quicquid naturaliter poſſidemus in terris, vt id in medicina quoq; ſeruetur. Exemplum accipit medicus tale: ſicut duo hoſtes pugnant contra ſe inuicem, qui ambo frigidi, aut ambo calidi ſunt, ambo armati, ambo æqualibus inſtructi telis, & tamen alter alterum vincit: ita etiam in homine accidit, vbi duo iſti pugiles naturale auxilium expetunt ex vna matre ſeu virtute: tali vi etiam agunt arcana. Non igitur decet medicum tali induſtria vti in medicinis, vt medicinis arma & haſtas det, non opus eſt: ipſæmet iam habent, tu tantùm eas dirige contra hoſtem, & ipſæ ſe defendent. Hæc ideò dico ne credatur gradibus, cùm adeò repugnent cœlo: atque tota hæc conſideratio in tali exemplo patebit. ſæpè aliquis vulneratur, & multum ſanguinis profundit, quem nullum medicamentum inter viginti & triginta ſiſtere valet, niſi aliquod vile

& incomptum, ſæpè etiam ſpontè ſiſtitur. Quid inde diſcet medicus? ſcilicet, quòd ſphæram & ſtellam oporteat habere ſuum curſum, nulla re impediente. multi ſunt tales curſus & ſiſtentia ſanguinem, ita vt quot ſint flexiones, tot quoque ſiſtentia: artis autem eſt dirigere ad quemlibet fluxum ſuum ſiſtens, hoc eſt medicina & arcanum, vbi ſtella & arcanum ipſius conſideratur, calidum calido, frigidum frigido opponendo, ſubſtantiam ſubſtantiæ, cuilibet viro dando ſuam vxorem, & contrà. In hoc poſitum eſt ſummum medicinæ fundamentum de bonis & malis ſignis in læſione membrorum, de quibus aliquod initium factum eſt, ſed imperiti medici ea ſcripſerunt. obliti enim medicinæ, dimidium propoſuerunt, totum autē non propalarunt.

Plinius, Macer, & alij ſimpliciū arcana tradentes collegerūt ea tantùm inconditè, manca & abſq; proceſſu debito.

Cùm igitur tantùm referat in medicina noſſe cœlum & efficaciam ipſius, quæ tam potens eſt, opus erit, hoc fundamentum quod propono, firmiter defendere, nec extra illud aliquid tentare: idcirco etiam decet ea, quæ contra hoc fundamentum ſcribuntur

buntur

buntur & proponuntur, in ignem conijcere: nihil enim niſi ſeductiones docent. Quis mihi in malam partem interpretabitur, quòd Plinij ſcripta abijciam de rerum naturalium viribus? cùm nihil ſcribat, quod verum ſit, & vtile inueniatur. verum quidem eſt: aliqua ita ſe habent. Sed quis ille eſt, qui ſciat in quo, & quando verum eſſe reperiatur? Cœlum ſuo tempore operatur, & illud ipſum vires rerum manifeſtat: vires enim & efficaciæ cœlo ſubiacent. Quomodo igitur aliquis ſcribit de virtute, cùm non addat horam virtutis? quid hoc aliud eſt quàm collectanea & obſcura doctrina? quid eſt dicere & ſcribere inania, in quibus nihil continetur? talibus ſcriptis garruli homines adhærent: nihil enim laudare poſſunt, niſi quod linguæ dulce videtur, vnde meræ fallaciæ oriuntur. Aut quis mihi malè interpretabitur, quòd reliquos huiuſmodi ſcriptores Macrū, & alios ſui ſimiles non magnifaciam, aut ne legantur prohibeo? éſtne res parua aliquem in tribus errare? primū obliuiſci proprietates rerum ſpecifi-

Plinius.

Macer.

cas: ſecundo proceſſum, quem quæuis res tam habent proprium, quàm vires habent, ita vt qui ignoret proceſſum, virtutem quoque ignoret: proceſſus enim demonſtrat virtutem. tertiò quòd authorum mens neque in morbis, neque in ipſis rebus vnquam cognita fuit. Annon liceret mihi hæc prohibere? Qui non meminit lucis naturæ, matris naturæ, aut originis naturalis, quid aliud ſcribit quàm collectanea? quorum fuudamentum primũ aliud fuit, quod quidem ipſi non intellexerunt, & ſicut poetæ ſcripſerunt hæc & ſimilia, quorum penna in medicina venenum eſt. Medicinæ autẽ fundamentum debet eo modo incedere, vt ſilex in ſaphirum tranſmutetur & in ſmaragdum, Venus in Solem, idq; non ſolùm per artem fiat, ſed & per cœlum, non ſolùm in forma, ſed & in virtute. Ita ſcribi & doceri debet, vt omnes virtutes coralli in marmore reperiantur, & marmor in corallis: de coloribus facile eſt ſcribere: facile quoq; eſt vicini ſui ſermones annotare, hoc non eſt ſcriptorum. oportet aliquem ex ipſo fun-

Tranſmutatiõ rerũ in forma et eſſentia.

fundamento matris deſcribere naturam filij: ita quælibet res fiet id, quod eſt, neq; melior neq; peior. Eò rem perduxerunt iſti ſcriptores, vt rhabarbarũ & hermodactyli vltra mare ad nos transferantur. ex hac beania fundati ſunt apothecarij, qui relinquunt fundamentum & cognitionem medicinę, & perinde faciunt, ac ſi quis conduceret tabulam, quæ pro ſe loqueretur, cùm ipſemet os habeat, nihilq; ei deſit, niſi quòd os ipſius nõ ſatis doctum eſt & inſtitutum ad hoc. Sicut autem ex ruſtico fieri poteſt doctor: ita ex gentiana rhabarbarum: mementote, ſicut vniuſcuiuſq; os aſſueuit: ita etiam lingua naturæ ſubiecta eſt: medicina enim non naſcitur in hortis, ſed apud ægrotos. Cùm autem initiũ ſumeret doctrina obſcuritatis & humorũ, tunc oportuit Græcas medicinas adhibere Germanis, perinde atq; fit cum pannis, qui quò longius aduehuntur videntur eſſe meliores: domeſticus autẽ, qui æquè ſuum calorem præbet, cõtemnitur: per ſe autem quidnam alter altero melior eſt? ſola id facit cupiditas,

Quòd rhabarbarũ fit barbaris, hoc nobis gentiana: quælibet enim regio ſuis morbis remedia commoda producit.

luxus & ſtultitia. hæc omnia in oculorum ſeductione poſita ſunt: qui cùm in ſuperiora diſtorquentur per mille milliaria herbam aliquam conſpiciũt: eam autem quæ ante pedes eſt minimè, cùm tamen cœlum tam ſit ante pedes, quàm vltra mille milliaria: ſi enim vnum aſcendens ægrotum inuenire poteſt vt eum interficiat, etiam eundem alius reperiet, vt eum conſeruet, vtrinque geminum eſt: ſicubi eſt morbus, ibidem eſt medicina: ſicubi medicina ibidem eſt morbus. In arcanis enim tophus fit hyacinthus, porphyrites fit alabaſtrites, ſilex fit granatus, lutum nobilis bolus, arena fit perla, vrticæ manna, vngula balſamus, in his fundatus eſſe debet medicus, & hęc deſcribi debent.

Res vtilis, quæ conueniat morbo, vt arcanũ æquè prodeſt vt pretioſa.

Quælibet res, quæ in tempore verſatur, cœlo obnoxia eſt, in cauſa eſt putrefactio rerum; quamprimũ enim cuniculum perfectum eſt, ſtatim adeſt rei corruptio: poſt quam nouus aſcẽdens introducitur, nouumque initium, ex quo ſequitur, quòd ſæpe decies aut vicies vni alicui membro minitetur cœlum,

lum, & tamen nihil efficiat. Ita nouæ & aliæ conſtellationes incipiunt vtiles vitæ vel nociuæ, incidente ſcilicet alia rum fine, ita vt vnum momentũ ſæpè perdat id quod nunquam reſtitui poſſit. Ex hoc ſequitur infortunium ineptorum & imperitorum, vt vna eadém quæ medicina vni auxilietur, alteri nõ, vnoq; tempore felix ſit, altero infelix. Ad hæc igitur requiritur ſcientia reuolutionum, alterationum, commutationis aſcendentum, variationis exaltationum, nouorum generum coniunctionum, &c. Quis igitur in iſta varietate medicinam diriget & inſtruet? Vos igitur medici vnde cauſam veſtri ſucceſſus vel impedimẽti æſtimabitis? quémnam culpabitis, ſi infortunatus caſus vobis obueniat, aut laudabitis ſi felices ſitis? quid eſt fortuna vel infortuniũ? dicite quę eſt facies lunę, quales oculos & nares habet? ſi in doctrina curſus cœleſtis edocti eſſetis, diceretis, hîc valet, ibi non, & non, tentabo, Deus fortunet. non eſt fortuna, quę non habeat ſuam cauſam & præſcientiam apud medicum peritum. Quid aliud eſt for-

tuna, quàm ſeruato ordine notã habere naturã? quid infelicitas, quàm cõtra naturę ordinẽ rem aggredi? quando natura ſuum curſum habet, tunc fortuna eſt, ſin, infortunium eſt. Multi dicunt fortunam eſſe virum quendã tyrannicũ, qui vnicuiq; faciat quod velit, quod minimè verum eſt: habemus enim certum naturę ordinem, qui in luce verſatur, non eſt infelix: qui in tenebris ambulat, etiam non: vterq; rectè agit, qui non cadit, ordinẽ ſeruat naturalẽ: qui cadit, contra ordinem egit. Quare felicitas & infelicitas non ita ſe habent vt hyems & æſtas: imo ex fundamento naturæ, de his non iudicari debet: itaq; infelicitas eſt inſcitia, felicitas verò peritia, qui in pluuia ambulat, etiamſi madefiat non eſt infortunatus, qui in ſole ambulat, etiam non eſt infortunatus: vtrumq; enim felicitas & infelicitas à deſperatis, dubitatoribus excogitata ſunt, apud quos vtrunq; nihil aliud eſt, quàm aperto ore expectare, an aliquid volando ingredi velit. Vos autẽ medicos omnes decet adeò peritia inſtructos eſſe, vt originem felicitatis & infe-

licitatis

licitatis cognoſcatis,niſi hęc ſciueritis, deſiſtite à medicina: occidere enim ægrotum non eſt infortunium,ſanare eundem non eſt felicitas, imò eſt exitus & finis oſtendens qualis ſit vniuſcuiuſque peritia & induſtra: finis enim demonſtrat quis in fortuna vel infortunio verſetur,in ſcientia vel ignorantia. Quis nouit numerum morborum,niſi qui nouit numerum naturalium arcanorum & naturalium generatorum? neutrũ plures ſub ſe habet ſpecies: nihil ſuperfluum eſt, niſi mors,quæ non habet numerum. Quandoquidem igitur vtrinq; idem eſt numerus, morborum ſcilicet & remediorũ, quis illum numerum nouit niſi philoſophus vna ex parte, ex altera parte Aſtronomus? vtrinq; ęqualis eſt numerus:iſti duo numerũ morborum continẽt.medico impoſſiblle eſt hæc inueſtigare: medicus enim tantũ eſt vna regio, vnus annus, aut primus,aut ſecundus. Quid aũt inde nouiſſe poteſt experiẽdo?ex ſe enim nihil ſcit:vbi enim naturę reperiuntur, ibi etiam fundamentum materię & eſſentię,cognitio & proprietas delitеſcit.

Quomodo igitur iniquum eſſet vobis beanis patefacere veſtram ſtultitiã & errores, & ægrotorum ſeductiones? Oportet vos alio fundamento inniti, aut peiori ſpectaculo eritis, quàm homicidę,& ſimiles. Anne exiſtimatis me damnari debere aut relegari ex regione,in qua ſum, cùm hæc loquor & doceo, quæ nihil aliud ſunt,quàm manifeſtatio radicalis homicidij veſtri? non nobis diutius locus relinquetur,quàm donec iudicent ægroti,tunc detegemini. profectò non defendetis veſtram beaniam per veſtros compatres & affines,aut oſtentationibus & adulationibus virorum principum: imò alia via vos incedere oportebit,& ipſos vnà vobiſcum & omnibus veſtris rationibus: nomina enim morborum erunt ſagittarius,Leo,Mars,Saturnus,&c.aliàs nihil valebitis, nihilq; efficietis; quando autem in fortunam culpam reijcietis, quódnam fundamentũ ægrotis pro vero proponetis? profectò ſi iſta mendacia noſſent & ſcirent, plures lapides in tergum veſtrum conijcerent,quàm pedibus veſtris ſupponerent. Nolite dicere,

cere, hoc eſt melancholia, hoc eſt cholera: non enim ita ſe res habet: quin potius verã notitiam ex exterioribus deſumite. tunc non arguemini mendacij. Non vinceris aut terrebitis me veſtris minis & calumnijs: noui enim arma, quibus me defendam, ſi ad certamen deueniendum ſit.

Ex his, vos auditores, colligite, quibus rationibus & ego & ipſi inuitãtur, & an fundamentum meum ex natura veſana, aut ex nigromantia & diabolo habeam, ſicut ipſi aiunt. inſpicite etiã ipſorum fundamentũ, vnde illud proficiſcatur, meum inſiſtit veritati, ex qua patrem fundamenti facilè cognoſcere vobis licet: ipſorum pater eſt mendax, ex quo etiam principium & finem cuiuſlibet æſtimare poteſtis. Atque hoc modo ſecundum fundamentum concluſum volo in loco, alijs in locis, vbi natura & homo deſcribitur, fuſius illud declarare, quod meũ propoſitum hîc minimè eſt: ſolũmodo enim oſtendo, vnde fluat medicina, & quomodo à deceptoribus dignoſci debeat, qui hactenus verbis ſe tutati ſunt. *Concluſio ad auditores.*

De Alchymia tertio Theophraſticæ medicinæ fundamento.

PErgamus ad tertium fundamentum medicinę, quod eſt Alchymia, in qua niſi medicus ſtudioſiſſimè & perfectiſſimè ſe exercuerit, omnia quęcunque ſcit, vana ſunt. Natura enim tam ſubtilis & exquiſita eſt in ſuis rebus, vt ſine magna induſtria vſurpari nequeat: nihil enim producit, quod ad ſuum finem perfectum ſit, imò hominem omnia perficere oportet, quæ perfectio Alchymia vocatur. Alchymiſta enim eſt quaſi piſtor, qui panem coquit, itemquaſi vinitor dum vinum exprimit, quaſi textor cùm pannum conficit: ita ſi quid natura in hominis vtilitatem producit Alchymiſta. Hanc autem Philoſophiam ita intelligite: ſicut ſi quis pellem ouinam acciperet, & eam ita crudam pro veſte villoſa valde indueret, vnde & ruſticus, id eſt, ſi cum veſte à pellione aut pellifice parata, comparetur: tam ineptum & craſſum eſt, ſi quis à na-

Alchymia enucleat ea, quæ natura ex crementis inuoluerat.

natura aliquid nanciſcatur, illudque non præparat, præſertim cùm ſanitati corporis & vitæ id adhibendum eſt, in quo maior diligentia præſtanda eſt. Et quidem omnes opifices naturam indagarunt, & perſcrutati ſunt proprietates ipſius, ita vt iam norint naturæ vim in omnibus rebus expolire, & quod ſummum in ea eſt extrahere: in ſola medicina, vbi maximè id neceſſarium erat, hoc nondum eſt præſtitum, ita vt rudiſſima & craſſiſſima ars ſit. Si enim homo rudis eſt, qui crudam carnem vorat, & qui pellem animalium non præparatam induit, item qui ſub proxima quaque rupe tectum ſuum habet, aut in pluuia manet: certè craſſior medicus nullus erit, aut craſſius in medicina non agetur, quàm ſicut in apothecis coqui ſolet: certè enim rudior præparatio fieri non poteſt, quàm quando ita mixtim omnia coquuntur & corrumpuntur, omniaque ita raduntur & maculantur: qualis igitur eſt is, quem diximus, pelle rudi veſtiri, tali modo etiam eſt iſte noſter apothecarius inſtructus.

Cùm igitur in hoc fundamento de præparatione medicinæ dicendum ſit, ſcitote, hoc fundamentum ex natura fluere oportere, non ex phantaſticis noſtris ingenijs, ac ſi coquus pultem pi peratam coqueret: in hac enim præpa ratione vltimum illud & præſtantiſſimum ſitum eſt, nempe, poſtquam intellexeris philoſophiã & anatomiam, hoc eſt morborũ & medicamentorum naturam, totamq́; eorum concordantiam, concluſio tunc omnium præcipuũ & maximè neceſſarium eſt, ſcilicet quomodo id quod noſti, vſurpare debeas. Natura autem ipſamet in his rebus tibi ſignificat, quã diligentiam adhibere debeas, vt medicinam tuam ad perfectionem decoquas, ſicut æſtas pirum & vuam, ita etiam medicinã præparare oportet. quæ ſi ita adhibeatur, tum demum medicatio tua bene cedet. Quòd ſi igitur verum eſt, tuam medicinam ſicut æſtatem ſuum fructũ producere debere, ſcito, quòd æſtas id faciat per Alchymiam, & minimè ſine ipſa.

Alchymia naturam imitatur in præparando & maturando.

Quandoquidẽ igitur Alchymia hęc facit,

facit, ſcitote hanc præparationem eò dirigi debere vt aſtris ſubiecta ſit: illa enim opera medici perficiunt: oportet igitur medicinam iuxta illa intelligi, ordinari & diſponi, vt non dicamus, hoc eſt frigidum, hoc calidum, hoc humidum, hoc ſiccum: imò hoc eſt Saturnus, hoc Mars, hoc Venus, hoc Polus: ita recta via incedit medicus: deinceps oportet medicum ſcire, quomodo Martem natiuum aſtrali obſequentem efficere debeat, coniungere & aſſimilare: in hoc enim nodus ille latet, quem nullus adhuc medicorum à primo vſque ad me aggreſſus eſt. Hoc igitur modo intelligendum eſt id, quod dictum eſt, debere medicinam præparari iuxta aſtra, & vt fiat aſtrum: ſuperiora enim mortificant & ægrotos faciunt, eadem etiam recreant & ſanant. Quodcunque igitur fit ſine aſtris non fit: quòd ſi cum aſtris, oportet per præparationem effici, vt poſtea medicina à cœlo dirigatur, ſicut prophetæ, & alię actiones à cœlo pendent, nempe vt videtis aſtra indicare prophetias, tempeſtatē aſperam, homicidia, morbos ſan-

Medicamenta ab aſtris reguntur & ducũtur ad loca ſua.

guinolentos, nec non prælia, morbos, peſtes, famem. Atque hæc omnia cœlum ſignificat, ipſum enim ea efficit: quæ autem efficit, ea ſanè ſignificare poteſt, hæc per ipſum fiunt, ab ipſo etiam pendent artes illæ, quibus hæc ſciuntur: & quandoquidem ex cœlo ſunt, etiam à cœlo reguntur, vt iuxta ipſius voluntatẽ faciant, vt fiat id, quod prædictum fuerat: ſupradicta enim à cœlo iuxta ſuam voluntatem præparata ſunt, ideoq; cœlum ea gerit & dirigit. Similiter etiam de medicina ſcitote, ſi medicina ex cœlo eſt, abſq; vlla recuſatione eam cœlo parere oportet, eiusque voluntati obtemperare & obſequi: quòd ſi verum eſt, oportet medicum ſuam doctrinam de gradibus, complexionibus, humoribus & qualitatibus relinquere, & ſimpliciter medicinam cognoſcere ex aſtris: hoc eſt, oportet eum medicinæ vim & naturam iuxta aſtra deſcribere, ita vt ſint aſtra ſuperiora & inferiora. Quoniam autem medicina abſque cœlo nihil valet, oportet eam à cœlo duci: duci autem poterit, ſi ab ipſa auferat terram,
à qua

à qua niſi ſeparata ſit, à cœlo regi non poteſt. quando autem à terra ſeparata eſt, tunc medium in voluntate aſtrorum eſt, & ab illis dirigitur, ita vt quod ad cor pertinet à ſole, quod ad cerebrũ à Luna, quod ad ſplen à Saturno, quod ad renes à Venere, quod ad fel à Marte, quod ad epar à *Ioue, ad ſuum membrum perducitur: non ſolùm autem de iſtis ſe res ita habet, ſed etiam cum aliȷs infinitis. Quid enim eſt medicina, quam matrici fœminarum adhibes? niſi Venus eam dirigeret, quid cerebro prodeſſet? niſi Luna illud eò perduceret, & ſic de aliȷs, ſolummodo in ſtomacho permanerent, & per inteſtina rurſus imperfecta ſecederent. Magnus enim error hic eſt, quòd ſæpè cœlum tibi non fauet, medicinamque ferre nequit, quam ſanè ab ipſo dirigi oportet: non enim dicendum tibi eſt, meliſſa eſt herba matricis, maiorana prodeſt capiti, ita loquuntur homines rudes: in Venere enim & Luna res poſita eſt: ſi enim dictas herbas tales vis experiri, oportet te propitium cœlum nanciſci, aliàs nullus effectus ſequetur.

Medicamẽta à terra ſeparanda ſunt, ſi ab aſtris regi debeãt

In hoc error ille latet, qui adeò in medicina inualuit, vbi dicunt, da medicamentum, ſi prodeſt prodeſt: iſti gradus & medicæ artes cuilibet ſeruo ruſtico notæ ſunt, non opus eſt Auicenna, vel Galeno: ſed vos medici de iſtis fidibus garritis, oportet adhiberi ductoria ad caput, ad cerebrum, ad ſplen, &c. quomodo audetis de iſtis ductorijs dicere, cùm non intelligatis? quod quidem dirigit. Quin & hoc obliti eſtis, quòd vos omnes deſipere facit. ſcitis quid dirigat ad cor, ad caput, ad matricem, ad vrinam, ad aluum: neſcitis autem quid dirigat ad morbũ: quoniam autem hoc neſcitis, etiam vbinam poſitus ſit morbus ignorabitis, aciditque vobis ſicut arthriticis, quos continuè ægrotantes appellatis, & ſicut ſacerdotibus cum ſanctis, qui omnes in cœlo ſunt, etiamſi in inferno ſepulti ſint: ita omnis morbus in hepate eſt, etiamſi in podice ſit.

Cùm igitur cœlum per axem ſuum dirigat & non medicus, oportet medicinam ita in ſubſtantiam aeream redigi, vt à Marte, &c. regi poſſit. Quis enim

lapis

lapis ab aſtris tollitur in altum? nullus, imò ſolùm VOLATILE. Hæc eſt cauſa cur multi in Alchymia QVINTVM ESSE quęſiuerunt, quod certè nihil aliud eſt, quàm ſi quatuor corpora illa ab arcanis ſeparentur: ita relinquetur arcanum, quod quidem CHAOS eſt & ab aſtris regitur, vt pluma portatur à vento. Præparationem itaque medicinalem eiuſmodi eſſe oportet, vt quatuor illa corpora ab arcanis auferantur: deinde vt ſciatur quale aſtrum inſit huic arcano: item quale aſtrum inſit morbo, & quale aſtrum medicinæ inſit contra morbum. Hinc eſt directio illa, quando medicinam propinas, oportet eam ventriculo, qui Alchymiſta eſt præparari: quòd ſi igitur ventriculo tuo poſſibile eſt eam eò deducere, vt aſtra eam accipiant, tunc digeritur, ſin, in ventriculo remanet, & per aluum egeritur. Quid in medico ſublimius eſt, quàm vt vtranq; aſtronomiam concordet, in quo quidem omnium morborum fundamentum ſitum eſt: alchymia itaque prior ventriculus eſt, qui aſtris præparat medici-

Arcanum rerum eſt volatile, & illud ſolũ per Alchymiam ſeparatur, vt ab aſtris regi poßit, & à ventriculo digeri.

nam,non vt vulgò dicunt,alchymia facit aurum & argentum, hoc loco eius propoſitum eſt, facere arcana, eaque contra morbos dirigere. hàc eundum eſt. hoc modo ſe fundamentum habet:hæc enim ex naturæ ductu & experientia oriuntur, ita homo & natura in ſanitate vel morbo concordari volunt. hæc eſt via ſalutis & curatiouis, quæ omnia perficit Alchymia, ſine qua hæc fieri nequeunt. Conſiderate igitur, cùm arcana ſola ſint medicina, & medicinæ ſint arcana: arcana verò volatilia ſint, quomodo iuſculorum coaceruator ille & imperitus coquus, apothecarius, diſpenſatorem in his ſe, appellare poſſit, filiumque falſi ſui diſpenſatorij, & gloriari de arte aliqua ex Lumine ſuo? Quanta eſt ſtultitia iſtorum doctorum, qui hoc modo in iſto cæno iuſculorum ruſticos circumducunt & decipiunt, dantes illis electuaria, ſirupos, pilulas, vnguenta, quæ omnia contra medicinæ fundamenta ſunt, nihilque veri continent, nulluſque veſtrûm iurare audebit ſe rectè agere. Similiter etiam facilis cum in-

inſpectione vrinæ, vbi cœruleum cœlum aſpicitis, mentimini & tergiuerſamini, vt voſmet ipſos fateri oporteat, maxima ex parte vos hariolari & opinari, nullaque arte agere, niſi fortè fortuna aliquid eueniat. Ita etiam in apothecis, vbi colluitis & fermentatis artificioſiſſimi, ita vt quilibet exiſtimet regnum cœlorum eſſe apud vos, cùm tamen nil niſi abyſſus inferni ſit. Quòd ſi verò iſta manca opera relinqueretis & arcana inquireretis, quidnam eſſent, & quæ eorum directoria, quæ eorum aſtra, qui morbi & ſanitates? tunc vſu & experientia diſceretis, fundamentum veſtrum nihil aliud eſſe, quàm phantaſiam. Totum propoſitum hoc in loco eſt, quòd fundamentum vltimum medicinæ in arcanis conſiſtat, & quòd arcana fundamentum concludant: quòd ſi verò in arcanis medicinæ ſumma poſita eſt, oportet fundamentum eius eſſe Alchymiam, per quam ſcilicet arcana præparantur & fiunt. Scitote igitur ſola arcana eſſe virtutes & potentias, ideoque volatilia ſunt, nul-

laq́ue corpora habent, chaos ſunt & clarum aliquid, diaphana, & potentia quędam aſtralis. quando igitur aſtrum noſti & morbum eius, tunc intelligis quid ſit tuus ductor, & quid potentia, id, quod arcana probant. In humoribus igitur, qualitatibus, complexionibus nihil eſt, nec dicendum eſt, hoc eſt melancholia, hoc phlegma, &c. quin potius hoc eſt Mars, hoc eſt Saturnus, item hoc eſt arcanum Martis, hoc eſt arcanum Saturni, iſta eſt vera phyſica. Quis ex vobis chirurgis hoc fundamentum odiſſe poſſet? niſi Euanpreganus: perinde ſe habent atque fructus ſeneſcentium arborum.

Quandoquidem igitur hæc ſcienda ſunt medico, oportebit eum etiam ſcire, quid ſit calcinare, quid ſublimare, non ſolùm manu, ſed etiam tranſmutando, in quo plus ſitum eſt quàm in altero. Præparatio enim rebus dat ea, quæ natura dare non potuit, nempe maturationem, ars autem medici eſt maturare: ipſe enim eſt autumnus, æſtas & aſtrum in eo quod res perficit: ignis eſt loco terræ, homo eſt diſpoſitio,

tio,res quæ elaborantur ſunt ſemen. & ſicut in mundo res vno quaſi intellectu comprehenduntur, & tamen multiplices ſunt in fine ſuo:ita hîc quoque fine variant, etiamſi vnico proceſſu omnia arcana naſcantur in igne, ignisq; ſit ipſorum terra & ſol, ita vt terra & firmamentum in hac regeneratione ſint vnum & idem. In igne enim coquuntur & fermentatur arcana: & ſicut granũ putreſcit in terra antequam creſcat, & deinde primum fructum affert:ita etiam in igne deſtructio fit, ibíque fermentantur arcana, & à ſe corpora reijciunt, & in gradatione exaltãtur: tempus autem eorum eſt calcinatio, ſublimatio, reuerberatio, ſolutio & reiteratio, hoc eſt, tranſplantatio: hæc autem operatio tota fit per curſum temporis: vnum enim tempus eſt mundi primi, alterum hominis. Operatio autem curſus cœleſtis mirabilis eſt:quanquã enim artificis labor ab ſeipſo mirabilis eſſe exiſtimetur, ſummum tamen hoc eſt, quod cœlũ coquit, digerit, imbibit, ſoluit & reuerberat quàm Alchymiſta, ita vt curſus cœli curſum

Regimen ignis à natura diſcendum.

& regimen ignis in arcano edoceat. Virtutes enim quæ in ſaphiro ſunt cœlum generat, per ſolutionem coagulationem & fixationem: cùm autem cœlum hoc modo laboret, donec rem eò perducat, oportet etiam deſtructionem ſaphiri ſimili modo fieri: quę quidem deſtructio ita fit, ſi corpora ſegregentur & remaneat ſolum arcanum: cùm enim nondum exiſteret ſaphirus, arcanum quoq; non erat, quod poſtea ſicut vita hominis in materia illa à cœlo generatum eſt: oportet autem corpus remoneri (impedit enim arcanum) ſicut ex ſemine nihil fit, niſi corrumpatur, quæ corruptio ſolummodò eſt putrefactio corporis eius non arcani: ita etiam hîc, cum ſaphiro fit, in quo etiã corpus corrumpitur, niſi quòd iam arcanum accepit: deſtructio autem eius fit per illos gradus, per quos compoſitum eſt. Granum in agro iacens non parua arte naturæ fit ſpica: fit enim ibi elixir & ſumma fermentatio, quæ in omnibus rebus naturalibus requiritur, deinde digeſtio, & poſt eam vegetatio. qui igitur naturam præparare cupit,

cum

eum hac via incedere oportet, aliàs tantùm eſt coquus ineptus, colluuies iuſculorum & lixa: NATVRA ENIM VVLT VT IN OMNIBVS PRAEPARATIO HOMINIS SIT SIMILIS SVAE, hoc eſt, vt ipſam imitemur non noſtrum veſanũ caput. Quid autem fermentant, putrefaciunt, digerunt & exaltant apothecarij & doctores ipſorum? nihil, niſi quòd colluuiem iuſculorum efficiunt, & alijs propinant, hominesq; egregiè fallãt. Quomodo poteſt medicus viuere, qui neſcit naturæ modulũ & vim? aut quis tali fidere poteſt? medicus enim nihil aliud eſſe debet, quã peritus naturæ, qui naturæ proprietates, eſſentias & vires bene norit: quòd ſi naturæ cõpoſitionẽ ignorat, quid in reſolutione eius ſciet? Notate igitur quòd oporteat vos reſoluere & retrocedere omnia enim opera, quæ natura fecit: progrediẽdo ea vos reſoluere, & retrocedendo de gradu in gradũ repetere oportet, & ſi vos vel ego hanc reſolutionem ignoremus, non meliores aut digniores ſumus, quàm cornuti beani.

Quid boni ex ALVMINE iuxta veſtros proceſſus elicietis, in quo ſanè inſignes & præſtantes virtutes latent, tam in chirurgicis quàm interioribus morbis. Quis autem eſt, qui eo ad illos vſus, ad quos valet, vti poſſit, per apothecarij præparationem? Similiter intelligēdum etiam eſt de MVMIA: vbi autem eam quæritis? vltra mare apud barbaros? ô vos ſimplices, cùm ante domos veſtras & intra mœnia ea ſit. Quoniam autem Alchymiam ignoratis naturæ quoque myſteria neſcitis. ánne putatis quia Auicennam, Sauonarolam & Vgonem habetis, quód ideò liberi ſitis. Omnia ſunt puerilia: extra hæc enim arcana nemo ſcire poteſt, quid in natura contineatur. Omnes veſtros ſcriptores & doctores conſulite, & mihi dicite, quid valeant CORALLI: ſed etſi id ſciatis & multa de ipſorum viribus loquamini, cùm tamen probanda ea ſunt, ne mininam quidem eorum virtutem probare poteſtis: proceſſus enim arcani non adſcriptus eſt, quo habito, tum demum virtutes illæ veræ ſunt: vos verò tam ſim-

Virtutes, quas autores veteres rebus naturalib. attribuerunt per Alchymiam præparatis rebus illis veræ demum eſſe probantur.

ſimplices eſtis,vt credatis ſolummodò pulueriſatione opus eſſe & cribratione, & miſceantur,fiat puluis tragematicus ſaccaro. Quæ Plinius,Dioſcorides,&c. ſcripſerunt de corallis, ea non experti ſunt,ſed à nobilibus didicerũt, qui multas eiuſmodi vires nouerunt, atq; ita libellos cõfecerunt plenos dulcibus ſermonibus: vos autem ea, quæ ſcripſerunt vera eſſe oſtẽdite:vera quidem ſunt, ſed vos neſcitis quomodo, nec poteſtis ſcriptorũ veſtrorum,quorum diſcipuli & doctores eſſe gloriamini,ſcripta probare neſcitis. Multas magnas virtutes annotarunt Hermes & Archelaus, & eæ ſunt veræ, ſed vos neſcitis quomodo eis inſint, cæruleæ an virides, & tamen eſtis rerum naturalium magiſtri,& hæc ignoratis, imò maiora legiſtis, ſed heu nihil efficitis. Quid alij Alchymiſtæ & philoſophi de virtutibus MERCVRII dicunt? Multi certè & quidem vera etiam:vos autem neſcitis quomodo ea ſint facienda vera. Cur igitur non ceſſatis balare? vos enim & academiæ veſtræ nil niſi ſcolaſtici eſtis: nihil enim facitis

explico? non enim præſtas eas virtutes & artes, de quibus loqueris & gloriaris. Dic mihi quando magnes non amplius attrahit ferrum, quid in cauſa ſit? & quando helleborus non parit vomitum, quid cauſæ eſt? hîc quid vomere & cacare ſit, noſti: quando autem ad arcana venitur, de quibus ab omnibus dictum eſt, ſimplicior es cochleatore. Dic mihi quibus potius credendum ſit in ſecretis & viribus rerum naturalium, ijs, qui eas annotarunt, & non potuerunt probare, an verò ijs, qui eas probare ſciuerunt, non tamen conſignarunt? án non verum eſt, quòd Plinius nihil vnquam probauit? Quid igitur ſcripſit? ea, quæ ex Alchymiſtis audiuit, quos ſi non noris, medicus ineptus manes.

Multum igitur in medicina refert, Alchymiæ bene peritum eſſe, propter multitudinem & magnitudinem arcanarum virtutum, quæ in rebus deliteſcunt, quæ nemini notæ ſunt, niſi eas Alchymia patefaciat, & eliciat, aliàs perinde ſe res habet,

Vna res plures habet virtutes pro ratione temporis in generatione.

ac ſi quis hyeme arborem videret, neſciens quænám eſſet, aut quid in ipſa eſſet, donec veniente æſtate patefiat vnum poſt alterum: primùm oculi, pòſt ſurculi furcati, dein fructus, & ſi quid aliud ineſt arbori. Simili modo etiam virtus rebus indita abſcondita eſt homini, nec ab homine vllo alio modo addiſci poteſt, quàm per Alchymiam. Cùm igitur Alchymiſta ita in lucem proferat ea, quæ in natura latent, ſcitote, alias vires ineſſe locuſtis, alias folijs, alias floribus, alias fructibus non maturis, alias fructibus maturis, adeoq; mirabiles, vt fructus poſtremus arboris prorſus ſit diſſimilis primo, nón in forma ſolùm, ſed & in virtutibus, ideoque diſcernenda ſunt prima ab vltimis. Cùm igitur natura talis ſit in ſua patefactione, ſciendum aliter quoq; agere Alchymiſtam in his rebus, poſtquam natura deſijt, ita vt geniſta proceſſum naturæ ſuæ etiam in manu Alchymiſtæ ſeruet, nec non thymus & epithymus, & omnia alia ſimplicia. Videtis igitur rem quamlibet nō vnam ſolùm virtutem habere, ſed plures, vt de floribus,

Alchymiſta vt ipſa natura diuerſa gradatim ex rebus elicit

ribus, qui non vnum colorem habent, ſed plures, qui tamen omnes vni rei inſunt: & vnuſquiſque per ſe eſt in ſummo gradu: ita etiam de varijs virtutibus, quæ rebus inſunt, intelligendum eſt. Alchymia igitur varios colores, ex rebus ſeparat: neque hos ſolùm, ſed ſimiliter etiam virtutes, ita vt quoties color mutatur, toties mutetur etiam rei virtus. In SVLPHVRE enim ineſt color albus, flauus & ruber, nec non purpureus & niger: ſingulis verò coloribus peculiaris ineſt vis & virtus: aliæ autem res, quæ eoſdem colores habent, non habent has virtutes, ſed in ijſdem coloribus alias res: cognoſcendi igitur ſunt colores vt decet, & ſimiliter virtutes, vt decet virtutes. Manifeſtatio autem virium in ſola forma & colore ſita eſt, ita primùm naſcuntur locuſtæ, poſtea medullæ, dein frondes, poſtea flores, folia, deinde principia fructuum, medium & finis. Hoc ordine virtus rerum quoque maturari debet, & denuò in regenerationem perduci: ita de gradu in gradũ, & de die in diem, de minuto in minutum, virtutes rebus

innatæ augebuntur. Sicut enim tempus ſambuci extremitatibus laxationem impertitur, & non materia: ita tempus quoq; virtutibus alias atq; alias vires conciliat: & ſicut tempus acacijs ſuam ſtipticitatem infundit, & non ſol, nec non alijs quoq; argeſtis: ita hîc quoque tempus dat intermedias virtutes ante poſtremum tempus. Iſta enim ſigna in Alchymia ſummopere conſideranda ſunt, vt ſciatur operatio veri finis & autumni, vt maturior & immaturior virtus rectè in medicina vſurpetur. Ita igitur iſtæ maturationes fiunt ordine, vt vna ſit ſimilis locuſtis, altera frondibus, tertia floribus, quarta medullis, tertia liquoribus, quarta folijs, quinta fructibus: & in his omnibus eſt principium, medium & finis, hoc eſt laxatiuum, ſtipticum & arcanum: quæ enim laxant & quæ conſtringunt, non ſunt arcana: non enim finaliter perfecta ſunt, ſed vel medias vel primas vires habent. Solum exemplum VITRIOLI quanti faciendum eſt? quod quidem nunc maximè cognoſcitur & in viribus ſuis patefit, quod

Laxatiuũ ſtipticũ & arcanũ inſunt rebus omnibus.

quod etiam hîc propono, non ad impediendas, ſed promouendas illius vires. Vitriolum igitur primo laxatiuum ſuiipſius eſt, ſuperans omnia laxatiua, ſummaque deoppilatio, ita vt nullum membrum in homine foris & intus relinquat, quod non perquirat: hoc eſt primũ eius tempus. Secundũ tempus præbet conſtructionẽ, ita vt quantũ in principio & primo ſuo tempore laxauerit, tantũ econtrà conſtringat: nondum tamen arcanũ ipſius adeſt. Quando igitur frondeſcit, quid ſublimius eſt in caduco? Quando in flore eſt, quid penetrãtius? Quantus odor ei ineſt quando fructus fert? adeò vt cælari nequeat, quò nihil magis recreat calorem: alia multò plura inſunt ei, quæ ſuis in locis recenſentur: hæc autem ideo tantũ attuli, vt videatis quomodo in vna eademq; re arcana diuidãtur multipliciter, & quælibet pars in ſuũ tempus. finis autẽ arcanum eſt. Similiter de TARTARO intelligite in quo principio latet arcanũ in ſcabie, pruritu, & alijs ſordibus ſimilibus: deinde omnis cõſtipationis apertio (non laxans) tertiò cura vulnerũ apertorum.

Hæc omnia patefacit Alchymia: cur igitur non meritò medicinæ fundamentum ei inſiſteret potius, quàm illis coctionibus & colluuiei apothecariorum, qui veros proceſſus prorſus non intelligunt, & vnà cum ſuis doctoribus tam viles aſini ſunt, adeoque imperiti, vt hæc fieri poſſe negent: adeò indocti enim & frigidi ſunt, vt nondū ſciant principia coquendi, & tamen omnium morborum curatio apud talem colluuiem quæri debet: nihil autem aliud apud eos inuenitur, quàm quòd pecuniæ & bonis inſidiantur, ſiue proſint alijs ſiue non: ſiue meliores ſiue deteriores reddat homines: ánnon igitur æquum eſſet talem inſcitiam detegere? Non quòd mihi obtemperaturi ſint (non enim ſibi ipſis tantam turpitudinem imponere volent) imò odio & pertinacia adeò corripientur, vt in his perſtituri ſint: nihilominus, qui veritatem ſequi vult, in meam monarchiam & nullam aliam concedat neceſſe eſt. Conſiderate vos omnes auditores & lectores, quàm miſeros & vanos proceſſus omnes ſcriptores, imò

iſti

iſti omnes medici, qui meo tempore viuunt, habeant in caduco, vt ne vnum quidem ſanare poſſint. Quomodo igitur iniquū eſſet, me tales ſcriprores & pręceptores contēnere, qui nolunt ſua medicina vti, quæ tamē nihil valet? aliū verò, qui alia via ægroto ſuccurrere conatur, extra ipſorum fallacias, ſtultum & erronem vagabundum appellant. Hoc veriſſimum eſt, quòd omnes ipſorum compoſitiones in caduco & alijs omnibus morbis (in cauſis & rebus) ementitę ſint, id quod opera ipſorum teſtantur, & ipſorum ægroti, nec non ipſa rerum natura, & omnis medicinæ fundamentum. Non ſolùm autem de iſtis hoc verum eſt, imò ne vnicum quidem morbum certò curare ſciunt, antequā ſuam ſeſſilem medicinam conſuluerint, cū tamen Deus non dubium medicum inſtituerit, imò certum, ſicut certi ſunt agricolę, lapicidæ, &c. multò magis igitur medicus certus eſſe debet, cùm in eo plus, quàm in illis omnibus ſitum ſit: iſti autem fundamentum dubium ex medicina faciunt, dicuntque, in Dei manu poſi-

tum eſſe, atq; hoc modo Dei manum ipſorum ignorantiam & fraudes tueri oportet, ipſi rectè egerũt, Deus autem iniuſtè, ipſorum ars proba & certa eſſet, ſed Deus eam fregit: ſi iſti non ſunt deceptores, nullus profectò erit.

Alchymia ſaltē propter morbos pertinaces, qui exquiſitis remedijs indigēt, neceßaria eſt

Porrò propterea etiam Alchymiam omnino pro fundamento medicinæ pono, quòd maximi illi morbi capitis, apoplexia, paralyſis, lethargus, caducus, mania, phreneſis, melancholia, triſtitia, & alij ſimiles, per decoctiones apothecariorũ minimè curari nequeãt. Sicut enim iuxta niuem caro coqui nõ poteſt, ita etiam per eiuſmodi artem apothecariam horum morborum medicina in effectum non deducetur. ſicut enim quælibet res artificium habet, à quo præparatur in id ad quod pertinet: ita etiam hîc in his morbis intelligendum eſt, quòd ſcilicet ſua arcana habeant, ideoq; etiam ſuas peculiares præparationes: de his præparationibus hîc loquor, nempe ita, quod quælibet arcana ſuas adminiſtrationes habeant: adminiſtrationes verò ſuas præparationes. In apothecis verò nulla eſt præparatio,

paratio, ſed ſolummodo mixta coctio & colluuies iuſculorũ, in qua coctione arcana ſuffocantur & in nullum effectum deueniunt: naturam enim in ſuo modulo & ſtatu cõſeruare oportet, ſicut videtis quòd ſuo modo vinum colatur, ſuo modo quoq; panis, ſal, &c. naſcantur, ita de herbis, & alijs. Sicut igitur natura non confundit cibum & potum, carnem & panem in vnam formam (id quod non ſine magnis de cauſis fit, quas hîc enumerare non opus eſt) nobiſque exemplo eſt, vt ordinem certum ſeruemus in omnibus rebus: ita nos quoque cogimur aliter atque aliter medicinas præparare iuxta ſuos morbos. Epar ſitit, ideóque coquit vinum vel aquã: vide igitur quomodo oriatur vinum, & quomodo pręparetur, priuſquam ſitim epatis ſedat. ita etiam ventriculus eſurit: vide autẽ quàm multipliciter ei præparetur panis & cibus. Similia in ægrotis quoq; expecta, ſi ad perfectam curam tendis: oportet enim te ſimiliter diſcrimina certa ſeruare, vt in apoplexia, quæ ſit tibi ſitis, ad quam peculiaris medicina

Diuerſæ præparationes rerũ ſunt pro diuerſo vſu

requiritur; caducum compara ventriculo, quem etiam ſuam præperationẽ habere oportet: mania ſit ſimilis vaſis ſpermaticis,quæ & ipſa ſuum debitum alio modo requirunt, ſimiliter etiam in mania medicinam quoq;, & eius præparationem aliam intelligite. Meritò igitur hæc vobis expono, cùm bonas medicinas & arcana in manu veſtra habeatis:ea autem per illam colluuiem iuſculorum corrumpatis & ſubmergatis. an non hæc referenda & patefacienda ſunt? vt his erroribus anteuertatur, & ægroti arcanis fruantur, quæ ipſis Deus creauit ad neceſſitates ſuas. Scitote igitur ita rem eſſe oportere,vt ego diſpono,& non vt vobis placet, oportet vos me ſequi,& non me vos, etiamſi plures adhuc clamores contra me excitaretis, attamen permanebit mea monarchia & veſtra minimè.Licet igitur mihi iure tot verba hîc facere de Alchymia, vt eam bene cognoſcatis, & diſcatis quid in ipſa ſit,& quomodo intelligenda ſit.Nolite offendi, quod neq; aurũ argentũq; vobis procreat, imò hoc perpẽdite, quod ſaltem

ſaltem arcana patefacit, & ſeductiones apothecarum oſtendit, quomodo ſcilicet ab ipſis vulgus deludatur, ita vt pro floreno vendãt aliquid, quòd nummo non redimerent, tam bona ſunt.

Quis hoc negabit, omnibus rebus ſimul ineſſe aliquid veneni? nullus ſanè diffitebitur. quòd ſi hoc verum eſt, quæro ánnon ſeparandũ ſit illud VENENVM A BONO? bonumque accipiendum, venenũ relinquendum? maximè. Quòd ſi igitur hoc faciendum eſt, dicite mihi, cur in apothecis veſtris vtrunq; ſimul relinquitis? oportet quidem vos fateri, quòd venenum adſit, ſed ſtoliditatem veſtram excuſatis per correctiones veſtras, quibus venenum tolli exiſtimatis: exempli gratia cotonea ſcamoneæ adiungitis, quam tunc diagridium appellatis: qualis autem eſt hæc correctio? an non adeſt venenum ſicut anteà? & tamen dicis te correxiſſe, ita vt venenum ei non amplius obſit. quonám autem deuenit? ſanè in diagridio remanet. experire, accipe maiorem iuſta doſim, & videbis vbi ſit venenum, profectò ſenties. Ita

Alchymia neceſſaria, vt arcanũ à veneno ſeparetur, quæ vera eſt correctio rerum

corrigis turbith, & vocas illud diaturbith. Egregiæ ſanè ſunt hæ correctiones, quæ ruſticis & equis propinandæ ſunt: fac periculum, excede doſim, & vide án non inuenturus ſis venenum. Corrigere eſt remouere, ſi quis malus ſit & peccauerit, & puniatur, illud non diutius prodeſt, quàm is vult, qui verberatus fuit, tales etiam ſunt hæ veſtræ correctiones: in ipſarum enim poteſtate, & non tua res poſita eſt. Medicus igitur verus videt omnino auferendum eſſe venenum, id quod ſeparando fieri oportet, ſicut in ſerpente vides, qui venenatus eſt, ſimulque tamen bonus cibus, cui ſi venenum abſtuleris, abſque damno eum comedes. Similiter etiam de aliis intelligendum eſt, oportere fieri ſeparationem, quæ ſi deſit, operationem tuam certò ſperare non potes, niſi natura ipſa tuum officium impleat, ex fauore cœli, quantum ad te, tuamque artem res non ſuccederet. Oportet autem iuſta ratione venenum tolli, nempe per Alchymiam: neceſſe enim eſt, vt vbi Mars in Sole eſt, Mars tollatur, ſimiliter

militer ſi Saturnus inſit Veneri, vt Saturnus à Venere ſeparetur: QVOT ENIM ASCENDENTES ET IMPRESSIONES INSVNT REBVS NATVRALIBVS, TOT ETIAM EIS INSVNT CORPORA: quæ autē corpora contraria ſunt, ea auferri oportet, vt omnis cōtrarietas recedat, & malum à bono remoueatur, id quod quæris. Sicut enim aurū nihil prodeſt niſi in igne fluxerit, ita nō prodeſt medicina, quę non ignem ſenſerit. Omnia in igne regenerari oportet, vt homini proſint. An non igitur hoc fundamentum & ars erit cuiuſlibet medici? verus enim medicus non venenis, ſed arcanis vti debet: apothecæ autem & omnes earum præparationes, quotquot ſunt, ne literam quidem huius doctrinæ tractant: correctiones verò ipſarum non aliæ ſunt, quàm ſi canis in hypocauſtum cacaſſet, & fœtor ille trochiſcis & thymiamate, vel ligno iuniperino corrigeretur. An non autem fœtor æquè ac prius adeſt? etiamſi non olfiat: nullus propterea

Diuerſæ partes ex rebus ſunt ſeparandæ

nititur omnis medicus:qui autem non ædificat in his tribus fundamẽtis, eius medicina à quolibet aquarum incurſu euertitur,laboremque eius ventus abripit,ædificiumque eius proximum nouilunium corrumpit, proxima pluuia illud emollit. Iudicate igitur ex hac medicinæ fundatione, an contra verũ ordinem medicinæ doctor ſim, an ſim hæreticus medicinæ,deſtructor veritatis,inſanum caput bubulum,& an iuſtè vel iniuſtè cum meis aduerſarijs agam, & quo iure ipſi mihi reſiſtant,& contra me conſurgant. Fateor quidem nullum libẽter clauam ſuam relinquere: quilibet cui claua in manu incaluit, libenter eam retinet,ſed id ſoli ſtulti faciunt,ſapiens minimè:ſapientem enim decet clauam remittere, & meliora ſequi. Quid ego ipſos curo, ſiue me ſequantur ſiue non: ego non potero eos cogere. ideo eos detego, vt patefiat,quòd ſe ex deceptionibus alant,& quòd fundamenta librorum eorum ſint mera phantaſia.Qui ægrotis fidelis & probus eſt, & qui naturam in ſua arte imitari cupit, is me non fugiet.

Nec Chriſtum ipsũ omnes ſecuti ſunt, qui ipſius tempore viuebant, imò multi eum ſpernebant: vnde mihi igitur hoc priuilegium, vt non contemnar? Ego tam vehementer & acriter lineæ ipſorum incubui atq; ipſi: cùm autem viderem nihil aliud ea via effici, quàm occidere, interficere, debilitare, perdere, &c. nullam certitudinẽ adeſſe, coactus ſum alia ratione veritatem inquirere: tunc mihi obijciebant, me non intelligere Auicennã & Galenũ, & neſcire quid ſcriberẽt, ſe autẽ intelligere ipſos, & nihilominus occidebãt, interficiebãt, perdebant & debilitabant plures quàm ego: dicebam igitur ego contrã, & qui intelligit dictos autores, & qui eos non intelligit, idem ſunt, neuter aliquid valet. Quo autem melius ipſorũ & meam perditionem inſpiciebam, eò magis cogebar etiam ſpem concipere, donec eò progreſſus ſum, vt tandem re ipſa compererim: nihil aliud eorũ medicinam eſſe, quàm exquiſitam & veram fallaciam & illuſionem.

Sed non ita rem relinquam imperfectam, imò porrò in meis ſcriptis in-

indicabo, quomodo omnia ſint plena erroribus & falſa: magis enim magisque video, non ſolùm medicinam, ſed & philoſophiam & aſtronomiam eorum nihil valere, nec ex vero fundamento deſumptas eſſe, ſicut & ſuperius dixi.

Magnum autem tumultum inter vos excitabit, quod ego damnabo eos, qui tandiu in gloria & magnificentia habiti ſunt. Scio futurum aliquando, vt illæ magnificentiæ humilientur: nihil enim in ipſis eſt, quàm phantaſia, vt non hîc ſolùm ſcripſi, ſed & porrò magis magisque vobis declarabo. Etiamſi academiæ ſeu ſcholæ ſublimes mihi non aſſentiantur, nec id cupio: ſatis enim humiles fient: ita vobis rem proponam & explicabo, vt VSQVE AD VLTIMVM MVNDI DIEM SCRIPTA MEA DVRATVRA SINT VT VERA: veſtra autẽ plena felle, veneno & colubris eſſe iudicabũtur, & hominibus exoſa erũt vt bufones. Non volo, vt in anno vno euertamini, & cadatis, imò poſt longũ tempus vos ipſi veſtrã

turpitudinem denudare cogemini, & bene cribro purgabimini: PLVS CONTRA VOS POST MORTEM MEAM EFFICIAM, QVAM VIVVS, etiamſi corpus meum deuoretis, nihil niſi cadauer deuorabitis: ſpiritus autem abſq; corpore vobiſcum pugnabit.

Hoc tamen monitos velim eos, qui medici fieri volunt, vt modeſtius cõtra me agant, quàm ipſorum pręceptores, remque diligenter & cum iudicio perpendant ex vtraque parte, neutrique parti prępropere ſuffragentur, reliquã damnando, quin potius diligentiſſimè cogitate, ad quem finem tendatis, nempe AEGROTORVM SALVTEM: quòd ſi hoc erit propoſitum veſtrum & argumentum, me quoque in numero eorum habete, qui vos doceãt: nihil enim aliud quæro, quàm curam ęgrotorũ, eamq; verę & fortiter deſcribo, & cum virtute aperio. Ideo autem quòd nouus ſum, quòd ſolus ſum, quòd GERMANVS ſum, mea ſcripta non ſpernatis aut retrocedatis: hac enim ratione artes medicinales doce-

rio.

ri oportet & nulla alia via. Quin & hoc ſingulariter vobis præcipio, vt opera mea, quæ (auxiliante Deo) conficiam, nempe vnum volumen de PHILOSOPHIA MEDICINALI, in quo omnium morborum origo declarabitur: & alterum volumen de ASTRONOMIA, vbi curam ſatis perſpicuè exponam: poſtremò vnum volumen de ALCHYMIA, hoc eſt de MODO PRAEPARANDI RES MEDICINALES. Hos libros ſi perlegeritis & intellexeritis, me ſequemini, etiam vos, qui iam deſciuiſtis: ſed nec hæc ſufficient, imò magis magisq;, quandiu Deus mihi gratiam dederit, implebo: præcipuè verò aliquot inſignes libellos cōſcribam, quin niſi tanta inuidia quorundam aduerſariorum meorum & aliorum collo meo incumberet, & me oneraret, maxima pars eorum iam perfecta eſſet.

Coniectura equidē aſſequi poſſum, quod & aſtronomi mihi reſiſtent, ſed illi me non intelligent, nimisque præproperè contra me clamabunt, & ſiniſtrè rem interpretabuntur. Vos autem

hæc ne auertant, ſed potius hæc mea interea perlegite: mox enim cõſequentur ea, in quibus inuenietis ea, quæ libenter habebitis: hîc enim ſolummodo mihi propoſitũ eſt ſcribere, in quo fundamento medicinam collocem, vt ſciatis quid ſentiendum de me ſit, & ı̃ meo fundamento conſiſtatis: ideo enim vobis hæc propono, ne me ex ignorantia abijciatis, imò pro patre, præceptore, & profeſſore veſtro habeatis, &c. Non vos ſeducant vulgarium medicorum clamores, veſtes & honores, &c. qui magni & ſublimes videri volunt, magniſque vtuntur ſermonibus & vociferationibus, nihil facientes niſi gloriari & luxuriare, ſed nihil ſubeſt huic pompæ. Similes ſunt monialibus pſalterium cantillantibus, quæ modulos pſalmorum & cantus imitantur, verbum tamen diu inum ignorant, & tamen canunt: ita etiam medici faciunt, qui furioſè & pertinaciter clamant, & ſicut monialis interdum vnam vocem intelligit, & deinde in decem folijs nullam præterea: ita etiam iſti medici interdum ſemel ſcopum

pum tangunt, deinde non amplius. Hæc omnia perpendite apud vos & ipſimet perquirite, tunc iudicabitis ex qua cauſa omnes me odio proſequantur & calumnientur, quãquam in medicina nihil rari hoc ſit, & criminatio neminem offendere debeat: peior enim eſt medicina in ſua conſcientia, quàm leno, ſibique inuicem conuitijs reſpondere poſſunt, vt pueri venum ferentes placentas, quæ omnia falſitatem artis indicant: odio enim & inuidia ſcatent, ſibiq́ue inuicem impedimenta inijciunt, &c. artis eſt apud illos, ſi alter alteri hoc modo nocere poſſit, ita reguntur à diabolo, à quo hanc conſtitutionem acceperunt, & cuius auxilio eam conſeruant. de hoc minimè dubitetis, id quod denotat multiplex illud homicidium & perditio, quę certè ex manu Dei non fiunt.

Medicorũ odia inter ſe.

DE VIRTVTE SEV Veritate quarto Theophraſtica medicina fundamento.

POſtquam concluſimus ſcientias & artes, quibus omnis medicus inniti, & ſuam profeſſionem fundare debeat: adhuc vnum fundamentum neceſſariūm eſt medico, quod ſpectet tria reliqua, hoc eſt, quòd tria illa in ſuis limitibus conſeruet, & regat iuxta voluntatem Dei, qui medicinam creauit & dedit. Medicus enim non eſt ſibi medicus, ſed tantùm alijs: ſicut ouis non ſibi lanam portat, ſed textori & pellioni, & laudatur quòd multum bonæ lanæ ferat: ita etiam medicus ſimilis ſit oui, & non ſibi ſed alijs fructum ferat, non abhorrendo expenſas: ipſe enim Chriſtus nobis à Iohanne Baptiſta ſub exemplo agni proponitur. Profectò ſummopere neceſſarium eſt, medicum quoque agnum eſſe: multa enim hîc comprehenduntur: nam in medico lupino inſunt homicidia, occiſiones, curuos & claudos facere, perdere, corrumpere, furari, prędari: verus autem medicus

Medicus ſit agnus non lupus, non quærens principaliter ſuum lucrū, ſed ægroti ſalutem.

cus, & qui ex Deo eſt, debet eſſe vt agnus & ouis: qui autem contra Deum medicinam ſuam exercet, eſt ſicut lupus. Ex eo quòd lupus animal eſt peſſimum & odioſiſſimum, & quòd homines ferociſſimi & abiectiſſimi lupo à Deo comparātur, colligite quales ſint illi rapaces medici. Si quæris quínam illi ſint, ſcito eſſe illos, qui medicinam exercent, & tamen ſibi conſcij ſunt, quòd nihil ſciant, & tamen pergunt mederi, tantùm cauſa lucri & PECVNIAE: illi agunt ſicut lupus, qui rapit oues, cùm bene norit eas non eſſe ſuas, ſed quia ipſi proſunt, rapit eas. Talis medicus eſt latro: purgat enim ægrotum ſiue conualeſcat ſiue moriatur, tantùm vt ſuum commodum inde ferat, & tales ęgroti ſunt in iſtius medici manu ſicut ouis in ore lupi. Præterea furantur ægrotorũ bona, auferunt ipſis domum & aream, deuorant quæ habent, ipſos & ſuos expoliant, id quod furari & prædari eſt: qui enim alitur ex incerta imò falſa arte, quicquid per eam lucratur, nihil niſi præda eſt. Excruciant & occidunt ægrotum, aut ſal-

tem debilitant: quia nullam ſcientiam rei habent, ideóq; res ſuccedit, prout ventus vela inflat & impellit: non talem decet eſſe medicū, non ſuum commodum reſpicere debet: & quamuis doctus & peritus ſit, ſcientia tamen ſua tantùm ideo vtitur, vt per eam ſuperbiat & luxuriet magna pompa, & vt vxor ſua ex tali ſuperbia, aureis monilibus ornata incedat, quæ olim erat coqua, ancilla, ruſtica aut pediſſequa, aut etiam meretrix fuerat, ea iam vt comitiſſa incedit in veſtibus holoſericis: tales ſunt lupi rapaces. Medicina autem debet habitare in agno & oue, ita vt tali animo, fidelitate & corde communicetur, & viciſſim ab ægrotis ſimilem fidelitatem expectet: fidelitas enim fidelitati reſpondere debet, veritas veritati, iuſtitia iuſtitiæ, non iniuſtitia iniuſtitiæ: ita medico lupino non debetur fidelitas ab ægroto, qui agnus ſit, vt paſcat rapacem lupum, imò hæc omnia à medico incipere debent: hoc initio facto, in fine etiam ab ægroto reſpondebitur: quando autem à medico ordo inuertitur, ita vt ipſe

fiat

fiat lupus, requirens ſibi ouem, ipſe iniuſtus, iuſtum ſibi expoſcat, qui ipſi det, cùm ipſemet ægroto nihil det, & vt ipſi ægrotus fidelis ſit, ipſe verò contrà ei infidelis, vbi hæc fiunt, ibi omnia miſcentur, & confunduntur vt in tempeſtate, in febre, in vento & vermium aceruo, ita vt nemo diſcernere poſſit quid rei ſit; fidelitáſne an infidelitas, fallacia vel fraus, bonum vel malum: peiora enim commiſcentur, quàm ſunt fel & ſaccarum.

An non meritò veracitatem quoque medici & candorem pro fundamento & columna medicinæ conſtituam? quid autem eſt veracitas illa? vt ita ſit ita, non ſit non, his inniti medicus debet. Quòd ſi ipſius ita debet eſſe verum, oportebit eum verum medicinæ fundamentum ſcire, vt ita ipſius ſit ita, & non ſit non: veracitas igitur ipſius medici poſita eſt in artis ſcientia, quæ quidem ex dicto fundamento proficiſcitur, extra quòd nullus medicus verax aut candidus dici poteſt. Porrò ſciendum eſt, quòd Deus medicum inter omnes artifices *Veracitas ſit in medico.*

& facultates hominum chariſſimum habeat, eumque inſtituat & ordinet: quòd ſi à Deo tali modo medicus conſtitutus eſt, ſanè non erit eneruis nutrix vel obſtetrix, neque vetula, neque carnifex, neque mendax, neque irriſor, ſed homo verax. Sicut enim Deus non patitur falſos prophetas & diſcipulos, ita neque iſtis medicis artem permittit: Videtis enim falſos prophetas, apoſtolos, martyres & confeſſores, non florere neque creſcere, imò quando ſe ſummo loco conſtitutos exiſtimant, cadunt, & à proprijs diſcipulis oppugnantur & vincuntur. Deus enim per nullum deceptorē verbum & myſteria ſua propagari ſinit: ſi enim tam per falſarios efficax eſſet, quàm per iuſtos & veraces doloque carentes, non elegiſſet apoſtolos ſuos, ſed potius Diabolo id demandaſſet officij: cùm autem contra Sathanam ea doctrina ſit, & falſi prophetæ ſint ex Sathana, electis id officij committitur, & excluduntur in his rebus omnes falſi prophetæ, apoſtoli, martyres, &c. vnà cum miraculis, ſignis, factis, concionibus, doctrinis, &

Verus medicus à Deo eſt, vt Apoſtolus verus.

& prophetijs ſuis, ita vt neque ipſorum aliquid à Deo approbetur, imò & bona & mala ipſorum in abyſſum inferni detrudentur. Ita etiam hîc de medicina intelligendũ eſt, Deum nolle leues homines ea donare, ſed potius eam à veracibus exerceri velle: Cùm enim Deus hanc artem ad vtilitatem hominis crearit, id quod à nullo negari poteſt, oportet eam in ſola veritate conſiſtere, & in certitudine, non in deſperabundis artibus, ſed in firmis notitijs. Deus enim cupit hominem eſſe veracem, & non dubium aut mendacem: veritatem creauit non mendacium, atque ita medicum veritati alligauit non mendacio. Veracitas igitur & candor medici eſt, vt tam apertus ſit & verax, ſicut electi apoſtoli Chriſti: non enim minor ijs eſt coram Deo. Si igitur Deus veritas eſt, & ipſe medicũ creauit, quomodo ex eo faciet vetulam aut burſam, imò veracem eum fecit. hæc igitur ſit quarta columna medicinæ, quæ ſi veritati non inſiſtat tam immotè vt Deus ipſe eſt, ſed in aere pendet, tunc ſuper Sathana ædificata

Quarta columna veracitas.

& facultates hominum chariſſimum habeat, eumque inſtituat & ordinet: quòd ſi à Deo tali modo medicus conſtitutus eſt, ſanè non erit eneruis nutrix vel obſtetrix, neque vetula, neque carnifex, neque mendax, neque irriſor, ſed homo verax. Sicut enim Deus non patitur falſos prophetas & diſcipulos, ita neque iſtis medicis artem permittit: Videtis enim falſos prophetas, apoſtolos, martyres & confeſſores, non florere neque creſcere, imò quando ſe ſummo loco conſtitutos exiſtimant, cadunt, & à proprijs diſcipulis oppugnantur & vincuntur. Deus enim per nullum deceptorē verbum & myſteria ſua propagari ſinit: ſi enim tam per falſarios efficax eſſet, quàm per iuſtos & veraces doloque carentes, non elegiſſet apoſtolos ſuos, ſed potius Diabolo id demandaſſet officij: cùm autem contra Sathanam ea doctrina ſit, & falſi prophetæ ſint ex Sathana, electis id officij committitur, & excluduntur in his rebus omnes falſi prophetæ, apoſtoli, martyres, &c. vnà cum miraculis, ſignis, factis, concionibus, doctrinis, &

Verus medicus à Deo eſt, vt Apoſtolus verus.

& prophetijs ſuis, ita vt neque ipſorum aliquid à Deo approbetur, imò & bona & mala ipſorum in abyſſum inferni detrudentur. Ita etiam hîc de medicina intelligendũ eſt, Deum nolle leues homines ea donare, ſed potius eam à veracibus exerceri velle: Cùm enim Deus hanc artem ad vtilitatem hominis crearit, id quod à nullo negari poteſt, oportet eam in ſola veritate conſiſtere, & in certitudine, non in deſperabundis artibus, ſed in firmis notitijs. Deus enim cupit hominem eſſe veracem, & non dubium aut mendacem: veritatem creauit non mendacium, atque ita medicum veritati alligauit non mendacio. Veracitas igitur & candor medici eſt, vt tam apertus ſit & verax, ſicut electi apoſtoli Chriſti: non enim minor ijs eſt coram Deo. Si igitur Deus veritas eſt, & ipſe medicũ creauit, quomodo ex eo faciet vetulam aut burſam, imò veracem eum fecit. hæc igitur ſit quarta columna medicinæ, quæ ſi veritati non inſiſtat tam immotè vt Deus ipſe eſt, ſed in aere pendet, tunc ſuper Sathana ædificata

Quarta columna veracitas.

eſt, ſicut falſi prophetæ, qui etiam hominibus os aperiunt: & ſicut falſi apoſtoli, qui etiã ſigna faciunt coram mundo: & ſicut falſi martyres, qui ſe occidioni tradunt vt veri: & ſicut falſi confeſſores, qui æquè ac veri ieiunant & orant, vix nihilominus non in veritate Dei, aut ipſo Chriſto fundati ſunt: ſed in diabolo & ſathana, ex hoc ea faciũt. Similiter etiã falſi medici artem & fortunam ſuam habent, & deinde aiunt ſicut ſupradicti falſi apoſtoli, &c. nos ex Deo ſumus, videte quid poſſimus, videte quid faciamus, videte quomodo Deus per nos operetur: veritatem autem reticent, nempe quòd per diabolũ hæc faciant. ſi cõſideraretis, quàm mirabiliter iſta ſigna fierẽt, tunc etiã intelligeretis quanto triũpho fierẽt, nõ quidẽ fiunt per vos, ſed per eũ qui patitur.

Medicus ſit rectæ religioni addictus.

Oportet medicum etiam eſſe bonæ religionis: qui enim bonæ religioni adhæret, non mentitur, eſtq; operator operum Dei: qualis enim eſt, talia de ſe teſtatur, hoc eſt, oportet te in Deo honeſtæ, veræ, firmæq; religionis eſſe, toto corde tuo, mente, animo & cogitationibus

tionibus ipſi confidere, eumq; amare, tunc Deus veritatem ſuam à te minimè auferet, ſuaq; myſteria tibi patefaciet viſibiliter, confidenter & audacter. Quòd ſi autem in Deum talem fidem non habes, deficies in operibus tuis, & mancus eris: inde populi fides tibi derogatur, inde populo manifeſtum fit, quomodo erga Deum animatus ſis, & qualis ſit fides tua in Deum: ſi enim te mendacem, dubium & inſcium reperiunt, ex hoc pleno fundamento concludere poſſunt, res tuas eſſe in Deo falſas, & te in medicina quoq; hæreticum eſſe, atq; ita nemo arte tua frui poteſt: perinde ac ſi quis concionaretur & doceret populum, multaque ipſi diceret, nullum tamen opus Apoſtolicum faceret. ea eſt litera mortua. Deus enim talem concionem frugiferam eſſe non ſinit in ouibus vel auditoribus, imò ab eis rurſum aufert: ille enim qui ſeminat non eſt verus ſeminator, nihilque aliud niſi lolium ſerit. Ita etiam ſe res habet cum iſtis malè fundatis medicis: cùm enim medicina nihil aliud eſſe debeat quàm veritas,

oportet eam ex Deo eſſe, & in veritate Dei fundatam eſſe,& non in mendacijs vllis: ſic igitur ſemen tuum ita radices agere debet,vt Deus medicinæ tuę doctor ſit,hoc eſt in modo creationis. Idcirco medicum à populo fidem ſuam habere decet, tunc etiam apud Deum eam habet: à te enim ad Deum & à populo ad te vult Deus omnem veritatem exiſtere,& omnes quidem artes in terris à Deo ſunt, & ex Deo,& ex nullo alio fundamento : ſpiritus enim ſanctus accenſor eſt luminis naturę:idcirco nemo criminetur aſtronomiam,alchymiam, naturam mineralium , philoſophiam, naturam ſphæræ,naturam artiſteriæ, naturam poeticæ, naturam Geomantiæ, auguriorum, & aliorum omnium: quare? quia nihil inuenit homo ex ſe & per ſe,ne rationem quidem caligis aſſuendi particulam: ſed neque diabolus aliquid in terris inuenit, ne tantillum quidem artis, vt pediculus in crinibus occidi aut capi per eam poſſit. Sed quæ in nobis docēte accenſo lumine naturæ reperiuntur, illa diabolus in peiorem partem rapit, vt omnia,

Omnes veræ artes à Deo ſunt, ſed à diabolo peruertuntur.

omnia, quæ ex Deo ſunt, conatur falſare & mendacia efficere ac deceptiones: hinc omnium artificum errores ſunt: ita Alchymia ſeducta eſt, & ſe in linguas mendaces & doctrinas falſas diſperſit: nec non Geomantia hoc modo in falſo fundamento poſita eſt: medicina ex ſuis veris veſtigijs receſſit: atque hoc modo diabolus etiam auguria peruertit. Diabolus enim eſt mendax, & nil niſi mendacium: Deus autē eſt veritas, ita Deus nobis dat & nos docet veritatem, Diabolus autem ſtatim adeſt & conatur Deum per eam contumelijs afficere, eumq́ue mendacij arguere, eosq́ue qui infirmi ſunt in fide in Deum, perturbat & in errorem ſeducit, vt à Deo deſciſcant, & in artibus mendacia reperiant, Deumq; hoc modo reprehendant, mendacijsque ferant, quærendo, dubitando, perſcrutando, vt ad extremum abſque inuentione veritatis ex hac vita migrent. Notate igitur medicum ſibi cauere in his debere, ne in fundamento Diaboli conſiſtat, ſed potius in fundamento Dei ſit ædificatus, ſemperq́ue imma-

culatus in veritate ambulet:id aũt propterea dico,quòd medici & omnes facultates in mendacijs verſentur,& fortiter ijs incumbant, mendacium, fundamenti loco ducentes, in eoque perſiſtentes : veritatem enim appellant id ,quod ementitum eſt: atque ita pater mendacij Sathan fundamentum ſit medicinæ, cùm tamen Deus id eſſe deberet,& non Sathan. Videte igitur & experimini, quàm vicini Deo ſitis, aut quàm longè ab ipſo remoti, & quòd columnam mendacem Deo attribuitis, vosque ipſos diabolo deditis, regnumq; ipſius conſeruatis.

Medicus non ſit luxui, ſuperbiæ, & alijs vitijs externis deditus.

Non ſolùm autem in dictis rebus & virtutibus interioribus talem decet eſſe medicum, verùm etiam caſtum & purum in corporis rebus exterioribus, ne videlicet ſua medicina abutatur ad ſuperbiam : inde enim falſus medicus naſcitur:quamprimùm enim medicus in animum ducit, quòd lucro ſuo aliter quàm puro corde vti velit, iam falſo fundamento inſiſtit. Bona enim non ad meretrices pertinent:quicquid autem

autem eius meretricibus communica-
tur, non ex fundamēto bono accipitur
à medico. Deus enim bona, quæ pro
meretricibus & nebulonibus acquiſi-
uit, non vt meretricibus & nebuloni-
bus cōtingere permittit: alia enim ſunt
bona à medico parta, alia à milite par-
ta, alia regis bona ſunt quàm medici, a-
liud mandatum eſt regi agere cum ſuis
bonis, aliud etiam medico. Medici au-
tem commiſſio non eſt alia, quàm vt
bona ſua diſponat ad ſanitatem ægro-
torum: quòd ſi facit, tunc animo can-
dido & bono præditus eſt, ſin con-
trà faciat, ſuæ vxori veſtes meretri-
cias emat, ſuosque liberos regio mo-
re ornet, & ad ſuperbiam inſtruat,
tunc bona ipſius non parta ſunt bono
fine & iure, non ex Deo, ſed ex Diabo-
lo, qui ægrotum efficit, & eundem e-
tiam rurſum ſanat. Quando vos
medici ab aliquo diſcitis artem ali-
quam veram: vos autem nequam e-
ſtis, eaq; ad nequitiā vtimini, tunc ars
illa non eſt ex diabolo, ſed ex Deo: abu-
ſus autem & ſtatus veſter eſt ex diabo-
lo: quòd autem multum illa arte lucra-

Qui lucro ſuo abutuntur, ex furto viuunt.

cò integrum, vt tota mens ipſius nullo modo ſuperbiæ, luxui, aut malitiæ ſit dedita: qui enim eiuſmodi mendacijs inſiſtunt, opera mendacia manifeſtant & labores ementitos, omneque falſum eſt apud ipſos, ita vt ex mendacijs viuant, quæ minimè fundamentum ſunt medicinæ: quin potius veritatem decet eſſe fundamẽtum: illa eſt caſta, pura, ſincera, omnesque fructus ipſius ſunt tales: inde ſequitur quòd medicus debeat purus & caſtus eſſe, nullaq; ſuperbia maculari, ſed nec odio, felle, arrogantia impudicitia, pompa, faſtu, authoritate, &c. Quando autem hoc modo vobis fundamentum medicinæ propono, inſanum me eſſe clamatis, neſcientem quid dicat, imò obſeſſum: ego verò eo ſum animò, quòd ea proponere velim, quæ bene intelligantur, & vos dicitis nihil ad rem pertinere, interrogate ruſticos, an non ad rem ſpectent, aut non ſint hæc aduerſaria vobis?

Veri medici virtutes.

Vt autem medicus in perfecto fundamento collocetur, & integrè depingatur, ſcitote, quòd in omnibus rebus

A primis incunabilis medicus verus diſcere debet, nõ vulgari modo, ſed vt corpus et lumẽ naturæ concordẽt, nec corpus prædominetur

decenti modo & ordine agendum ipſi ſit. De aptitudine autem & congruitate hîc dicendum eſt, vt ſcilicet ea iuxta ordinem à natura conſtitutũ & non ab hominibus, intelligatur: Deo enim medicus per naturã ſubiectus eſt non hominibus.

Aptitudo igitur & concordantia ordinis ea vi & natura corporis, luminisque naturæ procedere debet: aliam enim lucem per ſe habet corpus, aliud lumen naturæ, quod ad ingenitã vim, quæ in vtroq; concordari debet, ita vt ſimile ſimili coaptetur & congruat, vt vnum alterum rectè excipiat, vnumq; alteri conſonet. Prius autem ſciendum eſt de diſpoſitione corporis, quòd quando corpus iam educatum & aſſuefactũ eſt ad aliud, non amplius medicinæ conueniat: corpus enim iam educatũ non amplius eſt infans, qui capax ſit doctrinæ: eſt enim ad res alienas iam natum. is iam ſatis creuit, qui ſeipſum ſentit: is peregrinus eſt, qui ad res ignotas venit. Lucis autẽ naturæ conditio hęc eſt, vt in cunis homini implantetur, vt cũ virgis intrudatur, vt crini-
bus

bus attrahatur, & quando homini inſeritur, minor eſt quàm granum ſinapi, & plus quàm ſinapi excreſcit. Cùm igitur frutex ſinapi aues geſtare poſſit, cũ tamen fuerit minimus omnium, quid aliud hoc ſignificat, quàm quòd in iuuentute nobis inſeritur id, quod in ſenectute magnum fit, adeò quidem vt non fiat per ſe homo, ſed omnes alios ſuperans. Quandoquidem igitur hominem arborem fieri oportet, Chriſtíque doctrinam & exemplum illud de frutice ſinapi implere, nullus frutex, qui iam adoleuit aliquid percipiet, ita vt quaſi mortuus ſit, ſi cum ipſo grano ſinapi conferatur. Cùm itaque exemplum ſolummodo reſpiciat ipſum granum ſinapi, & non ramos & ligna fruticis, quæ res mortua & nihili ſunt. Quomodo igitur ex abiete adulta naſcetur malus cydonia? aut ex adulta lauro ſambucus tener? an non hæc impoſſibilia ſunt? multò igitur minus fieri poterit, vt ex veteri correctore typographico, ex veteri commentatore nugarum, aut ex ſeniori Ludimagiſtro, medicus fiat: medicum

enim adoleſcere oportet. Quomodo autem iam adultus adoleſcet? imò iam deſijt creſcere & adoleſcere, ita vt obduruerit iam & muſco obductus ſit, vt nihil niſi arundinaceæ clauæ inde fiāt. Si enim medicus bene fundatus eſſe debet, oportet eum dum adhuc in cunis eſt plantari, & ſeri ſicut granum ſinapi, & dein adoleſcere ſicut magnates Dei, eiusque ſancti: oportet enim medicum in rebus medicis à iuuentute educari & adoleſcere. Quomodo igitur medicina creſcet in patribus illis ſenioribus, qui iam creſcere deſierunt? & tempore adoleſcentiæ iam elapſo, ad medicinam ſe conferunt, qui neque flores neque frondes geſtarunt, non gemmas pertruderũt, non in Martio nati ſunt, nihil de Aprili ſciunt: neſciunt an Maius ſit viridis vel cœruleus, in Iulio acceſſerunt, & tamen fructus ferre volunt, iſti ſunt ſicut colchicum, hoc eſt, artis expertes. Oportet igitur in medico eſſe congruitatem, non quam ipſi colligunt, ſed de qua ego dico: vim enim corporis vnà cum vi luminis naturalis creſcere & augeri decet,

Zeitlos/ kunſtlos.

decet, tunc hæc duo concordant & conſonant per ſe: homo enim illa duo non coaptabit & coniunget: nihil enim in his ſitum eſt: Ab ineunte igitur ætate fundamentum hoc ſtabiliri debet, & quod non iuſto tempore ſeritur, ex eo non fit boni aliquid. hi ſunt medici illi, qui ex pomis ſylueſtribus ſalicibus inſeruntur, qui neque rorem neque pluuiam habent, quando ſeruntur, & eam naturam induunt ad quam inclinati ſunt.

Medicus ſit fidelis.

Sed nec hoc fieri poteſt, vt vbi veri medici fundamentum eſt, non etiam adſit fidelitas, & quidem perfecta & integrâ, non dimidia, non diuiſâ, imò integra & perfecta fidelitas: ſicut enim in Deo non poteſt diuidi veritas, ita etiam fidelitas nequit: hęc enim non diuiduntur, ſicut neque dilectio: dilectio enim & fidelitas vnum ſunt. In quo autem poſita eſt fidelitas medici? certè non ſolùm in eo, vt ægrotum diligenter inſpiciat, ſed vt antè etiam quàm ęgrotum cognoſcat, audiat & videat, iam fidelitatem conceperit, nempe vt diligenter & fideliter didicerit ea, quæ

ægrotum moleſtant. Optima autem pars doctrinæ negligitur ab illis, qui ſolummodo in ſpeciem, ad pompam, ad nominis claritatem, ad loquacitatem, & vt per hæc ſaturentur, diſcunt, illi omnes ſunt infideles & dilectione carent: talis enim dilectio ſeipſum ſpectat non alium: diſcit enim & ſtudet ideo vt ſibi ipſi proſit, non alij. In eo autem fidelitas ſita eſt, vt ſciatur & cognoſcatur ars: qui enim eam non nouit, is nulli eam communicare poteſt, ideoq; in ſcientia poſitum eſt, vt aliquis ſit rerum gnarus: quòd ſi in diſcendo ſitũ eſt & experientia, oportet artem incipi prius, quàm morbi veniant: quando enim præſentes ſunt morbi, fidelitas illa præſtari debet: illud eſt opus fidelitatis. De principio itaque operum & de diſcendo ſcitote, nullum poſſe fieri medicum abſq; doctrina & experientia, ſed nec in breui tempore, imò in longo tempore: longa enim eſt ſeries morborum, numeroſa & multiplex: nullus igitur medicus fiet abſque doctrina & experientia, eaque exquiſita & longa, ſicut ante

te Maium non flores oriuntur, nec ante meſſem frumenta matureſcunt, nec ante autumnum vinum fit: ita nec in medicina tempora cuiuſlibet experientiæ præteriri poſſunt: experientia autem incipit à iuuentute & durat vſque in ſenectutem, & ferè vſque ad mortem, non decem horæ ocioſè abeunt. Quomodo igitur patres illi antiqui in medio ætatis ſuæ incipientes ad meſſem vel vindemiam peruenire poſſunt? non iuuat eos quod dicunt, ego antè bene doctus fui in his & illis artibus. hæc omnia non conducunt ad fidelitatem ęgroto præſtandam, ſed tantùm commodum ipſorum proprium promouent, ſibique ipſis hoc modo fideles ſunt: non alia ſcire debes, ſed medicinam, ita fidelis eris ægroto, alia tibi tantùm & vxori tuæ inſeruiunt, vt iuxta alia poma & ſicut ſterquilinium natare poſſitis: illud fundamentum eſt arenoſum, in quo nihil ædificare potes vel debes. Cùm igitur nullum peregrinum fundamentum in medicina aliquid valeat, ſed ſolummodo pura puta doctrina medica,

Experientia à primis annis medico diſcēdum eſt.

ab ineunte ætate implantata, conſide-ra quàm graue ſit & quàm periculo-ſum, eiuſmodi ignaro ſcholaſtico, præ-ceptori, & ſimilibus, qui nihil aliud niſi deſperare faciunt, ægrotum commit-tere. Oportet ſanè omnes opifices, ſu-tores, pelliones, &c. à teneris in ſuo o-pificio eſſe educatos, & maiori diligen tia à prima ætate diſcere oportet pi-ctores, ſtatuarios, aurifabros, &c. quòd ſi igitur in opificijs id fit, multò magis in medicina neceſſarium erit, vtpote quæ plus ſtudij in diſcendo requirit, quàm dictæ artes omnes. Sicut autem non potes ex doctiſſimo aliquo & pe-ritiſſimo magiſtro Lipſenſis academię aut alio inſigniter erudito artificioſio-rem ſutorem facere quàm tu ipſe es, ita multò minus ex eo peritiorem medi-cum efficies, imò potius rudiorem quã meliorem: ideoque ſicut aſinus ad ly-ram, ita ſe gerunt in tangendo pulſu & fronte, an ardeat vel non. Scitote igi-tur vos medici, quòd tam ſerò fideli-tatem medicam addiſcere & perficere vix poſſitis, & quòd ſophiſtica veſtra & philoſophia vobis nihil proſit: adhuc

enim

enim vobis adhæret doctoratus, ſicut ruſtico nobilitas: dicit enim, ego ſum nobilis, ego ſum doctor. Quomodo igitur vos diſcipuli adulti fideles fieri poſſetis? cùm in ſenectute veſtra nihil fideliter diſcere poſſitis, nimium in vobis dominatur Saturnus.

Sicut veracem ita etiam multiſcium eſſe decet medicum: qui autem multiſcius eſſe vult, eum in omnibus artibus experientiã ſuam habere oportet ex multarum enim ſcientiarũ notitiã: dependet tuarũ artium inuentio, hoc eſt, non fundamentũ doctrinæ totius, ſed fundamentũ tuarum artium medicinalium. Quomodo enim de aliqua re iudicare poteris, niſi ex alijs artibus iudices? iudicantem autem oportet iudicium ſuum, quod in ſua arte profert, foris deſumere. qui multiſcius eſt, artem intelligit, qui autem nõ multiſcius, nihil de artibus iudicat: ex alijs enim iudicanda res intelligitur. Quomodo igitur medicus abſque artibus multiſcius erit? cùm in ipſo magna arcana notoriè debeant habitare, quæ quidem à ſapientibus inuenta ſunt:

Medicus perfectus multiſcius ſit, id eſt, omniũ artiũ gnarus.

Quæ medico cognoſcenda ſint

multiſcius igitur erit medicus, ſi ſciat quid commodum ſit inſenſibilibus, & quid incommodum, quid beluis maris, quid piſcibus, quid brutis acceptũ ſit, quid inacceptum, quid ipſis ſalubre ſit, hæc ſunt artificioſæ res ad nanaturam pertinentes. Oportet etiam medicum ſcire, quid ſint miracula, vnde ſit vis eorum, vnde hæc faciant quæ faciunt: quid ſit Meluſina, quid Syrenes, quid permutatio, quid tranſplantatio, quid tranſmutatio, & quomodo perfecto intellectu concipi debeãt. Quid ſit ſupra naturam, quid ſupra vitam, quid ſit natura viſibilis, quid natura inuiſibilis, quid dulcedo, quid amaritudo, quid olfactus, quid mors. Quid piſcatoribus conueniat, quid coriario, quid fabro metallorum, quid fabro lignorum, quid culinæ, quid cellæ vinariæ, quid horto, quid tempori. Quid ſciant varij homines, quid foſſor metallicus, quid ſit peregrinantis, quid domi ſedentis, quid ad curſus bellicos requiratur, quid ad pacificationem, quid ad ſpiritualia, quid ad ſecularia, quid ſit officium cuiuſlibet

ſtatus

ſtatus & vocationis, quid ſit quælibet vocatio, quæ origo cuiuſlibet vocationis, quid ſit Deus, quid ſit Sathan, quid ſit venenum, quid veneno contrarium, quid inſit viris, quid fœminis, quæ differentia inter coniugatas & virgines. Quid interſit inter pallidum & flauum colorem, inter album & nigrum, inter rubrum & giluum, in omnibus rebus: quare iſti colores his inſint, alÿ aliÿs, q[illegible]t breue, quare longum, quare [illegible]cerum, quare aliquid ſu[illegible] non: & quicquid denique verum eſt ADEPTVM in omnibus rebus. Non quòd hæc medicina ſit, ſed medicinæ adhærentes proprietates, ſicut electo & vero Apoſtolo accidit quòd ęgrotos ſanat, quòd cæcos videre facit, claudos ambulare, mortuos reſuſcitat: ita etiam iſta medico adhærent. Quomodo igitur grandæuus aliquis, ſuperciliosus homo iſta comprehendet, qui dies ſuos conſumpſit in caſualibus & temporalibus, cui longo tempore opus eſſet tantùm ad ediſcenda nomina, quæ vnà cũ virgis ipſi inculcari debuiſſent?

His rebus fundamentum medicinæ inſiſtit, medicumque iſta ſcire decet: plus enim in medico ſitum eſt, quàm in omnibus alijs facultatibus vel alijs rebus. cùm itaque tanti ſit faciendus medicus, plus etiam erit, plura etiam ſcire debet: debet enim pater philoſophiæ & medicinæ eſſe. Quomodo igitur illi adulti diſcipuli apothecarij, & alij, qui longo temporis progreſſu ad medicinam animum applicant, & gradum conſequuntur, conſiſtere poſſunt? quomodo bene fundati eſſent? quidem ipſis non deſunt, ſed ſcientia: at verò non eſt ſcientia doctorem aut magiſtrum eſſe, pecunia hæc efficit: artis autem eſt verè poſſe eſſe doctorem aut magiſtrum. Quid vos profeſſores aut promotores gloriamini de veſtris diſcipulis, quando in doctores promouentur, cùm dicitis: iſte doctorandus fuit meus diſcipulus Lipſiæ, audiuit à me Auicennam, Galenum, & aphoriſmos Hippocratis, & alia multa bona, cùm tamen & tu & tua nihil boni ſitis. Quid igitur boni didicit à te? quin vterque potius docendus erat. Hoc eſſet

ſet dignum laude & iactantia,ſi doctor aliquis & promotus præceptor ſuos auditores doceret ſecreta veritatis,hic eſſet nodus abſconditus, tunc auditor gaudere poſſet & dicere,en hoc habeo: ſed proh Deum, parua ſunt apud vos hæc,ita vt eorum vos pudeat,itaq; rem cum mortuis cōcluditis, ex quibus nullus inter vos verus medicus vnquam viſus fuit, qui cum laude de diſcipulo ſuo gloriari velit, cum diſcipulis plus communicare oportet, quàm medicinam Auicennæ, nugas Galeni, & mare illud magnum ruſticorum.

Medicus non debet ſuæ medicinæ ſucceſſū vel defectū Deo attribuere, et ſe pè ignorātiam ſuam excuſare hoc modo: quāuis tamen reuera ſatū ſeu voluntas diuina interdum medicinæ vim et effectū naturalem adimat.

Omnia autem quę medicus ſcit,per ægrotum vana effici poſſunt:videtis enim omnia ea,in quibus operatio fieri debet,oportere apta ad eam ſuſcipiendam eſſe, ſin, nihil efficitur in illo ſubiecto. Cùm igitur tantùm in ægroto ſitum ſit,nempe omnia ea,quę medicus poteſt, oportet eum aptum & idoneū eſſe ad effectum ſuſcipiendū, ſine qua aptitudine nihil perficietur. Scitote igitur in ægroto debere eſſe morbum naturalem, naturalem voluntatem, & vim naturalem, in his tribus opus me

dici confici debet: ſi quis igitur aliter ſe haberet in his tribus, quàm dictum eſt, is à medico nullam curam expectet: quos enim ipſe Chriſtus ſanabat, eos capaces eſſe oportebat ſanitatis: eorum autem qui non erant apti, nullus ſanabatur. multò magis de medico id intelligendum eſt, quòd ſcilicet ægroti ipſius apti ad curam eſſe debeant: minor enim eſt potentia medici, quàm Dei ipſius. Eſt apud Deum certa quædam diſtributio ſuper homines & ſuper naturam, quam nemo perſcrutari & comprehendere poteſt aut reſciſcere, quænám ſit cuiuſlibet prædeſtinatio: magnũ aliquid eſt apud Deum, ſi homo non repudietur & reijciatur: ſed hæc ad medicum non pertinent, qui nihil per Deum excuſare debet: nemini enim poſſibile eſt ſcire, vbi Deus adiuuet, vbi impediat: medicum verò decet, cœlum, aquam, aerem & terram cognoſcere, ex his microcoſmum, & hac cognitione ſuam conſcientiam tueri, non Deo aliquid detrahere vel attribuere, imò ſemper gratiam & miſericordiam expectare. Si

enim

enim Deus Soli obſcurationem ſuam nec non Lunæ creauit, cumque gradum ſiſtere iuſſit, ſi diluuio ſuo totum mundum inundauit, ſi quotidianas pruinas & grandines ordinauit: in his rebus omnibus ſimiliter etiam ſuam voluntatē prædeſtinat, nec tamen vult ideo medicinam ſuam & creaturas ſuas criminari aut debilitari, ac pro inutilibus & non ſufficientibus haberi, imò plenas eſſe viribus multiplicibus: quòd autem interdum deficiunt, id eſt voluntas ipſius: ita agere vult iuxta placitum ſuum, nec tamen ideo naturæ vires ſuas adimit, aut eam quieſcere vult. ſicut Soli ſuum ſplendorem non prorſus aufert, etiamſi eum eclypſin pati ſinat: dum autem eclypſis durat, interea tantū lux deeſt hominibus. Similiter quādo Deus medicinę defectum immittit, interea mors irrepit, & vitam prædatur: quando autem ea prę-terijt, medicina tam lucet, quàm anteà, ſicut ſol quoq;: noctu enim furātur fures, qui non videntur, ſuntq; aſtutiſſimi eiuſmodi fures, qui furantur vt nemo videat: ita mors quoque irrepit

Vide librū de Contracture vltimū caput.

in tali nocte medicinæ & vitam furatur, hoc eſt ſummum theſaurum hominum. Quòd ſi Deus medicinam non quieſcere ſineret, eiusque curſum impediret, ſicut tempore Ioſuæ ſolis motum ſiſtebat, quis moreretur? multis enim eo modo ſanitatē aufert ſicut ſolem retrahebat, illos ægrotare ita vult, vt in ſe culpam transferant: tam abſcōdita enim ſunt opera eius, vt nos ea neſciamus, ne ſomniando quidem, aut ſentiamus, ignorātes vnde aliquid fit. Cùm igitur nos medicinæ ſubiecti ſimus, vult vt nos eam reſpiciamus: nec de Deo aliquid ſuſpicemur: tam beneuoli enim & creduli debemus eſſe erga ipſum, vt ne ſperemus quidem hæc de Deo, imò naturæ potius culpam imputabimus, ſemper in medicina laborantes cum hac fiducia, quòd omnia quæ medicus facit, à Deo ipſo perfecta aut impedita ſint, tam firmam & fidelem ſpem ægrotus in Deum concipere debet, ne in tentationem incidat tenebrarum, in quibus mors accedit, in quibus ſol retrahitur, & diluuium omnia inundat; ſi enim toti mundo non pepercit,

cit, quomodo vnico homini parceret? idque tacitè & tectè ſicut cataclyſmus contra opinionem omnium creaturarum inquiebat: ita etiam abſcondita nunc ſunt iudicia eiuſmodi Dei, ita vt homo ipſe abſque diuini iudicij notitia cogatur hunc mundum relinquere.

Cùm igitur medicus tantæ ſit authoritatis, & tam firmis fundamentis & columnis innitatur, ſcitote nullum medicum eſſe poſſe ex vllo alio fundamento extra dictas quatuor columnas. Tantum enim in medico ſitum eſt, vt Deus per ipſum operetur, eúmque conſtituerit, vt laudem & vituperium ſeu luctum medicinæ ferat: laudem quidem, quando ægrotus ſanatur, vt ob id Deum celebret: luctum verò, quando medicina eius eneruatur, furante ſcilicet fure ſuum ægrotum. In nullo autē falſo medico Deus vel laudem vel luctum reſpicit: ideoque ſcitote, illos qui medicinam ideo tractant, vt ſeipſos ſuſtentent, nulli fundamento inſiſtere, nihilque experiri. quicquid igitur illi (quos Deus alere

Veri medici authoritas.

cogitur)iuxta ſuam voluntatem mentiendo operantur, aut ſi quē occidunt, id ſibi imputari minimè vult Deus, imò illi medico & mors & gaudiũ luctusq́; imputanda ſunt, neutrumq́; bonum eſt: Deus enim per iſtos falſos homines medicinam cõſeruari non vult. Cogitandũ igitur vobis eſt, quo in fundamento & ſemita medico ambulandum ſit, & an rectè ea vos edocuerim, quandoquidem id eſſe vultis, quod minimè eſtis, illudq́; fundamentum, cui ſuperſtruere debebatis, abijcitis, ſine quo locum habere aut conſiſtere minimè poteſtis.

Habetis igitur à me rationem eorũ, ex quibus loquor & ſcribo, & quod ſit fundamentum meum, meorumq́; aſſeclarum, vt dicitis, ex quibus patet, quantò honeſtius & firmius fundati ſint quàm vos, qui nihil aliud noſtis, quàm in papyro ſcribere, quæ in proxima aqua diſſoluitur, & ex vilibus inueteratis pannis laceris cõficitur, & ſicut prima eius materia res eſt nihili, eiuſmodi quoq; ſunt ea, quæ in ea annotatis & inuenitis, ita vt veſtra doctrina ſit do-

doctrina lacerarum veſtium. Papyrus eſt ager, in quo ſeritur lollium, & vos eſtis medici lolliorum: tantùm enim ea quæ nihil valent ſeligitis: quæ autem bona ſunt, ea pedibus calcatis, ideò quòd lollium denſiori ſegete & ſpecioſius eſt quàm triticum, ideo veſtras apothecas implet, earumque honorem conſeruat, veſtrumque nomen ſtabilit: & qualia ſimplicia ſunt, tales quoque vos doctores eſtis: ipſa ſunt putrida & eroſa, vetuſta & carioſa, & nemo veſtrûm nouit, quid eis inſit: ſicut igitur vos nihil in ipſis nouiſtis, ita nec in vobis aliquid inuenitur: id enim quod in dictis apothecis optimum eſt, in vobis quoque optimum eſt. Cum itaque tam malo fundamento innitamini, nihil etiam ſcitis, & quamprimùm paruus aliquis ſudor & nodus vobis obijcitur, tunc hæretis, & quid agendum ſit, ignoratis, adeò quidem, vt Doctor Helmetterus, quem contemnitis, omnium veſtrûm magiſter ſit: vos autem vſque legitis & relegitis, diſcitis & rediſcitis, & tamen nihil ſcitis.

Quid aliud eſtis, quàm ſicut virgines illæ fatuæ, quæ ex ampullis ſuis oleum effuderant, aliaſque accedebant, vt mutuo oleum acciperent? tales vos doctores eſtis: omnes libri veſtri ſunt ampullæ exinanitæ: veniente igitur medico peregrino, tunc dicitis: quæſo te, doce me quoque aliquid, ampulla mea non habet vnde luceat, non habeo oleum, non habeo liquorem, atque ita ego & alij, qui non agnoſcunt vos eſſe ſtultos, communicamus vobis aliqua, & nobis ipſis hoſtes facimus illo ipſo dono: quòd ſi iuxta exemplum virginum ſapientum in parabola viueremus, nihil vobis dantes, [illegible] phyſicos ciuitatum & principum ordinarios, alioſque in puluinaribus & tapetibus veſtris relinquentes, vt ipſimet oleum vobis colligeretis, tunc experiremini quid aſſecuturi eſſetis.

Experimenta & ſecreta aliena alunt Galenicos.

Et profectò ſi nos peregrinatores (vt vos appellatis) non ſuccurreremus vobis, quantum calamitatis per vos fieret? quot à vobis perditos & corruptos nos refocillamus? cùm autem videatis, quòd in iſta experientia peregrina-

tionis

tionis tantum inſit boni: ipſi circúmforanei quoque lollium veſtrum emittitis ad peregrinandum, atq; ita ipſam etiam peregrinationem iam maculaſtis & infamaſtis, vt non ſolùm domeſticos veſtros, ſed & domeſticos & peregrinos decipiatis. Atque hoc modo meum vobis fundamentum propoſitum volo, ſpe plenus, vos oculos veſtros aperituros, & quid ſit ars medica veſtra agnituros: aut ſaltem auditores monitos volo, ne vobis ſuffragentur.

DIXI.

FINIS PARAGRANI.

THEOPHRASTI PARACELSI GERMANI philoſophi ac medici ſummi explicatio primæ ſectionis aphoriſmorum Hippocratis, nec non ſex primorum ſecundæ, & nouem poſtremorum quartæ ſectionis.

Vſus erat autor veteri mẽdoſa verſione aphoriſmorũ, ſed hæc eſt correctior.

M. GEOR. FORBERGIO interprete.

SECTIO PRIMA,

Aphoriſmus primus.

Vita breuis, ars longa, tempus acutum, experimentum fallax, iudicium difficile: nec verò ſatis eſt ſuum feciſſe officium, niſi ſuum quoq; ægrotus, ſuum aſtantes faciãt, ſintq; externa ritè comparata.

VITA BREVIS.

QVOD VITA NOſtra breuis ſit, nemo negare poteſt, etiamſi de quibuſdam ſcriptum ſit, quòd longiſſimè vixerint, nempe Mathuſalem

lem 900 annos,ſed nō probatur quòd fuerint anni Mileſij,imò breuiores for taſſis ab ortu ad occaſum. Regius enim propheta Dauid dicit,ætas noſtra eſt octoginta annorum reliquum labor & miſeria eſt:hoc dictum loquitur de annis Mileſij, & ad nonaginta peruenire poteſt: ipſemet Dauid tantùm de octoginta annis Mileſij,non de 900 teſtatur. Si igitur tantum 80 anni vita ſunt hominum, breuis certè eſt numerus, quem aues quædam longè ſuperant, quæ tamen viliores ſunt homine: ſed ſicut Luna ſi diuturnior eſſet, nihil boni efficeret, & in vno menſe omnia bona perficere poteſt, & deinde renouatur: ita etiam homo terminum ſuum habet, quem non excedit.

Annus Thaletis Mileſij fuit 365 dierū: vide aphoriſ. 14.

Et quanquam ob vitæ noſtræ longitudinem medicina creata ſit, vt octoginta annos attingere poſſemus, & porrò etiam annos laborum & miſeriæ: attamen ſi medicus morbos pellere nequit, qui nobis mortem inferunt: oportet etiam noſtram breuem eſſe, præterquam quòd nobis ipſimet vitam abbreuiemus.

Chriſtus quoque xxxij annum attigit ætatis, quantum intellexi, quòd ſanè tempus breue fuit: ideo nulla vita longa apud nos eſſe poteſt, prorſus ea nobis denegata eſt: puluis enim ſumus nihil aliud, vmbra quotidie tranſiens, & bulla aquarum. Vita igitur noſtra breuis eſt, ſi conferatur cum aliis. aurum & argentum etiam in igne perma nent, nec non mineralia, lapides, ſalia, &c. homo autem non permanet, habetque terminum omnium breuiſſimum, nullumq; certum tempus mortis, imò quotidie eum finem expectare oportet: qui enim hominem inuadit clàm, reliquis creaturis parcit.

ARS VERO LONGA.

Artem longam eſſe, verum eſt hoc modo, in initio mundi cœptum eſt quæri vſque ad meum tempus, nec tamen finis inuentus eſt: morbus eſt celer, ars verò tarda, àtque ita ęgrotus negligitur: medici enim nondum artis finem aſſecuti ſunt, & ea quę habent adeò tarda ſunt, vt morbus artem vincat

çat celeritate. Itaque Hippocrates meritò de eo conqueritur: nam & aſſeclis ipſius idem accidit. Ars medica conſiſtit in Philoſophia, Aſtronomia, Alchymia & Phyſica: meritò igitur dicere poteſt, artem eſſe longam: multum enim temporis requiritur ad quatuor has columnas medicinæ diſcendas & perſcrutandas. & ſicùt volatus abſque pennis nullus eſt, ita & in medicina: priuſquã igitur naſcantur, multum temporis elabitur, donec ars perfecta ſit. Aegroto ars longa eſt, tardè enim per eam curatur: tamen differunt ars & medicina, ars tarda eſt, ſcilicet vt agnoſcamus morbos & eorum remedia: medicina aũtem eſt celer, in cauſa ſunt medicinę errores & ambages: ſed vt verum dicam, ars breuis eſt, ſed diſcere longum eſt. Notatu verò dignum eſt, errores Hippocratis quoque temporibus fuiſſe, hinc dicit, ars eſt longa, hoc eſt plus adhibetur quàm opus eſt: ars breuis eſt, id oſtendit notitia veri medici, ars verò erronea eſt longa: ad nullum enim certum terminum vnquam peruenerunt. Quòd igitur Hippocrates hoc in

Ars medicã per ſe breuis illis, qui donũ veritatis habẽt, & non in ambagibus verſantur.

loco dixit, non ſine cauſa dixit: inquiſitio enim apud ipſum fuit, donum autem finis nõ ei conceſſum fuit: ideóq; Hippocrates ante artem mortuus eſt, ars eſt longa, vita verò breuis: vbi autẽ DONVM FINIS eſt, ibi ars eſt breuis: vita verò longa, ſi arti cõferatur.

TEMPVS ACVTVM.

Sicut hominem nudum tempus affligit, modò hyeme, quæ eum frigore, modò æſtate, quæ eum calore vrit: ita modò pluuias, modò niues, modò humiditatem, modò ſiccitatem tempus affert, modò placidum, modò ventoſum aerem efficit: ſimiliter etiam intus in homine iſta operatur influentia: influentia enim eſt tempus, & tempus gignit. Influentia autem multiplicis eſt virtutis in ſuis radijs & impreſſionibus, ſicut Hippocrares, vtpote peritus Aſtronomus bene ſciuit & conſiderauit, nempe interiora ab exterioribus regi, ideo tempus acutum eſt: omnes enim morbos parit, omnia ſymptomata, & omnes aduerſitates. Vult igitur hoc dictum, medicum debere eſſe

Aſtro-

Aſtronomum, tempusq; obſeruare, vt tempus norit, quomodo ſcilicet dominetur & dominaturum ſit, & per quæ, & non ſufficere diem hodiernum contemplari, ſed & craſtinũ, & omnes venturos poſt eum, à principio vſq; ad finem, vt ex tempore medicus colligat, quid ſibi faciendum ſit, nec ita temerè tempus negligat, ſuamq; inſcitiam detegat. Si enim tempus, pluuias & roſas afferre poteſt, flores & alia à primo ad vltimum perficere nullo prohibente, etiã morbos iuxta ſuum placitũ finiet. Cùm igitur tempus hęc poſſit, medico certè id conſiderandum erit, vt quid poſſibile, quid impoſſibile ſit, ſciat, & quid faciendũ ſibi ſit, intelligat, ne ars criminetur, quã De⁹ creauit, & ęgrotus peius habeat, id quod Deus minimè cupit. Tempus acutũ eſt: ſingulis enim horis aliquid noui affert, ſicut hominis cogitationes omnibus horis aliç atq; aliç ſunt iuxta duodecim horas diei, nemo ſcire eas poteſt, niſi vnus ſolũmodo: ita etiã tempus ſemper aliquid noui affert. Quis acumen propoſitũ & ſecretum cõſiliũ ipſius animaduertere poteſt?

Medicus ſit Aſtronomus.

ideoque medicus non ſibi nimium attribuat, cogitans dominum eſſe ſe altiorem & potentiorem, nempe tempus, quod cum medico ludit, vt catus cum mure.

EXPERIMENTVM FALLAX.

Dicit Hippocrates experientiam poſſe eſſe fallacem, quaſi diceret, ne nimiũ fides experientiæ tuę: ea enim perinde eſt in medici manu, ac cor fœminæ in manu amatoris, qui credit ſe illud habere, ſed ſæpè non habet: nihil enim fidendum eſt fœminæ, ita nec experimentis: hæc eſt ſententia Hippocratis. Nihilominus experientia eſt ars & auxilium ægrotorum: non igitur falſam eam eſſe oportet, imò eam certam eſſe & vſitatam oportet, nam & ipſa & medicus à Deo creati ſunt: quòd ſi autem medicina fallax eſſet, hoc non cõmendaret medicinam, imò eſſet diminutio exiſtimationis ipſius, atque ita ex medicina nullitas efficeretur, quod longè abſit. Sicut vxor fideliter debet viuere cum marito ſuo in coniugio: ita etiam me-

medicina fide connubiali debet eſſe iuncta medico, tunc minimè eſt fallax. Quid autem coniugium confirmat? & quid eſt coniugium? nil niſi cordis cognitio, hæc eſt principium & finis: ita etiam medicus & medicina ſe inuicem agnoſcere debent, tunc nihil fallaciarum ijs inerit: vbi autem intellectus non eſt, ibi vtrinq; dolus & falſitas eſt. Tempore itaque Hippocratis non ita ſe habebat medicina, imò colocynthis omnibus equis adhibita fuit, vni profuit, alterum prodidit, ideo ab eo fallax vocata eſt: in cauſa eſt, quòd mutua vtriuſque notitia defuit: quin egerunt ſicut medici puſtularij, qui vna vnctione omnes vngunt. de tali dolo Hippocrates hîc loquitur. Hoc modo ſe habuit medicina in principio, vt nullam theoriam habuerit, ſed ſolùm experientiam, hoc laxat, hoc conſtipat: quomodo autem & cur, ignoratum fuit, ideo vnus ſaluatus eſt, alter perditus. Nunc autẽ cùm theoriam habeat medicina, non amplius ita ſe habet, imò ſcientia adeſt & non amplius experimentum fallax eſt, ſed verax, id quod fa-

Experiẽtia abſque ratione nihil valet.

cit theoria medica, quæ quatuor columnis innititur, Philoſophiæ, Aſtronomiæ, Alchymiæ & Phyſicæ.

IVDICIVM DIFFICILE.

Sententia Hippocratis eſt, quandoquidem dixit vitam eſſe breuē, vt medicus iam citò perfici nequeat in arte ſua, ſed tardius veniat, ita vt tempus ei prædominetur, nec certa ſit in manu ipſius medicina, hinc ſequitur nullum bonum iudicium ferri poſſe: in omnibus enim principalibus capitibus artis dubium eſt & non certitudo. Quando autem quatuor ſupradictę columnæ alicui bene notæ ſunt, tunc longè aliter res ſe habent: vita enim longa eſt, ars breuis, tempus flectitur & regitur, experimentum freno innexum eſt, atque hoc modo iudicium ferri poteſt non dubium, periculoſum, aut temerariū, ſed certum, quo medicus ſanitatem reſtituere poteſt. Medicina ars eſt, cùm igitur ars ſit, tam rotundam eam eſſe oportet, quàm eſt circinus, ita vt omnia ea, quæ in circino conſiderand
da veniunt, etiam in medicina conſide-

ſiderentur: ſicut igitur circinus ſuum opus efficit, ita etiam medicina ſuum perficere decet: ęqualis enim ipſis ineſt potentia, ſed non ſimiliter diſcunt. Circinus eſt viſibilis, vt ex opere ipſius patet, medicina non eſt viſibilis, hoc ſuā habet rationem: nihilominus & circinus & medicina ad opera deſtinata ſūt. Cùm igitur Hippocrates non in animum induxerit circinū, eumq; medicinæ compararit, ſequitur deſperationem in medicina eſſe oportere: quòd ſi autē conditio & ratio medicinę, qualis eſt in Geometriā deduceretur, quis, ſi modò vellet, errare poſſet, aut dubius eſſet? qui autem circini modo non agunt, ij nolentes quoq; errant, ſicut lapicidæ, fabri lignarij: ita etiam medicus in ſua profeſſione.

Medicina tam certa debet eſſe, quàm ſunt Geometrica.

Nec verò ſat eſt ſuum feciſſe officium, niſi ſuum quoq; ægrotus, ſuum aſtantes faciāt, ſintq́; externa ritè comparata.

Vult Hippocrates, vt ægrotus obtemperet, & omnia ea faciat, quæ ei præcipiuntur & præſcribuntur à medico: ſed nec ipſe ſolùm ſuum officium

facere debet, cùm ſit vna tantùm perſona, imò alij quoque qui curam ipſius gerunt, qui ipſi miniſtrent, coquunt, eum hinc inde portant, lectũ ſternunt, vt ſcilicet illi, ægroti cor, animum & deſiderium in ſe habeant, ita vt in vniuerſum ſit vnum & idem cor. Eſt autem pium & æquũ hoc dictum, iuxta illud, Dilige proximum tuum ſicut teipſum: cùm itaque tibi qui miniſtrat, ægrotus ſit proximus, meritò vnum cor cum ipſo habere debes, ita vt ægro to ea facias, quæ tibi fieri velles, ſi tu decumberes. Cuiuis æſtimare licet, cur Hippocrates hunc Aphoriſmum ſcripſerit, nempe ob ea, quæ nunc quoque multis accidunt: ſæpè enim aliquis ægrotat, quem libenter vxor eius mori videret, aut ipſe vxorem, ſeruus dominum, dominus ſeruum, frater fratrem, ſodalis ſodalem: cur? non opus eſt enumerare. Quando igitur familia hoc modo aduerſatur patrifamiliâs, quid ſperabit ibi medicus? etiamſi enim ægroto bene velit, & bona præſcribat, vt debent ſingula fieri: attamen cùm illi, de quibus dictum eſt, aliter ſint animati,

ti,quàm ęgrotus,medici ars confunditur,ægrotus perditur, hæredes gaudēt, medicus læditur, ars dehoneſtatur. Vnum igitur cor eſſe oportet, tunc ægrotorum ſalus incipit: neceſſe eſt enim vt auxilium feratur & miniſtretur ægroto ab ipſomet, à medico,& ab his, qui in domo ſunt viuunt, qui omnes ſimili corde præditi eſſe debent.

APHORISMVS ſecundus.

In turbationibus alui & vomitionibus, quæ ſpontè fiunt, ſi qualia oportet purgentur,confert & facilè ferunt,ſin minus contrà fit. Sic & vaſorum inanitio ſi qualem fieri oportet fiat,confert,& facilè ferunt,ſin minus,contrà accidit. Proinde & regionis, & temporis, & ætatis, & morborum habenda eſt ratio, pro quibus talia vacuari conueniat nec ne.

Hippocratis ſententia eſt,omnia profluuia & vomitus per ſuperiora, quæ per ſe abſque purgatiuo oboriuntur, conſiderari debere, an opus ſit ea pur-

gari nec ne, & vbi natura nimium expellere deprehendatur, vt non adiuuetur, ſed ſiſtatur, Placet mihi autem hoc dictum: in dyſſenteria enim ſumma medicina eſt medicamento vehementi per inferiora deijcere: ita enim dyſſenteria vtiliſſimè ſanatur: ſimiliter in vomitu vehementiſſimis vomitiuis rem aggredi decet. Ipſa enim experientia probat in quolibet fluxu per ſuperiora & inferiora, ſi medicina illi materiæ conueniens adminiſtretur, quod præſens adſit auxilium. Oportet autem in tali cura magnam cognitionem & obſeruationem adeſſe, vt illud ipſum medicamentum accipiatur, quòd aptum ſit fluxum illum expellere, ne aliud expellatur, aliàs mors importaretur, nec non vt terminus quantitatis non excedatur, ita vt doſis par ſit morbo in efficacia. Notandum quoq; eſt, ſi ſigna virium nimium receſſiſſent, & non adeſſent, ſed deficerēt, non debere tunc ſeruari hunc proceſſum, imò conſtipatio fiat & cōſtructio citiſſima. Ideoq; rectè hoc loco Hippocrates dixit, & ſi ei obtemperes ita

Dyſſenteria cura.

ita eſſe experieris. exempli & teſtimonij gratia hæc affero: SCAMONEA curat dyſſenteriã: alcali de SERAPINO curat profluuium: SPLEN caſtrati ſiſtit fluxũ menſtruum: extractio HELLEBORI vomitum phlegmaticum tollit: atque hæc omnia per expulſiuam virtutem operantur. Teſtatur quoque Hippocrates, ſi per ſe omnia ſint expurgata, ita vt nihil amplius adſit, quod conſtipatio fieri debeat: illa autem fiat per SPIRITVM VINI ſumptum cum fragmentis pretioſis & corallis, qui hæc omnia ſiſtit. Quin & hoc verum eſt, alia conſtipantia, quæ tali conſtructioni minimè adhiberi debent, contra ordinem naturæ poſt ſuam conſtipationem colicam parere tumores, hydropem, paralyſin, & plures ſimiles morbos: ideo aptiſſimis conſtructiuis vtendum eſt, vt hæc euitentur.

Sic & vaſorum inanitio, ſi qualem fieri oportet, fiat, confert, & facilè ferunt, ſin minus contrà accidit.

Quando in homine inanitio acci-

dit, quæ quidem tam eſt poſſibilis, ac fluxiones oriri, tunc ſimiliter ac cum fluxibus procedi debet, nempe ſi aliquid exiccandum reſtat, & exhauriendum, fieri id debet, ſin, impediri id debet. Sæpè enim natura in ſeipſa ſuperfluum aliquid inuenit, idque per ſe conſumere nititur & exiccare: hac autem operatione incipiente, ægrotus corpore decreſcit, quod non debet fieri: medicus tamen non debet conari, vt hanc conſumptionem impediat, imò potius naturam adiuuare debet, vt melius propoſitum finem aſſequi poſſit, atq; ita conſumptio iſta medicina eſt, quæ nullo modo impediri debet.

Quòd ſi autem natura nimia eſſet in conſumendo, tunc auerti debet, & ab illo propoſito in aliud dirigi. Hippocrates itaque hoc loco egregiam doctrinam tradit, ſed medicamenta huius doctrinæ non adiungit: ego autem ex medica experientia hoc ei teſtimonium do, NATVRAE AVXILIVM IN AVRO CONSISTERE, SI ILLVD PER PROCESSVM VINI FORTIS IN

Naturæ cõfortatio.

IN LIQVOREM REDIGATVR.

Proinde ratio habenda eſt,& temporis.

In hac autem medici operatione iuxta doctrinam huius aphoriſmi, Hippocrates admonitionem ſuggerit, quid medico conſiderandũ ſit, nempe tempus & hora, ſcilicet quomodo quæuis hora, non vna ſolùm, per ſe conſtituta ſit: mutantur enim quotidie tempora, nec non quid ferat natura, quid medicina, quid ſigna, vt iuxta illa ſe omnimodè componat, illis reſiſtat vel obſequatur, non temerè & fortuitò, ſed cum prudentia, ſcientia & bono intellectu veræ & idoneæ medicinæ. *Prudentia medici.*

ET TEMPORIS.

Aſtra tempus regunt: aſtra autem inſunt elementis,& in elementis habitant, ſicut anima in carne & ſanguine, & ſicut ſpiritus in corpore, & medicina in herba: herba enim non eſt medicina, corpus non eſt anima, ita nec elementa ſunt aſtra, nihilominus opera- *Aſtra elemẽtorum.*

tio &effectus procedit ex quatuor corporibus elemētaribus. Ideo medicum decet eſſe peritum Aſtronomū, vt ſciat quid tempus ferat, auferat, integret, frangat in rebus naturalibus, vt illi reſiſtere poſſit.

ET REGIONIS.

Quælibet regio ſpecificum aliquid habet.

Porrò etiam conſiderandum medico eſt, quali in regione ægrotus ſit, hoc eſt, quàm ſingularem proprietatem & naturam regio illa habeat: vna enim prouincia differt ab altera, vna terra ab alia: ſic & lapides, vina, panis, carnes, &c. hoc eſt quælibet regio peculiarem naturam & ſpecificam habet vltra generalē proprietatem, quam totus mundus habet, hanc proprietatē bene conſiderare debet medicus. Idcirco etiam Coſmographū & Geographum eum eſſe oportet, easque artes optimè nouiſſe: quales autem illę ſint, & quid doceant, vnà cum Aſtronomia, non opus eſt in commentario deſcribere: nam in ſuis voluminibus hæc quærenda ſunt, quomodo ſcilicet ad medicum pertineant.

ET

ET AETATIS.

Huius rei eiuſmodi exemplum accipite, pono caſum, puerum laborare febri quartana, ſimiliter adoleſcentem, virum, ſenem, horum quilibet peculiarem curam requirit, cùm tamen cura per ſe ſit vna eademque, nihilominus diſcrimina aliqua ſunt in addendo vel detrahendo. Medicus igitur diſtributionem ætatum hominis conſiderare debet, nec non ætatis medicinæ, ætatis morborum, & ætatis ipſius temporis: cùm enim mundus fuiſſet annos mille, facilius curari homines potuerunt, ante duo millia annorum melius, ante tria millia adhuc melius, & quò propius nos acceditur, eò deteriores fuerunt morbi. Omnes igitur ætates bene conſiderari debent, videlicet horarum, temporis hominis, mundi, morborum, &c.

ET MORBORVM.

Similiter etiam morbus per ſe conſiderari debet, quid ſit, qualis ſit, atque hæc exactè cognoſcantur,

non opinando aut putando: dicit enim ἐπιβλέπειν, id quod medicè eſt deliberare, cognoſcere, ſcire, non dubitare, ambigere: vbi enim non eſt certitudo hæc, ibi etiam cura incerta eſt.

Concluſio. Vult autem Hippocrates medicum ita intelligere ſupradictos quinque articulos, non in hoc ſolùm aphoriſmo, imò in omnibus alijs morbis iſti articuli ſunt neceſſarij. Norit igitur medicus vbi diligētiam adhibere debeat, vbi non, quādo & quando non, ne diligens & curioſus ſit vbi non opus eſt, & vbi opus eſt negligens ſit. Talem igitur decet eſſe medicum, vt artem ſuam exerceat cum bona & recta contemplatione eorum, quæ ad ægrotum pertinent, idq; à ſtudio ægrotum ſanandi, fruetur ita contemplatio bono ſucceſſu: à ſupremo enim medico regitur, qui eam fortunat, & recta ſemita deducit.

APHORISMVS
tertius,

Athletarum plenior corporis habitus, ſi ad ſummum ſit perductus plenitudinis gradum, lubricus eſt. neque enim eodem per-

permanere aut conſiſtere poteſt: cùm verò non conſiſtat, nec iam poſſit in melius proficere, ſupereſt vt recidat in deterius. Quamobrem plenior ille corporis habitus haud cunctanter eſt ſoluendus, quò corpus nouæ nutricationis initium capiat: non tamen vacuando eò vſq; pergi velim, vt vaſa in ſe penitùs conſidant: hoc enim tutum non eſt, ſed quatenus natura feret, eo progredi oportet. Sic & extremæ vacuationes periculoſæ: contraq; repletiones extremæ ſimiliter periculoſæ ſunt.

Cùm Hippocrates de morbis loquatur, in hoc aphoriſmo etiam eorum morborum mentionem facit, quæ vſque ad ſummum tendunt, & quando in ſummo gradu ſunt, tunc miteſcunt & tolerabiles fiunt in ſpeciem, ſed fallaces ſunt: tandem enim redeunt. Quãuis enim eiuſmodi ægroti videantur eſſe hilares, tamen in illa quiete & lætitia permanere nequeunt, & quies illa ſi quæ adeſt, non in bonum cedit, ſed in peius: in morbi enim tyrannidem recidunt. Scitote igitur Hippocratem hoc in loco rectè locutum: qui-

Grauium morborũ quies repentina non bona.

libet enim grauis morbus, qui alienis ſignis præditus eſt, difficulter curatur: exempli gratia, epileptici quamprimũ incipiunt quiete frui cum lęto indicio, tũc citò morbus redit: ſimiliter in morbo S. Viti, quando morbus eſt in ſupremo gradu, tunc exultant, & ſic in aliĳs morbis plurimis, qui ad mortem tendunt, vbi cùm optimè valent, mors lecto aſtat. Mors enim & quies ſanitatis non poſſunt ſimul eſſe: quòd autem quies venit, id fit ratione naturæ, quæ exiſtimat ſe mortem aut morbũ ſuperaſſe, quieſcẽte interim morte vel morbo, & expectante terminum propoſiti ſui: cùm autem ægrotus lætatur, tunc morbus rurſum conſurgit, & contra ſanitatem pugnat: quando hoc modo aliquantultum progreſſus eſt morbus, tunc iterum quiſcit, & videtur adeſſe bona valetudo, ſed fallax ea eſt. Hi læti habitus ſigna ſunt morbi diururni aut mortis.

Quamobrem plenior illa corporis habitudo cunctanter eſt ſoluenda.

Cura igitur iuxta ſententiam Hippocratis

pocratis,eſt,vt læta illa ſigna,quæ tam bonæ ſpei ſunt, frangantur, hoc eſt, vt in morbum tranſmutentur, ita vt nihil læti conſpiciatur amplius,idque citò faciendum. Siue enim ad mortem, ſiue ad fixum morbum res inclinata eſt, properandum eſt: quamprimùm enim in fixis morbis ſigna dimidium annum durant, non amplius vulgaribus medicamentis ſubijciuntur: quòd ſi in morbis letalibus ter redeant, vſque ad mortem durant. Idcirco ſtatim omnia in morbum ſunt conuertenda, qui curę obſequitur,& alicuius ſpei eſt.

Vt corpus nouæ nutricationis initium capiat.

Cauſa cur properandum ſit, eſt, vt corpus ex natura ſua prius cibum accipiat,quàm morbus accedat,& cibum inficiat priuſquam fruatur eo: ſi enim corpus in cibi ſumptione poſterius ſit, tunc peruersè res agitur:ita enim morbus paſcet corpus & non natura, ſicut ordinariè fieri debebat: à morbo autem nutriri,totum corpus inficit.

Non tamen vacuando eò vſque pergi velim, vt vaſa in ſe penitùs conſidant: hoc enim tutum non eſt, ſed quatenus natura feret, eò vſque progredi oportet: ſic & extremæ vacuationes periculoſæ ſunt.

Non bonum eſt etiam ſignum, ſicut ſuperiora, ſi compreſſio fiat vel coanguſtatio, ſiue à morbo ſiue à medicina: ſimiliter ſi purgatio fiat propter accidentia, ea quoque non conueniret: morbus enim vel ad mortem, vel ad fixam naturam diſpoſitus eſt. Quòd ſi igitur illa accidentia tollere coneris, ea quæ in toto corpore ſunt, ad cor penetrabunt, & res peior erit quàm prius.

Et contrà repletiones, ſi extremæ fuerint, ſimiliter periculoſæ ſunt.

Quamuis poſt ſumptam medicinam ſanitas aliqua cōſequeretur, ea tamen non eſt conſtans: quamprimùm enim aliquod priorum ſignorum redit, nemo ea iterum delere poteſt vt in principio, imò ita rem relinquere & Deo committere oportet: natura enim hîc atteritur, debilitatur & euaneſcit, & abſ-

abſque omni auxilio recedit.

APHORISMV
quartus.

Victus tenuis & exquiſitus in morbis longis ſemper, in acutis vbi non conuenit, parum tutus eſt: & rurſum victus, qui ad extremam peruenerit tenuitatem, moleſtus eſt, ſi quidem quæ ad ſummum peruenerint, repletiones moleſtæ ſunt.

Sententia Hippocratis eſt, quòd in difficilimis & maximè diuturnis morbis mediocris & decens diæta ſeruari debeat: quòd ſi id non ſatisfaciat, periculum eſſe ne æger difficulter curetur: quòd ſi ad extremum diætam adhuc ſubtilius & arctius conſtringere velis, metuendum eſſe, ne illud quoque fruſtrà fiat: & poſtremò ſi repletio inducatur, ita vt morbus ſeipſum repleat, & non dięta, illud quoque malum eſſe ſignum. Verum certè eſt, quemlibet morbum, ſiue mortalis ſit, ſiue aliàs diuturnus, nõ indigere peculiari diæta: natura enim cibum nõ appetit, imò morbi adeò plena eſt: idcirco quando

Vbi diæta ſtudendum ſit.

dieta mediocris non iuuat, ſignum eſt, non dieta, ſed medicina agendum eſſe: vbi enim morbus ſeipſum paſcit, ibi dieta non opus eſt, ſed ſola medicina: morbi enim ſeipſos replent perinde ac ſi quis ſeipſum nimio cibo obrueret, ita etiam morbus ſaturatur. Hippocrates tamen hoc in loco de nulla medicina loquitur, nec morborum nomina apponit, ſed ſolummodo generalem aphoriſmum facit, qui omnibus morbis conueniat, quaſi diceret, ſi in magnis morbis contingat, dietam nihil proficere, tunc dietę non eſt ſtudendum, quin potius medicinæ omnis opera impendenda eſt: natura enim ſeipſam paſcit adeò vt & plena ſit. aliud nihil docet hic aphoriſmus

APHORISMVS quintus.

In tenui victu peccant ægroti, quò ſit, vt magis lædantur, ſiquidem quoduis peccatum grauius hîc, quàm in paulo pleniore victu eſſe ſolet: eadem de cauſa ſanis etiam valdè tenuis ſtatáque & exquiſita

ta victus ratio parum tuta: quia errata grauius ferunt. Quare tenuis exactúſque victus paulò pleniore exiſtit maxima ex parte periculoſior.

Vult hoc in loco Hippocrates ęgrotos non debere vti ſæuera dieta, aut multum ei tribuere: qui verò contrà faciunt, & per dietam multum efficere volunt, ij magis ſe corrumpunt. Obſeruate autem cauſam quare id dicat: Morbus qui tali dieta curatur, non curatus eſt: deſinente enim dieta redit morbus & creſcit denuò: non enim dieta, ſed medicina curare debet: idcirco ægroti in ſeipſos delinquunt, cùm morbos fame pellere conantur: morbus enim nulla fame pellitur: dieta quidem ſeruari debet, non vt cura, ſed vt naturam idoneam conſeruet, vt ſuas actiones eò melius perficere poſſit.

Non famę, ſed medicina morbi curandi.

Dietæ vſus

Siquidem quoduis peccatum grauius hîc, quàm in paulo pleniore victu eſſe ſolet.

Quando igitur peccatum aliquod

committitur in medicina, ſicut de diæta dictum eſt, tunc non parua mala efficiet, imò magna incommoda inuehet, & maiora quidem ſi ægrotus per ſe ſubtilis ſit, quàm ſi craſſus ſit: notate igitur craſſum melius eſſe híc quàm ſubtile: craſſities enim plus roboris habet quàm ſubtilitas. Vbi igitur robur eſt, ibi pergendum eſt, illudque minimè denegandum: ſi igitur in rapis plus eſt, quàm in *, tunc rapæ dari debent non *, hoc eſt, ægrotus non ſubtilibus diætis ſanari debet, ſed potius eiuſmodi cibis, in quibus plus virium eſt.

Vbi diæta liberalior eſſe debeat

Eadem de cauſa ſanis etiam valdè tenuis, ſtataq; exquiſita victus ratio parum tuta: quia errata grauius ferunt.

Quin & hoc vobis pro admonitione accipiendum eſt, ne ſanos homines adeò ſubtili diæta nutriamus, ſed potius cibo efficaciori, nec ad amuſſim ſeruari diæta, aut iuxta numerum dimenſum, imò varia concedere permittamus non certa quædam. Quando enim in morbos incidunt, eò melius, cibos craſſiores ferre poſſunt, & citius ſana-

ſanabuntur, quàm ſubtiles homines. Qualis igitur eſt cibus, talis etiam fit natura, quæ ſi à cibo ſubtili nutrita ſit, in medicina parum adiuuat: ſi verò à cibo robuſtiori ſit paſta, tunc medicinam egregiè ſubleuat.

Quare tenuis exactusq; victus paulò pleniore exiſtit maxima ex parte periculoſior.

Idcirco medicus non multum ſtudebit dietis ſubtilibus, nec multũ per eas efficere conabitur, quin potius hoc cogitabit, dietas eſſe fallaces, medicúmque decipere, quando ſubtiles ſunt: auxilium enim medicinæ debitum negligit. Non igitur docet Hippocrates, vt medicus vel ægrotus dietæ incumbat, & per eam multum efficere conetur, ſed vt dietam præſcribat, quæ naturæ ſit conueniens ad eam roborandam, eaque ſit craſſior dieta: ſtudium autem præcipuum collocet in medicina, quæ poteſtatem habet ſanandi ægrotum, hæc ad id creata eſt, non dieta.

APHORISMVS ſextus.

Ad extremos morbos extrema exquiſitè comparata remedia optima ſunt.

Hoc in loco Hippocrates quandam prophetiam ponit, nempe quòd poſtremis temporibus, extremæ medicinæ adhibebuntur, idq; ita intelligendum eſt: à principio ſuo vſque ad finem res quælibet ſemper fit magis magisq; adultior, robuſtior, peruicacior, & quò propior eſt fini, eò eſt vehementior. exempli gratia, ſeritur glans in terram, illa igitur magis magiſque creſcit, donec tandem poſt multos annos magna fiat arbor. Hæc igitur arbor in initio cultro poterat excindi, nempe cùm adhuc eſſet ferula: pòſt verò magna opus eſt ſecuri ad eam ſecandam. in initio puer eam potuiſſet diſſecare, pòſt verò duo vel tres viri adulti ſatis laboris habent, vt eam excindant. in initio momento oculi diffiſſa fuiſſet: pòſt verò vix in aliquot ſeptimanis diſſecari & findi poteſt. Ita etiam ſe res habet cum morbis, qui incipiunt oboriri leuiuſculè,

uiuſculè, & tandem adeò adoleſcunt, & vehemētiores magis, magisq; fiunt, donec tandem in EXALTATIONEM ſuam deueniant. in principio leuis medicina eos curaſſet, pòſt verò minimè poteſt. Dicit igitur Hippocrates, medicinam adhiberi debere iuxta gradus, hoc eſt, morbo primi gradus, primi gradus medicina: medio medij, extremi extrema & fortiſſima medicina debetur. Scitote autem gradationem medicinæ iuxta hoc exemplum debere intelligi, ſi quis laboraret hydrope, isque eſſet in initio: hinc ſequitur leui & facili via eum curandum, nempe per pilulas de ſerapino, de gummis, &c. quando autem morbus augetur, & ad medium peruenit, tumorque fit maior, tunc medicina prior non amplius valet: oportet igitur aliquid fortius adhiberi: morbus enim eſt fortior, & præterea aliqua ſymptomata habet, quæ & ipſa reſpicienda ſunt in cura: quando autem ad ſummum gradum peruenit, tunc ægrotus totus tumet, breuis eſt anhelitus eius, caput & alia membra valdè dolent: hęc

Gradus morborũ & medicinæ ſint æquales.

omnia ſimul conſiderari debent, & ità præparanda eſt medicina, quæ ſiti, anhelationi, & omnibus membris conducat, illaque erit extrema medicina. Differunt itaq; medicinæ morborum cùm in principio ſunt, ab ijs quæ in fine ſunt: aliter enim ſe habet principiũ, aliter medium, aliter finis: ſcire igitur decet medicum, quomodo medicina eò redigenda ſit, vt & in extremis morbis valeat: exempli gratia, pilulæ de ſerapino & de mezereo iuuant in initio, ſed non in fine: ſi autem eas in quintam eſſentiam tranſmutes, & in altiori gradu colloces, tunc & extremo morbo medebuntur. Si enim morbus aliquis vſque ad extremum creſcit, & in initio medicinam ſuam habet naturalem, ſcitote certò quòd illa medicina per artem etiam exaltari poſſit, vt ſemper in pari gradu ſit cum morbo. Medicus igitur ſcire debet id, quod medicina patefacit, ſibi imitandũ eſſe, nempe per Alchymiam, quæ ars hæc omnia præparare & perficere docet.

Exaltatio medicamentorum

APHO-

APHORISMVS ſeptimus.

Cùm itaque morbus peracutus eſt, extremos protinus labores habet, ſumméque tenui victu eſt vtendum: cùm verò non eſt, ſed pleniorem victum licet exhibere, tantùm de extrema victus tenuis ratione remtittendum eſt, quantum morbus extremis eſt remiſſior.

Quilibet morbus acutus, qui cum ſumma anguſtia ingruit quaſi mors, qualis eſt peſtis, mania, & alij plures, quando inuadit aliquem, ſtatim ſecum inducit extremos languores, ſummóſque dolores: exempli gratia, febris in principio mitis eſt: vis autem ipſius magis magisque augetur, donec tandem peſſima fiat: ita de his morbis intelligendum eſt, quando inuadunt aliquem, tunc ſtatim ſummi dolores in initio adſunt, ita vt morbus & dolor in initio & fine vnum & idem ſint, hoc eſt ſtatim cum principio adeſt mors cum omnibus ſuis conditionibus. Dicit igitur Hippocrates, quando eiuſmodi

In morbis repentinis & intenſis cibus tenuis conuenit.

acuti morbi incipiunt, qui initiò peſſimi ſunt, tunc cibo tenuiſſimo & leuiſſimo paſcendus eſt ęgrotus: cauſa eſt, quòd vbi talis morbus eſt, ibi omnes naturę vires pugnāt cum morbo: ſi igitur natura non ordinario cibo & cautè paſceretur, tunc cibus digeri non poſſet: natura enim ægrotum in pugna cum morbo non deſerit: quòd ſi autem cibus indigeſtus remaneret in ventriculo, alius inde morbus ſequeretur, & morbus ita duplicaretur. Cibus igitur dandus eſt tenuis & leuis, qui ſponte ſua pertranſeat, non indigens multa digeſtione, quales ſunt iuſcula & legumina ac pultes, tales naturam in curſu & pugna ſua non impediunt: ſi autem non tanta ſit vehementia morbi, ibi pro ratione ægroti cibus dari poteſt liberalius. Neceſſe autem eſt adhuc vnum ſcire, quanquam eius Hippocrates nullam faciat mentionem, nempe quòd in eiuſmodo morbis dieta vel cibus debeat ſimul eſſe medicina, quæ naturam adiuuet. exempli gratia, ſi peſte quis correptus eſſet vel pleureſi, tunc cibum oportet expellere,

Cibus et potus optimus, qui ſimul ſit medicus.

pellere, vt natura exoneretur & liberetur, idque fieri debet per AVRVM DIAPHORETICVM, & per TARTARVM DIAPHORETICVM, quanquam hæc medicinæ non cibi eſſe videantur, ſed cibus & potus ſunt: qui enim illis nutritur, non moritur fame, etiamſi nihil comedat, quantumuis parum de ſupradictis accipiat: ſciendum igitur has eſſe medicinas ſimul & nutrimenta, & in tali nutrimento ſummum arcanum latet. *Vide Archidoxorũ prologum.*

APHORISMVS octauus.

Cùm morbi vis eſt maxima, tum vel tenuiſſimo victu eſt vtendum.

Quilibet morbus, qui in ſummo gradu eſt, tenerrimè tractari in cibo & potù debet, ne ſcilicet tali ægroto detur cibus, qui corpus penetret aut delectet, quales ſunt aromatici, delicati cibi, piſces, gallinæ, &c. vbi enim tam boni coqui ſunt, ibi natura oblectatur &

morbum deſerit in ſuo conflictu, delitiasque appetit, atque ita ſeducitur, cibi non delicati ſunt optimi in hac dieta. Similiter nullum forte & exiliens nimium dare debet: ſicut enim cerebrum inebriat & debilitat, ita omnia quoque membra debilitat, ideo dari debet vinum leue, in quo natura nullum robur quęrere poſſit: & quamuis naturæ aliquid boni dare velis, id tamen non ſit copioſum. Quin & hoc vobis notandum eſt, quanquam Hippocrates, id non dicat, lacticinia & alios cibos, qui morbum ad ſe trahunt, morbum tollere, cùm eum ſecum per vrinam & ſedes euehunt, vt in icteritio morbo GRANVM IVNIPERI egregius cibus eſt ad paſcendum ægrotum vnà cum aliis cibis, nec non AQVA DE CERASIS peculiarem vim habet, ſi bibatur in alio potu. Medicum igitur ita decet eſſe prudentem, vt dietam non ſolùm in certo pondere potus & cibi conſtituat, ſubtiliſſimosque cibos deligat, ſed vt potius cibos illos accipiat, qui ſimul medicina ſunt, illis fruatur ægrotus: illi con-

Cibi debet ſimul eſſe medicina.

conueniunt morbis illis, qui in ſtatu ſuarum virium ſunt.

APHORISMVS nonus.

Sed & ex ægroto coniecturam facere oportet, an is cum præſcripto victu perſtet vſque ad morbi vigorem, & an prius deficiat, imparq́ue cum tali victu ſuccumbat prius, quàm cedat morbus & obtundatur.

Oportet etiam medicum conſiderare, vbi dieta aliqua nihil iuuat, ne diutius in ea perſeueret, ſed medicinam admoueat, ſiue ea cibus ſit, ſiue non: illud enim maximè neceſſarium eſt, quomodocunque agatur. Cùm autem Hippocrates tot verba faciat de dieta, ſciendum vobis eſt, non eſſe intelligendum ſolummodo cibũ & potum, quibus ſummopere ſtudent medici Italici & Gallici, imò aliter dieta hîc intelligenda eſt. Hippocrates enim dietam non ſolùm ad nutriendum rectè corpus requirit, ſed potius vt curet. Decet igitur medicum conſiderare, quæ virtus inſit cuilibet cibo, ita vt eos cibos *Cibi medicati & eorum doſis.*

APHORISMVS decimus.

Quibus igitur vigor ſtatim futurus eſt, eos tenuiter ſtatim habere oportet: quibus autem poſterius, & in ipſo vigoris tempore, & paulò ſub ipſum de victu demendum eſt: anteà verò plenius alendi ſunt, vt perferre queant.

Oportet etiam medicum ſcire, quando cibandus & potandus ſit ægrotus, idque ſumendum ei eſt ex morbo ipſo, prout is fuerit affectus: hoc ita intelligite, cùm nutritio ægrotum non curet, ſed ſola medicina, in ipſa quoque fundamentum erit dietæ: ideo Hippocrates vult dicere, quomodo medicina adminiſtrāda ſit, quibus temporibus, quantum de ea: non enim ſemper natura medicinam amplectitur, ſed interdum tantùm, interdum verò non, vt iuſta hora eligatur, in qua natura appetit medicinalem potum & cibum. Cùm enim paroxyſmus viget & morbus intumuit, tunc natura nullam dietam accipit: eſt enim faſtidioſa. Vult igitur Hippocrates, medicum

debere animaduertere tempus idoneũ ad adminiſtrandum naturæ, de his loquitur, non an pira, poma, iuſcula, aut alia danda ſint.

APHORISMVS vndecimus.

In ipſis paroxyſmis cibum adimere oportet: præbere enim noxium eſt, & cùm per circuitus redeunt morbi, in ipſis acceſſionibus abſtinendum eſt.

Iſte aphoriſmus, vt ſuperiores, intelligendus eſt de eo, quando natura non eſt prompta, non dandum ei eſſe cibum, ſed tantùm illo tempore quando ei commodum eſt: eſt enim tempus aduerſum, & eſt tempus conſtans. Cùm enim morbus naturam & vim ſuam exerit, non bonum eſt cum eo agere, ſicut cum viro irato nihil agi poteſt: quando autem cum eo aliquid agendum eſt, oportet expectare, donec præterierit ira, tunc eſt intelligens, vt ſermonem & reſponſa tua percipere poſſit, & alacriter reſpondere, &c. quæ omni-

omnia in ira naturæ fieri nequeunt. Similiter etiam intelligendũ eſt de morbis exacerbatis. notare igitur periodos, paroxyſmos & acceſſiones, omnes eſſe naturæ iram eiusque furorem, quanquam aliud genus iræ ſit periodus, aliud acceſſio, aliud paroxyſmus, aliud exacerbatio, omnia tamen hæc ira naturæ ſunt, orta ex offenſionibus, quas natura à morbo pati cogitur, aut morbus pati cogitur à natura: vtrinque enim ira oboritur. Sciat igitur medicus iram aliam eſſe naturæ, aliud quoque eius tempus ſeu ſanitatis: aliam verò iram eſſe morbi, quando ille ſe oſtendit. hæc reſpicere decet medicum, vt videlicet iuxta tempus & horam agat, nihilque importuno tempore incipiat. *Paroxyſmus quid ſit.*

APHORISMVS duodecimus.

Acceßiones verò & conſtitutiones morborum indicabunt, tum morbi ipſi, tum tempora anni, tum periodorum proportionis inter ſe obſeruatio, ſiue eæ quotidie, ſiue maiore interuallo fiant. Sed & ex ijs, quæ

poſtea apparent indicia ſumuntur, velut in pleuritide ſputum, ſi ſtatim initio appareat, breuem fore denunciat: ſi verò poſterius conſpiciatur, longam. Quin etiam vrinæ, alui fæces, ſudores, criſi, difficiles aut faciles, nec non breues aut longos fore morbos cùm ſuperueniunt, demonſtrant.

Morbus ipſe ſuas certas acceßiones et diſcrimina habet.

Vt medicus cognoſcat naturæ iram in paroxyſmis, conſiſtentijs, periodis, acceſſionibus, &c. primum omnium morbum ſibi proponat, eumque funditus perſcrutetur, quo cognito, horam & diem ſciet quando naturæ ira incipiat, aut morbi etiam: & hinc ei notum erit, quomodo ei anteuertendum ſit, & quando, ita vt mediante medicina vtraque ex parte ira euitetur. Non ſolus autem morbus id facit, ſed & ipſum tempus naturæ & morbi iram ſignificat. exempli gratia, noſti aliquem febri laborare, & ex arte & experientia agnoſcis eam tertianam: iam igitur te ſcire oportet febris conſuetudinem à principio vſque ad finem, quando quies non ſit futura. Similiter ſi febris accidat in autumno aut

Tempus.

hye-

hyeme, tunc quartana eſt, id docet tempus: ita quilibet morbus ſuum certum tempus habet, in quo oritur, de menſe ad menſem, ab vna luna vſque ad aliam, ab ortu Lunæ vſque ad occaſum eiuſdem, & ſic de omnibus firmamentis, quæ quidem tempus ipſum ſunt: lux enim & tenebræ tantùm ſunt nox & dies, non tempus, ſed tantùm diuiſiones temporis, firmamentum dat tempora anni. Qui igitur firmamentum nouit, is etiam ſcit quínam morbi ſingulis annis ſint venturi: hæc decet conſiderare medicum, nec non planetarum circulationes, & progreſſus & regreſſus ſtellarum mobilium, quæ alio atque alio modo ſuum curſum habent, nouaq; tempora pariunt, & res augent vel debilitant: quomodo ſcilicet illarum effectus miſceantur. Simili modo ſe habent morbi, qui reguntur ab aſtris, vt ſtultus aliquis, & ſicut aſtra erunt & ſe habent: ita etiam ſtultus cum ſuis rebus hinc inde inconſtanter vagatur, ſemper alius. Tales igitur morbos medicus nouiſſe debet: hoc enim modo

præueniendum erit iræ, ſicut dictum eſt, quod quotidie aut tertio quoq; die ea accidere poſſit.

Quin & hoc medico ſciendum eſt, morbos per ſe ſua ſigna dare, ex quibus medicus intelligere poſſit, an diuturnæ ſint futuræ vel non: nullus enim eſt morbus, qui non ſigna in ſe gerat ſui exitus & mutationis, ex quibus cognoſci poteſt, ſicut natura aliis modis ſe notam facit & deſignat. Eſt enim in morbo ſignatura quædam ſicut in homine, vt dicitur, homines ruffi ſunt perfidi, item quò debilior, eò ferocior: eiuſmodi enim ſigna natura fecit, vt homo innoteſceret. Similiter etiam morbus quilibet ſignatus eſt ſuis ſignis, quæ medicum ſcire decet. Dicit igitur Hippocrates, ſi poſt ſigna non ſtatim morbus veniat, ſignificare morbum breuē, ſin ſtatim, ſignificare morbum diuturnum: cauſa eſt, quòd maturatio primò, non vltimò fieri debeat: quod autem maturari debet, breui tempore matureſcere nequit: vis enim maturans in principio, ferè eſt efficaciſſima.

Signatura morborū.

Vrina

Vrina quoq; denotat quorſum tendat morbus, nec non ſedes & ſudores: hæc enim omnia ſunt excrementa earum rerum, quæ ipſe morbus ſunt: cùm igitur ex morbo ſint, ex ipſis cognoſci etiam poteſt, quid circa morbum, vel ex morbo ſit: ſicut enim tabellarius veniens ex peregrinis regionibus interrogati ſolet, quomodo ſe habeant regiones illæ: ita oportet medicum omnimodè experientiam ſuam habere & obſeruationem, vt gnarus conſiſtat ante ægrotum & non ignarus, & vt morbos auertere poſſit, & vt ſciat an diuturnus vel breuis ſit futurus, ac bene vel malè exitum ſuum ſit habiturus. Hæc omnia bene didiciſſe debet medicus in omnibus morbis, & minimè vti generali cõſuetudine, vt vulgus ſolet, quòd iuxta ſuas opiniones tantùm loquitur: medicus autem non debet loqui temerariè, ſed ſcienter & iuxta artem medicam: tam doctum enim eum eſſe oportet, vt à principio vſque ad finem ſciat, quomodo ſe gerere debeat: in ſumma SIGNATVRAM MORBORVM medicum in homine agnoſce- Excrementa.

Signatura morborũ & aſtrorũ influentia medico debent nota eſſe.

re decet, ſimiliter quoque firmamenta, quid in illa, in ipſa tempora infundant, tunc bene ſe habebit.

APHORISMVS decimustertius.

Ieiunium ſenes non decrepiti ferunt facilimè, ſecundum hos ij, qui conſtantem ætatem agunt, minus adoleſcentes, minimè omnium pueri, atque inter eos minimè qui acriori ſunt & viuidiori ingenio præditi.

In hoc aphoriſmo ante omnia hoc exemplum notat: arbor tenera in id inclinata eſt, vt creſcat & augeatur: quòd ſi verò creſcere debet, oportet eam habere aliquid à quo iuuetur in creſcendo, & quod creſcat: abſque illo enim non fiet ponderoſior. Ex hoc ſequitur, naturam, quæ eſt in potentia creſcendi, illud ipſum, ex quo vegetetur, deſiderare: oportet igitur iuniores illud habere, quia creſcere eos oportet, donec ad perfectam ſuam ætatem perueniãt: hac igitur de cauſa puer plus laboris requirit, quàm aliquis adultus, donec

deſinat

deſinat creſcere,hoc eſt vſque ad vigeſimum quartum annum. Dicit itaque Hippocrates ſeniores melius ferre poſſe famem, quàm iuniores: iuniores enim duplici fame afficiuntur, fame ſcilicet creſcēdi,& fame ſuſtentandi: cùm igitur ſeniores non amplius creſcant, ideo fame creſcentis potentiæ non ſtimulantur Iuniores autem fame creſcendi irritantur,ideo ieiunia ferre nequeunt, ſicut ſeniores, qui ſi pro duplici fame comederent, ſeipſos fruſtrà implerent non neceſſariò: ratione igitur potentiæ creſcendi iuniores fame ſtimulantur, eamque tollerare minimè poſſunt, quin potius in morbum inciderent. Quando autem deſinunt creſcere, tunc vera fame afficiuntur, tunc incipiunt apti eſſe ieiunijs: prius autem oportet eos comediſſe plus, quàm ſeniores, ex hac cauſa, quòd natura ipſorum viuidior & ardentior eſt, quàm ſeniorum. Senectus enim magis magisq; faſtidio afficitur & tædio, & natura eorum minus minusq; deſiderat: decreſcit enim velut arbor,quæ appropinquante hyeme vnum folium

Duplex fames in iunioribus

poſt alterum amittit, vnamque virtutem poſt aliam, & quò vicinior eſt autumno, eò minus alimenti requirit, eóque melius carere poteſt, quàm cùm iunior eſſet, ſcilicet æſtate inſtante,

APHORISMVS
decimusquartus.

Qui creſcunt natiui calidi habent plurimum, itaque copioſo cùm egeant alimento, abundè ipſis ſuppeditare oportet, alioqui corpus conſumitur. In ſenibus verò ineſt calidi parum, paucis propterea ſuccendiculis egent, ſiquidem multis extinguitur calidum: ob eandem cauſam etiam ſenibus non ſunt febres perinde acutæ: frigidum enim eſt corpus eorum.

Hoc loco dicit Hippocrates, eos qui creſcunt abundare calore natiuo, & ideò multo cibo indigere, ieiunioq; minus idoneos eſſe: quòd autem potentiam naſcēdi vocat calorem natiuum, hanc cauſam habet: ſicut Sol omnes res inſtigat, & omnia per Solem creſcunt, & SOL ſummum arcanum eſt in igne, & puriſſimus ſummusque gradus

dus elementi ignis, ita vt nulla ſpecies in elemento ignis ſit adeò clarificata & præparata vt Sol, ideoque omnia per Solem maximè creſcunt: ita etiam ſe habet CALOR INNATVS in homine, qui in microcoſmo eſt Sol elementi ignis: per hunc Solem creſcit homo. Vbi igitur Sol iſte fortis eſt, & efficaciter terram ferit, ibi oportet multas eſſe humectationes, pluuias, rores: ſimiliter in homine quoque accidit dum creſcit: nam & microcoſmi Solem fortem humiditates, videlicet pluuiam & rores, hoc eſt cibum & potum copioſum habere oportet. hinc eſt dictum illud, Sol & homo generant hominem, ita vt homo ſit pater, ex quo ſemen eſt: Sol verò vt vis creſcendi in quantitate & robore. Semini igitur humano nutrimentum ſuum dandum eſt: exiccatur enim ſicut arbor, quæ ſiccitatis cauſa areſcit, & humido deſtituitur. Quare ſenes non aliter Solem habent, quàm hyems habet, & ſicut Sol in hyeme terram frigefieri ſinit: ita etiam facit Sol microcoſmi in ſenectute, ſenectus eſt frigida ſicut autumnus. poſtea malè

Calor natiuus eſt ſicut ſol in mundo.

cum ea agitur: & ſint in hyeme & autumno natura ſolem fecit, ita etiam in ſenectute eſt: hyems non eget multa pluuia vel rore: non enim ea conſumere poteſt: ſic etiam ſenectus, ſi multum cibi ei daretur, omne id congelaret in glaciem, hoc eſt, mortem: cùm igitur ſenes ex Vere in hyemem tranſierint, non amplius Verni vel æſtiuales ſunt, non amplius caniculares: ſed autumnales Octobri & Nouembri ſimiles &c. fiunt & manent, ideoque frigidis temporibus non vernis, æſtiualibus & Auguſtalibus temporibus æquiparantur, &c.

APHORISMVS decimusquintus.

Ventres hyeme ac Vere natura calidiſſimi, & ſomni longiſſimi: per ea igitur tempora plus cibi dare oportet, ſiquidem plus natiui caloris habent, quò fit vt copioſiore alimento egeant, argumento ſunt ætates & athletæ.

Cur ventres in hyeme & Vere ſint pinguiores hanc cauſam naturalē ſcitote: Sol quò altior eſt, eò magis frigefacit

facit corpora, hac de cauſa, quòd velut magnes attrahat ad ſe ſui ſimile, hoc eſt hominis microcoſmi ſolem: ſimile ſimili aſſociatur. cùm igitur ſol exteriorem ex homine attrahit. exempli gratia, Luna dominatur Lunæ hominis, quæ in cerebro eſt, ita vt homo Lunę actiones in cerebro ſentiat: ita etiam de ſole intelligendum eſt, quòd ſolem ſuum homini extrahat, hoc eſt, calorem adimat, vt non tam efficax ſit per gradus aliquot, & per tot gradus ſol in homine frigeſit. In hyeme verò ſol non eſt tam efficax in terris, ſed multò debilior, ideo nihil ex homine trahit: ex hoc ſequitur, quòd ſol microcoſmi totus in ipſo maneat, cũ toto ſuo calore, natura & viribus: ideo homo in hyeme fortior eſt quàm in æſtate, quin & omnia membra corporis illo ſole gaudẽt adueniente hyeme, cùm integer cum omni & perfecta ſua efficacia ſol adſit corpori. Huic igitur Soli per hyemem ſatis ciborum dandum eſt, ſat potus: ſol enim iſte ea omnia abſumit, ſicut ſol exterior aquam ex lacuna, aut fouea aliqua exhaurit.

Sol exterior ſolem interiorem hominis in æſtate debilitat attrahendo.

Animaduertendæ etiam ſunt hominum ætates & diſpoſitiones corporũ; diſcrimen enim eſt inter iuuenes, iuniores & maximè iuuenes: ſimiliter etiam inter adultos, ſeniores & ſummè ſenes, planè decrepitos & planè pueros: pro ratione enim ętatis plus etiam ſol ille interior operatur, & ideo plus alimenti expetit. Quin & Athletica corpora hac obſeruatione indigent; prout enim pinguia aut macilēta ſunt, ſol etiam eorum fortis & efficax eſt.

APHORISMVS decimusſextus.

Victus humidus cum febricitantibus omnibus vtilis eſt, tum maximè pueris, & illis, qui tali victu vti conſueuêre.

Calor quem habent omnes febres, non habet ferè nomen, & non eſt ex ſole hominis, ſed eſt alius calor, multò voracior & inſatiabilior, quàm lupus, ſi homini conferatur. Omnis autem calor febrilis igni ſimilis eſt, & ſicut calor ab igne diuerſus eſt: ita etiam calor ille febrilis diuerſus eſt à calore naturali;

rali:ex hoc ſequitur,quòd calor febrilis ſit ſicut lupus vorax,conſumens & deglutiens omnia, & ſola humiditate paſcitur. Scitote igitur febricitantibus multos humidos cibos dandos eſſe, ne ignis ille febrilis naturale humidum inuadat,illudque exiccet,etiam medullam oſſium & membrorum, &c. ſicut ignis lignorum, qui conſumit omnia quæ adſunt,nihil relinquens niſi carbones & cineres. Medicum igitur conſiderare decet gradus ignis iuxta iuuentutem & ſenectutem prout opus erit, ſicut ſanè gradus ſunt caliditatum in vna complexione plus, quàm in alia, in pueris & iunioribus maiores quàm in ſenioribus.

Febricitantibus cur cibus humidus dandus ſit.

APHORISMVS
decimusſeptimus.

Videndum etiam quibus ſemel, quibus bis,plus minúſue & gradatim ſit cibus dandus: dandumverò aliquid tempori,regioni, ætati & conſuetudini.

Vult Hippocrates in dieta non ſolùm conſiderandum eſſe morbum, vt

ægroto iuxta tempus morbi in die ſemel,bis aut ter,plus minúſue cibus detur, prout fert ratio, ſed & ætatis exigentia inſpicienda, & pro ea dieta ordinanda, & præter ſenectutem vel iuuentutem: etiam regionis conditiones, proprietates, natura & eſſentia, & pro ijs etiam cibus & dieta conſtituenda ſunt. Regionis enim natura & conſuetudo ſpectanda & ſequenda eſt & non frangēda in delectu cibi & potus, & quoties natura appetit dandum. Nec non tempus eſt obſeruandum: dietę enim æſtatis nihil valent in hyeme, nec hyemales in æſtate, quælibet habet ſuum tempus: quòd igitur illi tempori vſitatum eſt, in dieta ſeruetur, nec miſceatur aliquid peregrini. Hoc modo regimina diætica ægrotorum conſtituenda ſunt, ſicut Hippocrates docet,& non introducendum eſt aliquid contra hunc aphoriſmum: Hippocrates enim hoc in loco ſincerum medicinæ ſpiritum habuit: medici autem illi noſtri arguti ex Germania Italiam facere volunt, id quod tantùm ex mera ſuperbia faciunt, non co-

Quæ in cibo dando ſpectanda ſint.

cogitant quid ſit medicina, aliàs Hippocratis doctrinam melius ſeruarent.

APHORISMVS decimusoctauus.

Aeſtate & autumno cibi copiam ferunt difficilimè, hyeme facilimè, Vere minus.

Quòd æſtas & autumnus cibum omnium difficilimè digerunt, in cauſa eſt, quòd ſol ſuus homini detrahitur, qui in hyeme & Vere nondum exaltatus eſt. Vbi enim non eſt ſol, ibi nec digeſtio eſt bona: non enim adeſt calor, non adeſt ignis Vulcani appetens, coquens & præparans cibos: ſi igitur multum comeditur, multum indigeſti cibi in homine remanet, ex quo putrefactio naſcitur, vnde veniunt morbi, ſcilicet vermes, apoſtemata, & alia ſimilia incommoda.

APHORISMVS decimusnonus.

Iis quibus per ſtatos circuitus acceſſio-

nes fiunt nihil dandum, nec cogendi ſunt, ſed demendum ante criſes.

Naturæ inuitæ cibus, præſertim ante criſes cũ periculo obtruditur.

Si quis laboret morbo per circuitus redeunte, ita vt dubia mente expectandus ſit morbus, illi nullum cibum dari vult Hippocrates, nec eum ad cibum cogi; natura enim nauſeabunda accipit cibum, & quod inuita accipit, pro hoſte habet, contraque illud pugnat, nec illud digerere vult : ideo condonandum aliquid eſt, ne natura inimicis oneretur, ſed vt iuxta ſuam voluntatem agat. Quin & hoc verum eſt, ſi cibus vltra modum ſumatur, tunc natura eum non digerit, imò perpetuò ſuum hoſtem impedit, ex quo ſequitur, ipſum quoque cibum viciſſim lædere naturam: cibus enim in ſtomacho eſſe cupit, ſtomachus autem eum reſpuit: cibus vult digeri, natura autem digerere non vult: ita cibus vexat naturam, & ſic multò fit miſerior. Quòd ſi id iam fiat, quando morbus ſuam periodum accelerat aut paroxyſmum, ſcitote nihil aliud niſi magnum infortunium ibi expectandum: ieiunando igitur nihil

hil peccatur, ſed paſcendo, etiamſi bono animo & per bonum cibum id fiat, nihilominus tũc temporis mortis cauſa eſſe poteſt: tutiori igitur & certiori potius obſequendum.

APHORISMVS vigeſimus.

Qui iudicantur vel iudicata ſunt, in ijs nihil innouandum, vel medicamentis vel alijs irritamentis, ſed ſinenda ſunt.

Quando in morbo incidit CRISIS, tunc medicus videre & cognoſcere debet, an illa criſis cœperit, aut prorſus perfecta ſit, & an criſis non ſit deterior ipſo ſtatu, ſed in æquilibrio: tunc enim medicus nihil incipere debet, nec ſuis medicinis vti, nihilque rerum nouarum introducere, ſed ſoli naturæ labores committere. Cùm enim victoriam obtinuerit, & criſis ſit æquilibris, ſperandum eſt, naturam deinceps quoque ſuperiorem fore: quòd ſi igitur mutaretur aut peruerteretur, tunc ſua prærogatiua excideret, atque ita labyrinthus fieret, morbusque de-

Naturæ tendẽti ad victoriam non eſt medicinis importunis ſuccurrendum.

nuò vires ſumeret,& peius aliquid,quã prior morbus fuiſſet, naſceretur. Medico igitur hoc notandum eſt: nam & ipſa natura medicus eſt, habens ſuas medicinas & ſuã apothecam,eam medicus non impedire debet,ſed adiuuare:duplex enim eſt medicina, duplex apotheca,duplex medicus, in natura ſcilicet vnus, alter verò extra naturam, hoc eſt in ipſo homine vnus, & extra hominem alius: exterior indulgere debet interiori, niſi videat opus eſſe vt interiori ſuccurratur: arx enim interiori conceſſa eſt, vt ſe ibi teneat & muniat: exterior autem ei auxiliari debet.

APHORISMVS vigeſimusprimus.

Si quid expellendum eſt, ea via expellatur, ad quam maximè tendit, & per loca competentia.

Hoc in loco Hippocrates bonum conſilium dat, quomodo expellenda ſint ea, quæ naturæ non conueniunt: aliqui enim omnia,quæ naturæ aduerſa ſunt per aluum expellere volunt,alij

per

per vomitus,alij per vrinam,alij per ſudorem,&c. quæ omnia fieri non debebant:relinquendæ enim ſunt iſtæ cogitationes,quæ non ſunt medicinales. Scitote igitur medicum primo omnium cognoſcere debere,quò natura tendat:illa enim prior eſt medicus, homo autem poſterior & ſecundarius:vbi igitur natura incipit, ibi medicus ei ſuccurrere debet,hoc eſt NATVRA MELIOR EST MEDICVS,OPTIME SCIENS VBI QVAERENDVS SIT EXITVS COMMODISSIMVS. Si igitur natura per ſudores expellere vult,& tu ſigna ſudoris in virtute expulſiua inuenis, tunc iuua vt per ſudorem expulſio fiat:pleuritis enim & peſtis non per anum, vrinam, vomitum,oculos, aures,aut os expelluntur,ſed commodiſſimè per ſudores: hi igitur promouendi ſunt:per ſudorem enim horum morborum emunctorium eſt, vt per poros ſecedant. Quæ igitur ad ſudores pertinent, ea per ſudores educi debent: & ſimiliter quæ per aluum expelli debent, per eam deriuentur, & ſic de vrina.

Peſtis & pleuritidis per ſudorē curandæ.

Habet autem natura ſua veſtigia, quę ſicubi repereris, illas expelle, nec aliam viam inſtituas: quòd ſi in aliquo loco dolorē ſentis, ibi ſcito naturam emunctorium velle habere: quòd ſi nondum à natura ipſa factum eſt, tu illud fac: naturam enim illud eo in loco habere neceſſe erit: ita natura ad emunctorium ſolum properabit. Quamuis enim nulla emunctoria aperta alicubi eſſent, cùm tamen videas naturam eò tendere & congregare, & exitum quærere, tu alacriter aperi, & naturæ exitum illo in loco relinque vbi vult: vide igitur vt promptus ſis ad faciendum emunctorium pro rei conditione, per corroſiua in podagra, iſchiade, arthritide, &c. penè enim tertiam medicinæ partem obtinet medicus, qui virtutem expulſiuam iuxta naturæ voluntatem dirigere nouit. Sæpe etiam ſuperfluitas adeſt, vt in hydrope, vbi in principio quidem aliquid iuuat, ſi emunctoria fiant, ſed cùm nimia eſt ſuperfluitas non amplius prodeſt: natura enim rem relinquit, vt eſt, ideo nullum ſignum exitus oſtendit: quando igitur

Vbi natura expulſiua virtute ſignū dat, ibi morbo emunctoriū faciendum.

gitur nullum ſignum dat nullū emunctorium fieri debet: ſi enim emunctoria fiant abſque naturæ inditio & voluntate, tunc morbi letales oriuntur, aut morbi diuturni & durabiles. Scitote igitur magnam ſtultitiam eſſe corroſiua adhibere ibi, vbi non quærit exitum natura, quæ in alio loco exitum fieri vellet, ſed iſti eam regere volunt, cùm tamen ipſa ſit dominus, medicus autem ſeruus: & quidem natura tantus dominus eſt, vt non cedat ſeruo vlli, ideo fruſtrà hæc tentantur. Quilibet igitur medicus conſideret, quò natura tendat, ibi expellat, & expulſionem adiuuet. qui harum rerum peritus & gnarus eſt, is perfectè tertiam partem medicinæ nouit, nec pudeat eum dici medicum: meritò enim & honeſtè is eſſe poteſt. Quin & hoc nota, etiamſi medico videatur alicubi emunctorium eſſe, nihilominus obedire debet naturæ: non enim rem perdet, præterquàm quòd naturam aliter deducere nequit, niſi maioribus ſudoribus, & ſimilibus. Sunt autem quidam induſtrij & prudentes medici, qui vnicum tantùm e-

munctorium quærunt, vel ſolos ſudores, vel ſolas ſedes, vel ſolum vomitum: quòd igitur natura vult, id etiam medicus velle debet.

APHORISMVS vigeſimus ſecundus.

Concocta & matura medicari ac mouere decet non cruda, neq; id faciendum per initia: niſi ſuopte cieantur impetu, id quod perrarò fieri ſolet.

Re immatura nemo vti poteſt: quid enim prodeſt immaturum pomum vel pirum? ita etiam nihil incipi poteſt cum morbo immaturo: apoſtema niſi prius matureſcat, nullam medicinam accipit: maturatione autem præcedente, ſequitur eius cura, &c. ita etiam in toto corpore accidit. Si quis enim apoſtema aperiret nondum maturum, id non fieret ſine magno damno & dolore, præterquam quòd multa mala poſtmodum metuenda eſſent: ita etiam in toto corpore accideret: ideo Hippocrates bene dicit, ſola ea quæ matura ſunt expelli debere non immaturá. Porrò autem ſciendum eſt, id quod

non eſt maturū, maturari debere: quomodo autem id fiat, ita intelligite, Ars quædam nouit ATTRACTIVA, quæ clauos, &c. extrahunt, hæc maturare poſſunt ea, quæ aliàs in duobus vel tribus menſibus vix matureſcerent. Quidam etiam morbi in hora ſuæ ſtellæ matureſcunt, ita vt in quatuor vel ſex horis maturi ſint: talia multa naturæ poſſibilia ſunt, quæ medicus nouiſſe debet, vt hoc modo ipſe quoq; morbos maturare poſſit, vt acceleretur expulſio. Eſt & alia via maturationis morborum, vt ſcilicet DVRVM MOLLESCAT, hoc eſt induratum reſoluatur in aquam, ſicut ferrum in aquam reſoluitur, quæ quidem deſtructiones ſunt naturarum, vt ex duricie in mollitiem tendant, ſicut in homine fit, & ea poſtea per ſudorem expelluntur, aut per vrinā, per ſedes, prout morbo conuenit ſuum emunctoriū. Talis corruptio quidē bona eſt & vtilis, ſi rectè intelligatur, vt vera maturatio, quæ certè per ſyrupos non poteſt fieri: non enim reſoluunt in ſua corruptione, ideóque de illis hic non eſt dicendum.

Duplices etiam morbos Hippocrates hîc ponit, ſæuos & iracundos, & non ſæuos: per ſæuos autem illos intelligit, qui punctiones & dolores coniunctos habēt, hoc eſt, loquitur de morbis (non in hoc aphoriſmo tantùm, ſed & in aliis) induratis non furioſis, vt ſunt peſtis, pleuritis, podagra, qui omnes excepti ſunt: qui autē non tam ſæui ſunt & doloroſi, illi maturandi ſunt, & poſtea pellendi: in furioſis autem pergendum eſt qualeſcunque ſunt, prout ſe oſtendūt: ferè enim per ſe maturi ſunt, nec ad maturationem ſuam vlla indigent medicina.

Vbi non ſit expectādā maturatio.

APHORISMVS vigeſimustertius.

Quæ euacuantur, non ex multitudine æſtimanda ſunt, ſed an ea quæ debebant, euacuata ſint, & an ægroti facilè ferant: & ſicubi vſque ad animi deliquium expellendum ſit, id faciendum eſt, ſi modò ægrotus perferre queat.

Non conſideranda eſt quantitas excrementorum, vrinæ, ſudoris, &c. imò potius

potius videndum, an illæ egeſtiones ſint conuenientes & debitæ: ſi enim multum egrediatur, & egeſtiones non ſint debitæ, tunc peculiares morbi adſunt, nempe fluxus ventris, dyſſenteria, diarrhœa, &c. Scitote igitur ſi egeſtiones ſint debitæ & cōuenientes, & opus ſit, tunc in expulſione pergendum eſt, & proderit: ſi autem egeſtiones illæ non ſint iuſtæ, ceſſandum eſt ab expulſione. Si igitur ſedes veræ ſint, tunc ſtrenuè aqua expellenda eſt, vt æger diligenter perquiratur, ſi modò ferre id poſſit. & quamuis aliqua debilitas accedat, non curandum eſt: magna enim ſanitas eam conſequetur. Non igitur glorietur medicus de multitudine ſedium, ſed potius de vera egeſtione: ſunt enim laxatiua quædam, quæ & bona & mala ſimul expellunt: alia verò quæ ſola bona & nulla mala egerunt: magna igitur diſcretione opus eſt, vt accipiatur conueniens & non inconueniēs. Exemplum ſumite in dyſſenteria, vbi ſi debita fiat purgatio, quæ verām cauſam peccantem inueniat, tunc ægrotus ſtatim ſanatur, ſin inconueniens ar-

ripiat, ægroti mors præſens eſt: in purgationibus igitur debita ſimplicia & compoſita ægroto propinanda ſunt, quæ materiam veram & non falſam commoueant. Sed ſtultitia & inſcitia medicorum tanta eſt, vt hunc aphoriſmum non intelligant, & tamen quotidie de eo ſe iactitent: dicunt enim, quomodo poteſt iſte ægrotare, cùm tamen toties purgatus ſit, tot clyſteres hauſerit, & tot ſedes habuerit, &c. Qualis autē eſt hæc oratio? nempe de proprio dedecore veſtro gloriamini, quòd rem non intelligatis, & interim ſedibus operam detis, non veræ agnitioni morbi, ex qua pendet, quid conueniat, quid non: itaque multi, ſi iure publico cum ipſis ageretur, perfidi eſſe conuincerentur.

APHORISMVS vigeſimusquartus.

In morbis acutis rarò, & per initia medicamento vtendum eſt, idq; cum diligenti circumſpectione faciendum.

In peſte, in punctionibus, & ſimilibus morbis repentinis, in principio non

non eſt purgandum: cauſa enim materialis non eſt in ventriculo: quod autem in ventriculo non eſt poſitum,ſed alio in loco, id non debet purgari: purgatio enim non eſt emunctorium eius: & ſic purgatio fieret illo in loco, vbi non deliteſceret morbus, & morbus potius confortaretur hoc modo. Interdum tamen purgatio etiam in his morbis conuenit, vt in peſte,& aliquot alijs,vbi plerunq; etiam ventriculus plenus eſt cruditatibus. ſi igitur materia illa ſuperflua ſe morbo coniungere & aſſociare vellet, colluuiem illam auferas, non tamen ratione ipſius morbi, ſed potius propter ſordes: cum morbo autem aliter procede.

APHORISMVS VIgeſimusquintus & vltimus primæ ſectionis.

Si qualia debent, purgentur, confert & facilè ferunt, ſin contrà, difficulter.

Medicum diſcretè morbos cognoſcere decet, nec id ſolùm, imò morbum

per ſe in ſua eſſentia & proprietate noſſe debet: quin etiam præterea ſi quid in corpore ſit, conſiderare debet, quod ægroto nocere poſſet, ſicut dictum eſt de ſtomacho: ita etiam impedimentum ab vrina incidere poteſt, nec non à ſudore, ab oppillatione, & alijs rebus pluribus, quæ morbum ad pernitiem inclinare poſſent. Hæc omnia auertenda ſunt: ſi autem ea perferre nequeant, ibi labor & miſeria eſt: morbus enim principalis, & alij ſecundarij, qui iam anteà adfuerunt, ad mortem tendunt, aut ad aliud malum: medicum igitur vigilem & circumſpectum eſſe decet, vt bona conſcientia ſciat, quid in his agat.

Finis explicationis primæ ſectionis aphoriſmorum.

THEOPHRASTI PARACELSI GERMAni in ſecundam aphoriſmorum ſectionem commentarij fragmentum, explicans primos ſex aphoriſmos.

SECTIO SECVNDA, Aphoriſmus primus.

Si in morbo aliquo ſomnus moleſtus ſit, mortiferum eſt, ſin vtilis, minimè letale eſt.

HOC in loco Hippocrates omnes morbos ſimul, nullo excluſo, complectitur, dicens, ſi in quocunq; morbo ſomnus morbo conueniens, malè cedat, egrotum debilitet aut infirmet, ſignum eſſe mortis: quòd ſi hæc non faciat, ſed benefaciat ægroto, nullum eſſe periculum. Cauſa huius rei eſt, quòd ſomno indigeamus, quo in xxiiij horis ſemel nos frui oportet, plerunque per horas ſex: iſte ſomnus quietem reddit corpori, adimitq; ei laboris tædium & defatigationem, illudq; recreat, vt denuò labori ſufficere poſſit. Præter *Sex horas dormiendum.*

hunc alij quoque ſomni ſunt, qui non ſunt de natura & ſocietate ſomni iam dicti naturalis, ſed homini aliunde ſuperueniunt, nempe primò per cibum & potum: ſecundò per morbos, ita vt ægroto concilientur à natura & proprietate ipſorum morborum: tertiò per tempus & aſtra, quæ & ipſa ſomnum inducere poſſunt, & hominem alieno & inuſitato ſomno onerare: quartò per certas medicinas, qualia ſunt ſomnifera, narcotica, ſtupefactiua, &c. de quibus omnibus nō opus eſt dicere. Vos igitur hoc in loco Hippocratem ita intelligite, quòd ſomnus, qui vnà cum morbo irrepit, in ęgrotis oſtendat, quid morbi ſit propoſitum, ſuúmque ſignum det, vel ad mortem, vel ad ſalutem, idq; per propriam naturam: expellit enim ſomnū naturalem quieti debitum, & ſuccedit ei: pulſo autem vero ſomno ipſe dominiū obtinet. Sunt autem in ſomno aſtrorum, morborum, cibi & potus, & medicinæ duæ proprietates, vna bona & proſpera ſignificans bonam valetudinem, altera infortunata, hora & tempus, ſomnusq; ad

Cauſæ & genera ſomni.

ad mortem:has duas medicus ex ſignis ſuis diſcernet. Nam & ei,qui ſe cibo & potu non mediocri replet ſuperueniens ſomnus, bonus vel malus eſſe poteſt, vt ſcilicet gutta, paralyſis vel contractura in eum ingruat, aut etiam exhilarat & exuſcitat eum:ſi igitur non commodat ei, ſed officit, eo abſtineat. Similiter etiam in vino grauis ſomnus delitеſcit,qui ſi ægroto dolores pariat, vitet eum, nec bibat, ne ſuperueniat ſomnus, ſin bene tibi faciat, non opus eſt vt illum ſomnum fugias. Ita etiam medicinæ quædam ſunt, quæ in ſe ſomnum continent, ſi eas rectè vſurpes iuxta proprietatem ſuam: qui ſi tibi conducit, tunc medicina bona eſt, ſin, omitte eam, aliàs te occideret. Dicit igitur Hippocrates de ſomno, eum eſſe rem cæcam & obſcuram, ideoque tantùm ſigna eius conſideranda, qualia ſint & quò tendant.

APHORISMVS ſecundus.

Si ſomnus delirium ſedet, bonum eſt.

Pergit Hippocrates de ſomno dicere & affirmare ſi in morbo aliquo maniaco,aut alio rationem perturbandæ, ſomnus remedio ſit deliriumq; ſedet, bonum ſignum eſſe: ſi autem per ſomnũ morbus augeatur,non bonum eſſe. Ita igitur intelligite Hippocratem: Corpus hominis temperaturam ſuam habet,quam retinere debet, ita vt quoduis membrum ſuum officium exequatur,ſuamq; proprietatem habeat,quando hoc fit,tunc homo viribus ſuis pollet & ſanus eſt. In cerebro itaq; etiam quædam vis imperans eſt, quæ rationẽ & cogitationem hominis conſeruat, hęc quando interturbatur,& diſſidium inter vim illam & rationẽ incidit, tunc ratio perturbatur, & ita homo delirat: ſicut ſi duo vnanimes ſint,& nunc propoſiti & conſilij,tunc res quam volunt, perficitur: quando autem diſſident,& quilibet ſuum modulum ſeruare vult, tunc perturbatio ſequitur, quæ ex veſana quadam vtriuſque libidine fluit: quando itaque hi duo per vicinorum interlocutiones ſedantur & concilian-tur, ita vt res tandem obliuioni tradatur,

tur, tunc bene ſe res habet: quando autem illæ conciliationes nihil efficiunt, tunc illi duo hoſtes manent vſque ad mortem. Simili modo hoc in loco Hippocratem intelligite, ſi talis furor in cerebro oriatur, nulla conciliatio iuuat, nihilque aliud conducet niſi ſomnus, ſi is conciliator eſſe poſſit, is optimus eſt, quo ſolus curare valet: quòd ſi ſomnus nihil efficiat, tunc ſignum eſt fixæ & perpetuæ inſaniæ, cui fruſtrà reſiſtitur. De ſomno igitur ſcitote, medico ſummam diligentiam adhibendam, vt induſtriè, artificiosè & peritè cum eo agere poſſit. SOMNVS enim tantum arcanum eſt in Medicina, vt libenter ex aliquo ſcire velim, (abſit dicto error) an & quæ medicina ſit, quæ in omnibus morbis tam præſens & repentinum ſit auxilium, adeóque corpori ad ſanitatem conducat. Somnifera igitur (quomodocunque ea vocentur) à quolibet medico ſumopere cōſideranda ſunt: ſomnus enim medicina eſt ſuperans omnia arcana gemmarum & lapillorum pretioſorū. Qui naturæ ARCANVM SOMNIFE-

Somni & ſomniferorum laus.

RVM ex conuenienti eſſentia deſumptum, rectè applicare nouit, is magni apud ęgrotos faciendus eſt. Non igitur ſolùm de ſomnis naturalibus Hippocrates hîc loquitur, ſed oportet vt eum intelligatis ſicut medicum expertum, qui ex ſpiritu medicinæ locutus eſt, nō vt humoriſta, qui ignorat quid ſit ſomniferum, ſed vt artifex.

APHORISMVS tertius.

Et ſomnus & vigilia ſi modum excedant, mala ſunt.

Hippocrates pergit de ſomno, & ſimul de vigilia, quæ ſomno cōtraria eſt, quorum vtrunq; ſi plus, quàm opus ſit, vſurpetur, nocet. Hoc ita intelligite, quaſi diceret, ſomnus eſt medicina, ſiue ex vino, ſiue ex pane, ſiue ex medicina, &c. oriatur, & ad ſanitatem ægroti confert, ſi non ſit nimius, hoc eſt ægrotus bene perpendere debet ſufficientiam rei cuiuſq;: ſummum enim in medicina eſt ſufficientiam ſcire, non enim hoc ſolū medico conuenit ſcire, quantum

tum ægrotus comederit aut biberit,ſed etiam vt ſciat quantũ excernatur,quan tum in corpore remaneat, ne nimium fiat. ſi enim medicina morbum expellere debet,& nullus morbus adeſt,non manet inefficax,imò aliud quid aggreditur,cum quo non conſonat,illudque perdit,& hinc morbus oritur:ita etiam de ſomno intelligendum eſt, ſi modum & neceſſitatem excedat, quòd homini noceat, membrorum officium impediat,& naturam perturbet. De nimia autem vigilia ſcito, medium debere tenere hominem in omnibus,ita vt de quolibet parum ſumat, vſque ad ſuum terminum, quo præterito ceſſandum eſt. Homo itaque vigilare debet AB HORA QVARTA MATVTINA VSQVE AD HORAM OCTAVAM VESPERTINAM, plus minúſue, pro cuilibet complexionis exigentia. Quòd ſi homo id non faciat, ſed ſurgat non hora quarta,ſed hora decima primùm,totámque noctem inſomnem agit,tunc ordo venis & naturalis rumpitur: Sol enim vigiliam requirit, dum calefacit, quo

Quandiu dormiendum.

occidente, tunc & homo decumbat, & cum ſole iterum ſurgat & decumbat. Hoc ordine omnia regimina conſtitui debent, quæ ad ſomnum & vigiliam ſpectant: quòd ſi contra fiat, ibi morbi peregrini oboriuntur, qui non iuxta ordinem naturæ, ſed contrà ſe habent: ex quo ſequitur etiam naturalem medicinæ ordinem non prodeſſe: morbus enim nō ortus eſt naturali modo, cùm omnia ſuum ordinem habeant. exempli gratia, hydrops ſuo modo oritur, febris ſuo, idcirco etiam medicina hydropis talis eſt, & medicina febris talis, &c. ita vt omnia ſuum ordinem habeant. Cùm igitur hoc loco nullus ſeruetur ordo, ſequitur etiam medicinam eſſe inordinatam, errabundā & incertam, cui minimè confidere quis poſſit: natura enim deſtructa eſt, & abſque ſuo ordine vagatur.. Dicit igitur Hippocrates, malū eſſe, ſi nimium fiat, ſiue in ſomno ſiue in vigilia, ita vt mors inde oriri poſſit, aut morbus perpetuus, quē nemo curare poſſit, aut audacter aggredi auſit: ipſa enim natura in eiuſmodi hominibus irregularibus contremiſcit.

Incommoda peruerſi ſomni & vigiliæ.

APHO-

APHORISMVS quartus.

Neque ſatietas, neque fames, nec aliud quicquam, quod naturæ nimium ſit, bonum eſt.

Hoc loco Hippocrates vult in toto hominis corpore nihil iniquè geri debere, imò omnia debere eſſe certa & ſtata, modumque non excedere. & quidem bene rem cogitauit, quod dicit, æquabilitatem eſſe debere, nihilque nimium. Deus enim ita omnia creauit, vt naturam ſuam nihil egrediatur, nihilq; nimium ſit contra creationis ſuæ ordinem: & naturam eiusq; terminum, ita vt omne nimium ſit venenum: vnus igitur pes tam ponderoſus eſſe debet atque alter, &c. ſic de digitis, vnus pes tot digitos habere debet atque alter: quicquid autem in pondere aut numero ſuperat, ſuperfluum eſt, & morbus eſt: ſi quis enim crus vnum pondederoſius altero trahat, tetrum aſpectu eſt: ſimili modo etiam intus in corpore res ſe habere debet, vt quodlibet membrum ſuum pondus & menſuram

habeat. Duo autē proponit Hippocrates, per quę omnes ſuperfluitates & defectus intelligi poſſunt, nempe nimiam ſepletionē, & nimiam inanitionē, hoc eſt, ſi quis hodie plus, quàm natura ferat, ſe impleat, cras plus, quàm natura patiatur, ſibi detrahat, vtrunq; nihil valet: ſeruandus enim eſt modus certus in numero & pondere, vt in initio ſit in æquilibrio & æquali pondere cū repletione: vtrumcunq; autem alterum ſuperet, id contra naturā agit, nec natura id ferre poteſt. Si enim naturam in ſua eſſentia conſideremus, videbimus omnia ſuum ordinem ſeruare, ſuum numerum, ſuum pondus, ſuum modū, ſuum circulum, &c. ita vt nec excedāt nec deficiant: perinde igitur eſt, ac ſi diceret Hippocrates: videte vos medici, vt omnia veſtra eò dirigatis, vt in homine ſit æquilibriū, nihilq; excedat vel deficiat in dieta, regimine, &c. vt omnia ſint certa & ſtata, & æqualia vtrinq;, niſi hoc cōſideretis, quę agitis, fruſtrà agitis No-

Monachorū ieiunia.

tate igitur aliquot exempla: monaſteria habēt tales leges, ibi ieiunatur ſtato tempore & hora cōtra naturā, ita vt na-

turæ

turę detrahatur ſuum debitũ illa hora. Alia hora nimium habet, vt naturę modus ſuperetur: iſta duo põdera frangũt libram naturæ: alterũ enim nimis ponderoſum eſt, alterum nimis leue: aut etiam tota libra erratur, ita vt tota ſeptimana ſe impleant: die autem Veneris & Saturni panem comedant & ieiunent: aut per totum reliquum annum ſe carnibus infarciant: tempore autem quadrageſimali nullas prorſus vorent. Hæc libra eſt iniqua apud naturam: ſed non ſolùm in hoc ita agunt, verùm etiam in labore & ocio, & aliјs ſimilibus, quæ non opus eſt omnia recenſere. Medicum igitur decet hæc omnia diſpertiri & diſponere, & in iuſta bilance collocare, ne natura ex altera parte nimium, ex altera nimis parum habeat. Similiter de omnibus rebus intelligendum eſt, vbicunq; inæqualitas reperitur: de medicina præcipuè, de qua Hippocrates hîc loquitur, vbi medicus inæqualitatem pro maximo detrimento naturæ accipere debet, eamque æquiparare, ne natura impediatur.

APHORISMVS quintus.

Spontaneæ laſsitudines morbos denunciant.

Hoc in loco Hippocratis ſententia eſt, laborem hominis manifeſtare eius morbos, qualeſcunque illi ſint: vocabulum enim ſpontaneæ non adeò reſpiciendum eſt: cauſa enim & fundamentum hoc eſt. Quando in homine obortus eſt morbus aliquis, non melius illum percipere poteſt, quàm ſi laboret: morbus enim tunc ſignũ aliquod dat ſui, quod ſignum medico indicari debet, qui huius rei peritus eſſe debet, quis morbus adſit. Iſte autem aphoriſmus tantùm propter eos morbos poſitus eſt, qui ſeipſos non produnt aliter, quàm inquietudini & labore, per quæ ad ſigna danda coguntur. exempli gratia, laborat aliquis calculo, arena, bolo, &c. non autem ſentit hunc morbum, nihil tale de ſe ſperans: ſi autem nimio itinere defatigetur, aut nimium ſe incuruet, aut alio modo corpus commoueat, ita vt bolus, calculus, arena, &c. in

Labor morbos occultos ſignis ſuis prodit

&c. in illa cõmotione loco moueatur & voluatur,&c. tunc ſe prodeunt ſigna calculi,dolor dorſi, crurum, laterũ,coxarum mordicationes,&c.ex his ſignis medicus colliget quid ſignificent.Nec ſolùm de labore corporis externo hæc intelligenda ſunt, ſed etiam de labore interno, naturæ ſcilicet laborantis in ſeipſa, quæ & ipſa ſua ſigna prodit per labores ſpontaneos.exempli gratia:comedit & bibit aliquis, hæc natura concoquere cogitur, in quo labore etiam ſigna ſe offerunt, ex quibus medicus agnoſcere poteſt, quid naturæ deſit aut obſit.Exempli gratia,in digeſtione,quę labor naturæ eſt,contingit alicui compreſſio circa ſtomachum,illa compreſſio ſignum eſt morbi. Item orexis aliquem inuadit, & hoc ſignum eſt morbi: item vomitus & tormina,&c. hæc omnia ſigna ſunt latẽtis alicuius morbi:hæc omnia medicum animaduertere decet,vt ſi quis veniat,dicens,quam primùm comedo, tunc ita & ita afficior: aliu dicit, quamprimùm lac & caſeum edo, hoc vel illo loco ſentio, &c.alius,quamprimùm vxori meę iun-

Signa morborũ ex impeditis actionibus naturæ.

gor,tunc vertigo me inuadit,&c.Ex his medice,indica quid iſta ſigna ſignificent. ſi igitur rerum peritus es,& ſigna vnde veniant agnoſcis, tunc quid tibi reſpondendum ſit, ſcies,& quales morbos curare debeas. Medicum igitur obſeruare decet labores hominis, non ſolùm eos,quos homo ſpontè exercet, ſed etiam eos,quos natura habet,vt dictum eſt:ita enim debet medicus ſuam ſcientiam,ſuam artem & experientiam demõſtrare, & ex ſignis vlteriores cauſas inueſtigare. In hoc igitur aphoriſmo Hippocratem ita intelligite, eum ſcilicet de aliꝭs longè rebus loqui, quã HVMORES GALENI docent, qui in explicatione irriſione dignus eſt, & ſapore enim & odore caret.

APHORISMVS ſextus.

Qui in parte aliqua corporis dolent,& dolorem ferè non ſentiunt,ĳs mens ægrotat.

Hoc in loco Hippocratis ſententia eſt corpus nullo morbo laborare, qui non ſentiatur & dolores pariat; ſi quis autem

autem morbus abſque dolore ſit, eum in mente eſſe poſitum, hoc eſt, eum morbum non eſſe corporalem, ſed ſpiritualem.

Finis fragmenti ſecundæ ſectionis.

THEOPHRASTI PARACELSI GERMANI explicationes in quartã ſectionem, fragmentum, poſtremos nouem aphoriſmos complectens.

SECTIO QVARTA,

APHORISMVS LXXV.

Si quis ſanguinem aut pus meiat renum aut veſicæ exulcerationem ſignificat.

SI in veſica exulceratio fiat, aut in renibus, ea eſt illorum natura, vt ſe expurgent per vrinam: vrina enim his in locis colligitur & exit, ita illa materia, quæ exulcerationes facit,

in vrinam tranſit, & quantum vrinæ mixtum eſt cum vrina quoq; exit, & ſic in vrina conſpicitur, an vlceratio adſit vel non. Dicit autem Hippocrates, vel pus, vel ſanguinem exiturum: cauſa huius rei eſt, quòd ſanguis origo eſt omnis exulcerationis propter ſal corroſiuum, quod in ipſo reſidet: quando itaque vrina ad loca dicta peruenerit, ipſa quoque acris fit & aperit, perinde ac ſi quis foris vlcus aliquantò aſperius tangat, tunc incipit ſanguinem emittere. Similiter etiam de renibus intelligendum: nam in veſica nihil cruoris manat, imò tantùm pus, illud eſt ſignum exulcerationis veſicæ, cruor autem renum exulcerationem denotat: quælibet enim exulceratio renum facilè cruentatur, præſertim ſi aliquantum arenæ calculoſę admixtum ſit, & illam vlcerationem pertranſeat, tunc vlcus mordicando aperit, & ſanguinolētum efficit. ſunt itaque hæc duo ſigna certiſſima vlcerationum, alterum quidem in veſica, alterum in renibus.

Vlcera veſicę per pus, renū per cruorē in vrina denotantur.

APHO.

APHORISMVS LXXVI.

Si cum vrina craſſè exeunte, parua caruncula, ac veluti pili profluant, illa à renibus excernuntur.

Quando renes lacinioſi vel plumoſi fiunt, ſicut foris quoque fieri poteſt, vt ſcilicet vlcera naſcantur, quæ in forma pilorum, aut ſicut ſciſſuræ fibroſæ carnium, abſumuntur, ſicut ſolent vlcera plumoſa: quando, inquam, renes eiuſmodi vlceribus obnoxij ſunt, atque ita corraduntur, ea omnia in vrinam tranſeunt, ſæpè in tanta quantitate, vt meatus obſtruantur, & vrina impediatur, atque ita in vrina poſt exitum conſpiciuntur. Si igitur tales laciniæ in vrina reperiantur, certiſſimum ſignum eſt, in vijs vrinarijs vlcus plumoſum deliteſcere, & quanquam Hippocrates tantùm de renibus dicat, attamen id etiã in veſica contingit: hoc certum eſt, quòd alius illud lateat in illis locis, per quæ vrina tranſit: certo autem de loco definiri nequit, niſi per putrefactionem vrinæ, diſcrimen renũ, & aliorum reperiatur.

Vlcerũ plumoſorum in vijs vrinarijs ſigna.

APHORISMVS LXXVII.

Qui cum vrina craſſa furfuroſa quadam excreuerunt, eorũ veſica ſcabioſa eſt.

Intra corpus quoque ſimilis furfuribus vel tineæ morbus gignitur: vbi enim ſquamæ vel tineæ naſcuntur, ibidem etiam pinguedo quædam eſt, quæ adhæret, vt vnguentum: hæc enim eſt natura tinearũ vel ſaphatorum, vt cum quadam vnctuoſitate oriantur & maneant. Quando itaq; intra corpus quoque furfures naſcuntur, vrina illos abluit, & ſic vnctuoſum illud ſecum effert, nec non interdum furfures, hinc in vrina pinguedo quædam vnctuoſa conſpicitur, ita vt tota vrina ſit pinguis & craſſa, mixtis ſquamis magnis & paruis, quæ furfurum formam habẽt: ſquamæ enim talem naturam habent, & talem originem, vt furfures.

APHORISMVS LXXVIII.

Si qui ſpontè ſanguinem meiunt, ijs venulam in renibus ruptam eſſe ſignificat.

Venæ,

Venæ,quæ intra corpus ſunt,ſæpè ab ipſa natura craſſiores ſunt,quàm eſſe debeant, ſæpè etiam ſubtiliores, quin etiã vnus craſſior eſt altero,vnus ſubtilior altero :quando itaque ſanguis in venis bullit & furit, & venæ nimis ſubtiles ſunt,tunc venas rumpit. Similiter etiam in renibus fit, & quotieſcunque in vijs vrinarijs vena rumpitur, toties etiam ſanguis profluit, interdum ſine vrina, interdum cum vrina: fieri enim poteſt,vt ſponte ſua ſanguis expellatur.

APHORISMVS LXXIX.

Quibus in vrina ſabuloſa quædam ſubſident, eorum veſica calculoſa eſt.

Tartarus qui in aqua & alijs potibus, etiam in cibo eſt, quando coagulatur pro ſua forma finali,tunc qualis eſt,talis etiam per vrinam exit, quantũ quidem natura expellere poteſt, in illa expulſione materię arenoſæ excernũtur. Quando igitur illæ in vrina inueniuntur, ſignum eſt, hominem illum obnoxium eſſe calculo & arenæ.

Quòd autem eiuſmodi arenæ ſi rubræ ſint rubrum calculum, ſi purpureę purpureum denotent, in cauſa ſunt renes, qui ſoli tales colores ei impertiuntur: per ſe enim nullus calculus vel ruber vel albus eſt, ſed in veſica tartarus ſuum colorem retinet, quem ab ipſa natura habet.

APHORISMVS LXXX.

Si quis ſanguinem mingat & grumos, & vrinæ ſtillicidio laboret, doloŕq; incidat in hypogaſtrium & perinæum, tunc loca circa veſicam laborant.

Quando veſica ex ſuo ſtatu deturbata eſt, & ad deſtructionē tendit, tunc ſigna ſua, & ſui agnitionem medico dat ex vrina, videlicet ſi per vrinam ſanguinem emittat, idque guttatim, & cum grumis, &c. cauſa enim eſt, quòd veſica laboret quaſi eryſipelate, ſcilicet cum inflatione venarum & inflammatione, ita vt veſica intus intumeſcat & exulceretur. Ex his accidentibus vrina aliam naturam aſſumit, & cùm veſica in vir-

Eryſipelas veſicæ.

tute

tute expulſiua ſit infirma, vrina guttatim emanat: atque vbi eiuſmodi inflatio eſt, loca ſuperius circa pudenda dolore afficiuntur, quaſi vomica ibi lateret aut bubo: iſta ſigna ſunt morbi cuiuſdam eryſipelatici, qui & ſicut eryſipelas curandus eſt.

APHORISMVS LXXXI.

Si quis ſanguinem aut pus mingat, aut ſquamulas, & odor grauis adſit, tunc veſicæ exulceratio ſignificatur.

Eſt & alia quædam affectio, quando vlcera caua oriuntur ex putrefactione ipſorum vlcerum: non enim omnia putreſcunt, quando autem putreſcunt, ſignum eſt alia quoque cum veſica putreſcere: quando itaq; vrina pertranſit, tũc in veſica fœtorem illum haurit, qui poſtea cum vrina exit, ideo in vrina ſigna hæc ſunt. Hinc ſequitur, quando vrina fœtet, tunc aliquid in homine putreſcit: quòd ſi concurrant hæc ſigna, ſanguis, pus vel ſquamæ, tunc putredo

Vlcerũ putridorum in vijs vrinarijs ſigna.

per vrinam excernitur. Hinc eſt quod multum vrinæ & parum ſtercoris expellatur, idque noctu præſertim, hac de cauſa, quando natura quieſcit, tunc vrina in veſicam vehementius extillat, quàm ſi non dormiret: dum enim vigilatur cogitationes, negocia, labor & anxietas multas operationes impediunt, & ſic ſedes & vrinam remorantur, vt non ita facilè ad exitum promoueantur, ſicut noctu fit. Econtrà nimis humida ſtercora ſignificant parum vrinæ: vrinæ enim tam detrahitur id, quod ſuum eſt à ſtercore, quàm ſtercori ab vrina fit.

Finis commentarij Paracelſici in aphoriſmos Hippocratis.

Paragraphorum

PHILIPPI THEOPHRASTI PARACELSI Philoſophi ſummi, ac Medicinæ vtriuſque Doctoris præſtantiſſimi,

LIBER PRIMVS.

DE MORBIS DISSOLVTIS.

CAP. I.

PARAGRAPHVS I.

OMNE quod perfectum eſt,& per ſtomachum indigeſtum abit,morbus diſſolutus eſt: & illud quod à perfecto in imperfectũ deſcendit, diſſoluti materia cruda à præparatis,Centrum ſtomachus eſt:exitus per anum, per vomitũ & per veſicam.

PARGRAPH. II.

Morbus dictus à diſſolutione eſt:quia diſſoluitur in prima operatione. Diſ-

ſolutio

ſolutio & putrefactio eſt paſſio generata à bonis cibis.

PARAGRAPHVS tertius.

Definitio morbi eſt iſta: tres ſunt morbi ex diſſolutis primæ ſpeciei: albus, rubeus, laxus: & item tres morbi per vrinam ex diſſolutis, ſcilicet vrina ſanguinis, vrina lactea, & vrina mandragorata, vel aquea: & tres morbi diſſoluti per vomitum: vomitus ex digeſto, vomitus frequēs, vomitus thoracis.

PARAGRAPH. quartus.

Morbi diſſoluti potentiæ, & eius vitia ſunt accidentia: quatuor ſunt per anum, Colica, torſiones, ſchiæ, & ſpinæ dolores: tria per vrinam, dyſuria, ſtranguria, & laxa: tria per vomitum, fel liquor & ſingultus.

PARAGRAPH. quintus.

De ſignis morbi diſſoluti vitæ ſanitatis & mortis.

De vitæ ſigno hoc eſt habendum:

quòd ſi ex diſpoſitionibus proprijs ſtercora inſpiſſarentur abſque tormine & nauſea: reſtaurationis eſt principium, & bonę valetudinis. Si autem in laxos flueret inteſtinorũ,ſanitatis ſigna cum remedijs. Si autem tremor particularis, aut febrilis motus cum Paralytico caſu, & oculorum inundatione,praua ſigna ſunt mortis:etſi ſigna oris concurrerẽt aurium tinnitus,lachrymarumq; diluuium, lingua tremula mortis acceſſum ſignificat. Et certiſſimum hoc ſignum eſt, ſi fames partium conſentiat vniuerſalium.

DE CVRA.

PARAGRAPH.
ſextus,

Cura vnicam habet intentionem,vt coaguletur materia ex aſſignatis.

DE MORBIS DISſolutis mineralium.

PARAGRAPH.
ſeptimus.

Morbus diſſolutus ex mineralibus originẽ ducit ex tribus corporibus: caſus

ſus eſt tēpus, ſed cauſa ex tribus primis.

PARAGRAPH.
octauus.

Omne quod à forma & ſubſtantia ſua deſcendit, virtutem habet expulſiuam ingenitam.

PARAGRAPH.
nonus.

Cura diſſoluti mineralis ex coagulatis eſt: nam omne coagulatum arcanum, & eſſentia & medicina eſſentialis eſt.

PARAGRAPHORVM PHILIPPI THEOPHRASTI PARACELSI
LIBER II.
DE MORBIS *Vermium.*

PARAGR. I.

VErmium generatio tria principia habet: Primum eſt ex nutrimentis: ſecundũ ex mineralibus: tertium ex elementatis.

PARAGRAPVS ſecundus.

Ex primo principio tria ſunt genera, Crudum, chymoſum, & excrementum. Ex ſecundo quinque: venarum, concauitatis, medullæ, inteſtinorum & regionum membrorum. Ex tertio quatuor: putrefactionis, aquoſitatis, chaos, & caliditatis.

PARAGRAPHVS tertius.

Omne creatum pro ſecunda generatione creatum eſt: & vbi generatio, ibi duplex ſperma eſt rei ſcilicet, & ſeminis: hinc & naturale eſt, in omni ſpermate, vel ſemen monſtroſum, vel monſtroſi ſeminis materiam adeſſe.

PARAGRAPH. quartus.

Ex his ſciendum eſt, lignum ex ſpermate eſſe: duas igitur in vniuerſis ſeminis generationes eſſe, animaduertendum eſt: vnam naturalem, alteram monſtroſam.

PARA-

PARAGRAPH.
quintus.

Inſuper notandum, quòd ſperma exaltatum, fixum eſt, & cum corpore ſuo mortuo in ſenſitiuam virtutem abit, corpusq́; ſumit ſenſitiuum, ex corpore inſenſibili. Id ex elementis eſt videre: nam muſcarum generatio eſt ex aere, lacertarum ex terra, araneæ ex igne, ex aqua verò ſerpentum: ſic pulicum ex mineralibus.

PARAGRAPH.
ſextus.

DE CVRA.

Nunc de his, quæ ad curam pertinent. Medicamina intrinſeca & extrinſeca eiuſdem naturæ eſſe, neceſſe eſt. Oportet etiam intelligere intrinſecũ vermium genus per externam medicinam curari. Eſt etiam neceſſarium, perfectiſſimum proceſſum veneni noſſe. Poſtremò omne medicamentum, quod vermes interficit, ex veneno eſſe.

PARAGRAPHORVM PHILIPPI THEOPHRAſti Paracelſi Philoſophi & medici ſummi

LIBER III.

DE MORBIS CADVCIS.

PARAGRAPH. I.

OMnis lapſus à caduci ſpecie deſcēdit, per generationem caducam à cerebro. Cerebri potentia eſt prima rerũ conſeruatio, propter Cerebellũ. Sed membrorum lapſus, vel caducus materialis, eſt paroxiſmus deſcendens à nucha ex parte cerebri. Ergo lapſus à cerebro, paroxiſmus eſt occipitis: ſigna verò ex motione totius corporis, cadũt & ſpumam eijciunt.

PARAGRAPH. ſecundus.

Nunc quæ ægritudines ad caduca genera pertinent, ſunt iſtæ: Epilepſiæ omnes ſpecies; ſuffocatio matricis ex

tra

tra locum, ſyncope cum ſuis generibus, videlicet deliquium rediens, & ſyncope non rediens, vertigines, & id genus.

PARAGRAPHVS tertius.

Sunt & plures ægritudines caduci ſine lapſu: Tetanus, ſpaſmus, tortura oris, quæ ſtatim conuelluntur, & obſtipant: & vniuerſalis apoplexia, contractura, paralyſis, incuruatio, ſpinæ dorſi, aut particularis membri cum ſuis ſpeciebus, ſynthenæ virorum & mulierum.

CAVSAE ET LOci affecti declaratio.

PARAGRAPH. quartus.

CAuſa totius morbi in chao eſt: nam cætera, quæ in caducũ tranſeunt, partem ſuam habent in chao. Per hoc elementum deſcendunt & aſcendunt per modum Tetani & ſpaſmi. Alius eſt morbi realgar in chao, & alius aquæ.

PARAGRAPH. quartus.

Materiata cùm hæc eſt: quæ in mineralibus chaos eſt: ex iſtis mineris prima cauſa ſeu generatio caduci, & ſpecierum: Medico eſt ſciendũ, quòd quatuor ſint mineralia, & morborum elemẽta quatuor in phyſica, & chyrurgia.

PARAGRAPH. quintus.

Locus cauſæ in chao eſt: nam ſicut in alijs partibus mineralia ſua faciunt, ita & in chao. Sciendum ergo, quòd cauſæ totius morbi mineralia ſunt, & ſpecies morbi, ſpecies Mercurij.

PARAGRAPH. ſextus.

Pono ſimilitudinem cauſæ huius morbi in chaos: Seldonij alkali, croco pontico, aut tereniabin. Nam ſicut iſta in poſitum penetrant, nouam generationem faciunt: ita & Mercurij generatio oſtendit periculũ, pertranſit membra, & iuxta membri paroxiſmum abit.

D E

DE DIETA.

PARAGRAPH. ſeptimus.

Dieta caduci,eſt cura totius ægritudinis. Sunt enim medicamenta caduci morbi,nutrimenta morbi. Nutrimentorum verò duo ſunt genera: vnum quod morbum facit:alterū quod eundem expellit:vt fœtor carnis caprinæ prouocat: anguillæ verò decoctio medetur: idem de muſſulis & agnis iudicandum eſt.

PARAGRAPH. octauus.

Nutrimenta ægrorū in caduco ſunt iſta: viſcus quercinus pro ſale; ſemen pæoniæ, pro confectis: radix pirethri pro petroſelino: folia ellebori nigri pro beta.

PARAGRAPH. nonus.

Ab his cauendum eſt, in quibus vi-

tioſum ſperma eſt: odor vitriolatus, ventorum generatio, libidinis prouocatio, acuitas eſſenſificata.

DE CVRA.

PARAGRAPH. decimus.

In cura caduci præ manibus ſunt experimenta, arcana cum experientia, & ingenia cum ſpeculatione, & plura elementata compoſita.

PARAGRAPHORVM PHILIPPI THEOPHRAſti Paracelſi Philoſophi & medici ſummi

LIBER IIII.

DE VNDIMIA, SIVE morbis reſolutis.

PARAGRAPH. I.

HVius morbi matrix elementum aquæ eſt: cuius proprietas, & eſſe eſt ex congelatis. Quia ſicut aer eſt chaos,

chaos,ita tanquam glacies hoc elementum in corpore exiſtens eſt,natura mucilaginoſum, criſtallinum, & gluten,vt clarum oui.

PARAGRAPH.
ſecundus.

Quòd ſi hæc elemẽtata,vel ex ſpeciebus ſpecies vnà ſumeret reſolutionem, principium morbi vndimiæ primũ eſt, iuxta qualitatem ſpeciei,aut omnium, & ex quibus ducit originem: Vndimia Rocha,vel ſciſſa,vel glaciei,vel nitri.

PARAGRAPH.
tertius.

Quæ mineræ huius ſunt conditionis,vt Rochum, ſciſſum,glaciei, & nitri congelatio, naturam habent congelatam,aluminoſam, & aluminis crudi albuginoſam, cum exemplo prædictorum: ex vna parte gluten,ex altera parte liquor tenax in toto corpore.

PARAGRAPG.
quartus.

Caſus reſolutionis cum cauſa eſt: e-

lementatum accidens, terreum accidens à ſuo procedit reſoluto: aereum accidens ex coniunctione internorum & externorum elementorum: aqueum accidens à vaporibus vtriuſq; elemēti permixti, ſed igneum accidens ex ſpiritibus elementorum ſuorum.

PARAGRAPH. quintus.

DE CVRA.

Dictæ Vndimiæ medicina eſt: & ſi Vndimia ſicca fuerit: medicina vtilis erit: ſi verò humida, perditionis ſignum.

PARAGRAPHORVM PHILIPPI THEOphraſti Paracelſi LIBER QVINTVS.

DE MORBIS SICCIS, ſiue phthiſis.

PARAG. I.

QVòd ſi elementum igneum in ſuam ſiccitatem abit, certum ſignum eſt, aliorum etiam

tiam elementorum conſumptionis.

PARAGRAPH. ſecundus.

Quare notandum, quòd ſiccitas ignis minutionem corporis facit: propter humiditatem. Pars ſicca, & cruda mors eſt: humiditatis verò ipſa ægritudo.

PARAGRAPHORVM PHILIPPI THEOphraſti Paracelſi

LIBER VI.

DE LEPRA.

PARAGR. I.

LEpra eſt corporis elementati putrefactio cum mineralibus ſuis. Quatuor igitur lepræ ſpecies ſunt. Eſt etiam lepra mixta & compoſita, atque etiam vniuerſalis.

PARAGRAPVS ſecundus.

Zephena primum ſignum in lepra, & acumina: item color Lazurius, vel compoſitus cum alteratione.

DE LEPROSOrum examine.

PARAGRAPHVS tertius.

De iudicijs lepræ ex accidente.

LEproſorum examen ex his cognoſcitur ſignis: primum ex vrina ſcatea: ſecundum ex ſtercoribus, & eſt de lepra ex accidente, cum prima ſpecie vrinam in ſtomachi regionibus cum inteſtinorum partibus.

De lepra à caſu.

PARAGRAPH. quartus.

Signum ex ſudoribus cum coagulatione primum, ſecundum ex diuerſitate

te puſtularum, tertium ex epiglotto,& ex capillis. Hæc ſunt ſigna lepræ à caſu.

De ſignis lepræ innatæ.

PARAGRAPH. quintus.

Sed per cauitates,& carnis conſumptiones iuxta pollicem: item & per Orizeos colores, & Lazurios, & per luxuriam vehementem, & frigus & calores ab extra innatæ lepræ.

DE SIGNORUM differentijs.

PARAGRAPH. ſextus.

PRima differentia ex alopœcia procedit cum ſignis faciei, vt in gutta roſacea, in praua tentigine, & in polypo extraneo: ſecunda differentia in pruritu eſt, ex cauſa aſſumpti veneni: tertia differentia ab extraneis eſt, vt à realgare, & à frigore, & calore externo: quarta differentia à carnibus, medicaminibus, & à morbis originem ducit.

DE CVRA LEPRÆ.

PARAGRAPH. octauus.

LEpra in cura ſua duas ſpecies habet: rubeam & albam. Lepræ albæ hæc ſunt ſigna: cutis color alienus, chaos exitus cum fœtoribus, raucedo vocis, & excrementorum feces. Rubeæ lepræ hæc ſigna ſunt: cutis vlceratio, ſerpigo cum pruritu, & puſtulæ.

PARAGRAPH. octauus.

Proceſſus lepræ duplex eſt: primus de conſeruatione: & ſecundus de cura lepræ. Quæ ad conſeruationem pertinent, ſunt iſta: Autimonij extractiones, ſanguinis eſſentia de vena cordis: perlarum & corallorum liquor, ſpecifica de granis iuniperi, de meliſſa, cichorea, & valeriana.

PARAGRAHP. nonus.

Quæ ad curam pertinent, ſunt iſta: auri

auri mineralia, mannæ virtutes, & thereniabin, argentũ cum ſuis ſpeciebus.

PARAGRAPHORVM PHILIPPI THEOphraſti Paracelſi

LIBER SEPTMIVS.

DE GVTTA.

PARAGRAPH. primus.

GVtta eſt Synouia ſuæ partis: à qua parte procedit, ſequitur ex iſta parte iſtius dolor, & paroxiſmus. Gutta paraliſis eſt, & apoplexia, contractio membrorum.

PARAGRAPH. ſecundus.

Synouia partis ſuę eſt nutrimentum, & conſeruatio retentiuæ, & motiuæ virtutis, ex viribus virtutis digeſtiuæ.

PARAGRAPH. tertius.

Ex his ſequitur, morbum ex ſequeſtratione eſſe, cum prima generatione anodini ſuæ partis: quia ſynouia ſeparata relictæ partis inſenſibilitatē facit.

DE CASV MORBI.

PARAGRAPH. quartus.

Caſus morbi à coagulatione eſt, deinceps à reſolutione congelata. Omnis humida coagulatio futuræ reſolutionis ſignum: ex qua reſolutione morbi cum ſequeſtratione prædictarum duarum cauſarum. Igitur ſignum veræ apoplexiæ ſpuma, ſuffocatio cum contractione.

PARAGRAPHORVM PHILIPPI THEOphraſti Paracelſi

LIBER VIII.

PARAGRAPH. I.

ASthmatis ſpecies ſunt iſtæ: Pulmonis apoſtemata, regionum pectoris anthraces, vlcera regionis, vel pulmonis, ſuperfluum humidũ, ſiccum, pinguedo, repletio, & liqũoris excrementa.

PARAGRAPH. ſecundus.

Aſthmatis ſigna ſunt iſta: anhelitus, tuſſis, ſcreatus albus, raucedo vocis, gutturis ſiccitas, ſitis, alteratio pulſus, compreſſio thoracis.

DE CVRA SICCA

PARAGRAPHVS tertius.

Aſthmatis cura ſicca eſt iſta:
Myrrhæ,

Turbethi.

Aliptæ muſchatæ, ſingulorum vncia.

Sulphuris viui vnciæ vj.

Colcotharis

Salis fuſi ad medium pondus.

Reduc ſublimando in puluerem.

Doſis eius eſt à drachma vna ad iij. vel iiij. vſque.

Huius ſulphuris vncia,

Croci orientalis ſcrupulus ſemis.

Maſtiches drachma.

Omnia in puluerem redacta miſce.

Doſis eadem eſt, quæ ſuperioris ſublimati ſulphuris eſt.

Poterit etiam hyſopi drachma addi.

PARAGRAPH. quartus.

Cura relaxationis eſt iſta: Elixir de tartaro crudo; eſſentia vini eſſati, & cum aquis ſeparatis à carnibus ſuis.

PARA-

PARAGRAPHORVM PHILIPPPI THEOPHRAſti paracelſi Philoſophi & medici ſummi.

LIBER IX.

DE FEBRIBVS extraneis.

PARAGRAPH. primus.

Febris eſt calor putrefactus cum tremoribus, ex ſua oppilatione à materia inſequeſtrata, in clauſis poris, ex vi ſtiptica.

PARAGRAPH. ſecundus.

Omnis putrefactio materialis ſuam materialem oppilationem facit à ſpiritibus ſalis: cum ingenita coagulatione, & poſt coagulationem per digeſtum in tremorem abit.

PARAGRAPH. tertius.

Paroxiſmus qui ab arſenicalibus de

ſcendit(aliàs aſcendit)ſuum numerum habet,& digeſtũ: & paroxiſmus trium primarum erraticam diem habet: & paroxiſmus ſanguinis ſuam curam habet,& digeſtum.

PARAGRAPG. quartus.

Febris extraneæ cura vna ex auro procedit: altera ex corallis, ſed minor cura in argento,& perlis conſiſtit.

Deſcriptio auri.

Alcohol vini exiccati, & præparati à cineribus fabarum quantum ſufficit. Foliorum auri ad placitum. Reduc in digeſtionem per menſem.

Huius liquoris accipe grana tria, cum vncia vna aquæ vndimiæ, vel portulacæ, ante, vel poſt, vel ſub paroxiſmum.

Corallorum.

Corallor.alborum ſemuncia.
Alcohol vini exiccati ℥.x.
Reduc ad digeſtionem per menſem.

Hu-

Huius liquoris doſis eſt, grana vj. vel vij. cum aquis prædictis ante, vel poſt, vel ſub paroxiſmum.

Argenti.

Mellis liquefacti ℥ xv.
Foliorum argenti ℥ ij.

Reduc ad digeſtionem per ſeptimanam.

Huius liquoris de melle ſeparati doſis eſt ſcrupulus ſemis cum granis xv croci orientalis ante paroxiſmum.

Perlarum.

Alcali extracti à citrinolis ℥ xv.
Aquæ albuminis ouorum ℥ iij.
Perlarum non perforatarum ℥ ſs.

Reduc ad digeſtionem per menſem. Huius ſucci ſeparati ſumantur grana vj. cum aqua Valeriana ante paroxiſmum.

PARAGRAPHORVM PHILIPPI THEOphraſti Paracelſi,

LIBER X.

DE CAPITIS ADuerſitatibus internis.

PARAGRAPH. primus.

Capitis dolor aut ex ſanguine, aut ex reſoluto, aut ex oppilationibus procedit: ſiue in ſiniſtra, ſiue in dextra parte dolor ſit, ex his tribus cauſis prouenit.

PARAGRAPH. ſecundus.

Ex reſolutis qui ſunt, per fumos aſcendunt & deſcendunt; eſt enim omnis fumus de narcotico anodyno, cum ſtupefactione innata. Procedentes autem ex oppilationibus, qualis earum natura & proprietas, quæ ab extra eſt, ſiue natura ingenita, talis eſt & morbus & ſuum accidens tale.

PA-

PARAGRAHP. tertius.

Ex his prædictis in prima ſpecie ſequitur lateris pars: quia ex anatomia hanc partem habet, quæ ab extra eſt, ſiue natura ingenita, talis eſt & morbus, & ſuum accidens tale.

PARAGRAPH. quartus.

Cura ſanguinis in frigido eſt, & in narcotico humido.

PARAGRAPHORVM PHILIPPI THEOphraſti Paracelſi LIBER XI.

DE AFFECTIBUS matricis.

PARAGR I.

MOrborum matricis generationes in matrice non ſunt, nec ex ea, per eam omne membrum, quod deſcendit ab alijs detrimentum accipit. Sunt e.

nim dolores matricis retentio, & rei ſuperfluitas.

PARAGRAPH. ſecundus.

Concurſus morbi retentiui, & ſuperfluitatis ab omnibus partibus totius corporis deſcendit: nam menſtruũ in matrice menſtruum non eſt, ſed menſium excrementum. Ex his ſequitur coniunctio, deſtructio, alteratio, concluſio, permixtio bonæ & malæ rei, diſcoloratio cum ſimilibus.

PARAGRAPHVS tertius.

Cura matricis duplex eſt: prima eſt in Elixirijs, ſecunda in Orizeo. In elixirijs ſummum temperamentum hoc eſt: Res extracta ab eſſato ſuo in alcohol vini exiccati. In ſecunda cura hoc eſt corpus & ſubſtantia, & res ſua eſſenſificata ſine extractione, ſed per tranſmutationes de ſubſtantia non liquida in potabilem medicinam. Et temperamentum eſt vnum in perlis per extractiones in alcohol: aliud temperamentum in carniola eſt, & eſſentia temperata ab arbore maris. Temperamentum

tum in doloribus matricis nec calidũ, nec frigidum eſt, nec eſſe debet:& nec reſolutum, nec humidum congelatum, nec per diatheſin confectum: Omne enim frigidum, & omne calidum inimicum in ęgritudinibus mulierum: item omne ſiccum & omne humidum peſſimum venenum in retentione, & ſuperfluitate menſtruoſa. Item omne ſtipticum, acerbum, & omne amarum, omne dulce impedimentum eſt pro ſanitate mulierum: ſed cura matricis abſoluta debet eſſe ab omnibus his prædictis: quia temperamentum liberum habet arcanũ, & ſuum arbitrium.

DESCRIPTIO

temperamenti huius ſuper primam curam Elixir, eſt iſta.

Alcohol vini exiccati libræ iij.
Florum anthos
Macis
Lauendulæ ſingulorum ℥.x.
Cubebarum,
Caryophyllorum,
Cinamomi, ſingulorum ℥ ij.

Maſtiches ℥. ſs.
Storacis vtriuſque ℈ ſs.
Doronici ℥ iij.
Reduc in ſeptimum alembicum: poſtea adde
Foliorum auri n° xx.
Margaritarum nō perforatarum,
Lapidum granatorum,
Rubinorum ana ſeſquidrachmā.

Reduc ad digeſtionem per menſem. Huius olei grana tria vel quatuor cum vino Maluatico, aut aqua maioranæ vel ſaliuę: per tres aut quatuor dies manè & ſerò adminiſtrato. Hoc elixir nobiliſſimum arcanum in retentione & ſuperfluitate menſtruorum diſſoluit & conſtringit, & partium dolores pellit: tollit ſuffocationem materialem, item præcipitationem mineralem.

Secunda deſcriptio liquoris Orizei eſt iſta.

Orizei præcipitati poſt diſſolutionem mellis & ſalis vncia j.
Liquoris aranciorum
Granatorum ana ℥ vj.
Reduc in imbibitionem, pòſt ſupra mar-

marmor porphirium reduc in liquidam formam.

Doſis eius à granis vij.aut viij. vſq; ad x.vel xij.in aqua fontis per dies duos vel tres.

Hoc medicamen ex ſua temperata virtute diſſoluit & reſoluit, conſtringit,& confortat matricem,& menſtruũ totius corporis:extra matricem partes ſuas deoppilat, & reſoluit à membris principalioribus per meatũ menſtruoſum menſtruum conſtrictum: in deficientibus menſtruum facit,& augmentum, & parit & ducit menſtruum in annum 50 vel 60,& eſt arcanum totius naturæ menſtruoſæ.

ALIVD MEDICAmentum ab arbore maris.

Reduc arborem maris in calcinationem cum ſale nitri: poſtea reduc in alcali: deinde extrahe rubedinem, & reduc per alembicum.

Huius liquoris vnciæ iiij.

Aquæ Baſiliconis libra.

Reduc in digeſtionem ad triduum:

ſeparetur aqua per balneum maris à liquore.

Doſis iſtius liquoris grana quinque, vel ſex ſemel in menſe, duodecies in anno, pro prima adminaſtratione: in ſecundo anno in ſecundo nouilunio ſexies in anno: in tertia adminiſtratione vſque in vigeſimam primam, & ſecundam adminiſtrationem, ſemel in Vere, ſemel in Autumno, ſemel in Hyeme, & ſemel in Aeſtate: & poſt annum vigeſimum tertium, rurſus omni menſe ſemel iterum duodecies in anno: & & poſt iſtam adminiſtrationem in ſeptimana ſemel, vſque in annum quinquageſimum: poſtea omni die vſque in finem menſtrui.

Aliud medicamentum temperatum eſt iſtud.

Granorum anis nigrorum libram ſemis, reduc in aquam, cuius accipe quantum vis, & adde tantundem alcohol vini exiccati, & diſtilla, vt ſuprà.

Doſis eſt à drachma vna vſq; ad tres aut quatuor, ſemel in menſe per integrum annum.

PARAGRAPHORVM PHILIPPI THEOphraſti Paracelſi

LIBER XII.

DE DOLORIbus dentium.

PARAGRAPH. I.

DEntium dolores cum ſuis accidentijs in radicibus oſſis ſunt: cum gingiuis, & regiobus ſuis.

Cauſa in doloribus dentium vna eſt aliena, altera eſt in loco: & quæ aliena eſt, deſcendit à regionibus capitis: & quæ à loco eſt, ſcabriciei, aut panaritij principium.

DE CVRATIONE.

PARAGRAPH. ſecundus.

Dentium cura duplex eſt: Phyſica, & Chyrurgica. Phyſica eſt iſta:

Tormentillæ,
Staphiſagriæ.
Seminis plantaginis ana drachma ſemis,
Radicis exterioris iuſquiami,
Succi papaueris ana ſemuncia.

Reduc in decoctionem cum aceto: fiat lauamentum calidum.

PARAGRAPHORVM PHILIPPI THEOPHRAſti Paracelſi Philoſophi & medici ſummi

LIBER XIII. & XIIII.

DE DOLORIBVS aurium & oculorum.

DE CAVSA.

AVrium dolor de cauſa emunctorij quarti ex regionibus capitis ſuperueniẽs cum ſurditate ſua, ſpeciebus & articulis, iuxta anatomiam inferioris regionis, cum regionibus narium & oculorum.

lorum. Caſus ab accidente eſt,& à loco: qui ab accidente,à natura aluminoſa deſcendit:& qui à loco,a proprio ingenito paroxiſmo, cum ſignis chronicis, & tinnitum aurium & apoſtemate, cùm pure & ſanie, & cæteris ſuis ſpeciebus.

PARAGRAPH. ſecundus.

Cura doloris aurium vna ex apertitiis frigidis de humido reſoluto:ſecunda per ſtupefactiua anodyna iuxta dictum Archelai, iuxta proceſſum Albucaſis: ſecundum artem chyrurgicam,& & experientiam Raymundi Lullij.

Deſcriptio prima in doloribus aurium ab accidente, Siff album, eſt de virtute tutiæ cum alijs.

Tutiæ præparatæ ſine aceto ſemuncia.

Carabe drachma. Reducin liquorem.

Huius liquoris drachmę vij.& ſemis,

Alcohol vini exiccati ℥ ij.

Reduc per maris præparationem, fiat Siff.

**

Hoc per modum cataplaſmatis applicetur.

In ſcabie & panaritio aurium.

Seminis Iuſquiami,
Papaueris,
Lollij,
Nigellæ ana ʒ ſs.
Fellis tauri ſemuncia.
Camphoræ liquefactę ad pondus omnium. Reduc in ſuum Siff.

Collirium in ſcotomia, & omnibus ſpeciebus oculorum.

Vitrioli albi,
Aluminis ſciſſi,
Tutiæ extinctæ ana drachma.
Liquoris Eufragiæ ℥ vj.
Camphoræ tritæ ſeſquidrachmã.
Reduc in liquidam ſubſtantiam, ſuper porphiritem cum ſeparatione maris.

THEO-

THEOPHRASTI PARACELSI opuſculum DE CREATIONE HOMINIS.

M. GEOR. FORBERGIO Interprete.

Sextum opus Dei.

IN SEXTO OPERE dicebat Deus: Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta, reptilia, & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas. Atque ita omnipotens Deus terram dotauit & ornauit pulchris, viuis animantibus, nec nō herbis viridibus, pomis, piris, & aliјs fructibus terreſtriũ rerum: porrò dicebat Deus: *Videtur eſſe fragmentum commẽtarij in Geneſim: dubito tamen an Theophraſti ſit.* *Cap. 1 & 2 Geneſis.*

Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, qui præſit piſcibus maris & volatilibus cæli, & beſtijs terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.

Formauit igitur Deus hominem de LIMO terræ.

Iſte LIMVS (limbus) terræ, conſtabat ex octo ſubſtantijs, eratque extractio & ſubtilitas quatuor elementorum in terra, quæ ſubtiliter conſtabat ex octo ſubſtantijs: Prima erat ex aſtris primæ materiæ: ſecunda erat ex aqua maris: tertia erat ex lapidibus terræ: quarta erat ex nubibus cœli: quinta erat ex ventis: ſexta ex Sole: ſeptima ex Luna. Atque ita Deus faciebat hominem ad imaginem ſuam, tandemque eum perficiebat per octauam partem, hoc eſt, Deus ſufflabat in faciem eius influentiam vitæ, nempe ſpiritum ſanctum, per quem homo perficitur ad vitam æternam.

Octo ſubſtantiæ, ex quibus homo factus eſt.

Et plantauit Deus Paradiſum hortum amœnitatis ab initio, in hoc collocabat hominem. & dominus Deus produxit poſtea omnes herbas terræ, & poma pulchra aſpectu & ſuauia ad veſcendum, dicens ei: En omnes iſtas herbas & fructus vobis do, & omne lignum quod ſemen in ſe habet, vt ſint veſter cibus, nec non omnia animan-

tia

tia viua terræ,omnes aues cœli,omnes piſces aquarum,& omnia quę mouentur in terra,in quibus eſt anima viuens, vt omnia vobis liceat edere. Poſtea interdicebat ei, ne ederet de ligno vitæ in medio paradiſi, quod idem erat lignum ſcientiæ boni & mali: de omni ligno Deus permittebat ei vt ederet, præterquam de ligno ſcientiæ boni & mali, de hoc dicebat, non edetis: quia quocunq; die de eo comederitis, morte moriemini. Et afferebat Deus ad Adamum omnia animantia viua terræ,omnesque volucres ſub cœlo, vt inſpiceret ea, & nomen eis imponeret,& ſicut Adam ea nominabat, ita habebant nomen, atque ita Adam omnes viuas creaturas nomine ſuo vocabat, omnes volucres cœli, omnia animantia terræ.

Adam autem non habebat ſociam ſibi ſimilem: & dicebat Deus, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciemus ei conſortem, quæ ſit ei ſimilis: & immittebat Deus omnipotens Adamo ſomnum,& cùm obdormijſſet, eximebat Deus os ex coſtis eius, & locum

carne ſupplebat. Atq; ita Deus ex coſta illa condebat fœminam, quam adducebat ad Adamum, tunc dicebat Adam: Hæc eſt os de oſſe meo, & caro de carne mea, idcirco virago appellabitur, quandoquidem ex viro deſumpta eſt: idcirco etiam vir patrem matremq; deſeret, & vxorem ſuam ſequetur, eruntq; ambo vna caro. Et Deus benedicebat eis & aiebat: Creſcite & multiplicamini, terramq; replete, & eam vobis ſubijcite, dominantes piſcibus maris, volatilibus cœli, & omnibus animantibus, quę viuunt & mouentur in terra. Vterque autem & Adam & Eua nudi erant, & non pudebat eos nuditatis.

Erant hi duo radix & flos omnis boni & mali, creati ex medio omnium rerum in vnum maſculus & fœmina. Adam quidem primus homo creatus eſt ex quatuor elementis, vt bona & mala ſint in vna maſſa mixta, & malum quidem in ipſo factum eſt bonũ mediante magna miſeria, quam perpeſſus eſt patienter, ideoq; Deus Adamum denuò clarificauit diuina quadam eſſentia, vnà cum omnibus liberis ipſius, qui ipſum

ſum imitantur factis, qui meliores res ſunt ipſo, ad ſupremum angelorũ choarum deſtinati ſunt, vbi vnus altero altior erit pro bonitate: deteriores verò his in infimum chorum inferni pertinent, vbi etiam pro malitia ſua gradus erunt profunditatis.

Homo ex tribus ſubſtantijs conſtat.

SICVT AVTEM Deus omnipotens in eſſentia ſua trinus eſt, talem etiam ad æternam gloriam & laudem ſuam hominẽ creauit, vt videlicet conſtet ex CORPORE, SPIRITV, ANIMA: Anima quidem ex cœlo deſcendit, ſpiritus verò ex aere, corpus ex terra. Corpus hominis ex fructibus & generatis quatuor elementorum paſcitur, per digeſtionem naturalem in homine cibi & potus, vnde homo nutrimentum ſuum trahit, quòd hominis naturalis operatio rurſum egerit, ita vt nobiliſſimæ & ſubtiliſſimæ vires ex quatuor elementorum naturis, æqualiter commiſceantur & vniantur in vnam ſubſtantiam, cooperante media natura ſpiritus, qui in homine eſt. Spiritus enim ineſt omnibus quatuor elementis totius mun-

Quinta eſſentia elementorum aereum quid eſt rerum nutrimentum.

Spiritus aereus ſperma verum hominum.

di,cum ſua natura media,quæ eſt occultus ſpiritualis ignis, eſtq; SPERMA & natura generatiua,ita vt elementum aeris natura media, & ſpiritus omnibus rebus huius mundi vitam dent & auferant. Subſtantia autem humnæ naturæ & ſperma eſt humiditas quædam calida & ſpirituoſa ſeparata per naturalem concupiſcentiam & actum viri & fœminæ: in ijs enim eſt ſubſtantia illa fœminea & maſculina, eſtque calida & humida: quicquid enim generare debet, calidum & humidum eſſe neceſſe eſt, vnumque alterum generat. Perfecto autem actu Venereo, tunc vir rurſum eſt per ſe,& fœmina per ſe, * & quatuor illis coniunctis miraculum quaſi inde naſcitur,ita vt homo obſtupeſcat admirando operationem naturæ elementaris. Hinc dici ſolet,Homo ex terra factus eſt, & in terram reuertetur:Adamum Deus fecit,Adam autem nos procreauit in ſecundo gradu humanitatis,ideo nos homines omnes ex hominibus deſcendimus,non ex terra: & nihilominus tamen origo noſtra eſt ex quatuor elemētis terræ:compoſitio enim

enim, corporis humani eſt ex ſubtilitate quatuor elementorum, quæ ſubtilitas etiam octo illas ſubſtantias in ſe complectitur, ex quibus Deus Adamū fecit, ſcilicet ex cœlo & terra. Reſoluimur etiam in deſtructione noſtra in quatuor elementa: ſed & omnes res corporales, quæ ſub cœlo ſunt, ex quatuor elementis conſtant, & in eadem diſpergentur & reducentur: & ſicut Deus occidit & viuificat, ita etiam facit MEDIA NATVRA, quæ omnes res ſub cœlo conſtruit & deſtruit. Omnia itaque corruptibilia ſunt quæ ſub cœlo ſunt, & ſola natura diuina permanebit, quæ & in cœlo & in terra per verbum ſuum, quod ipſamet eſt, præſens eſt, illoque creauit cœlum, & quæ in eo ſunt, ſtellas, planetas, & quatuor elementa, & omnia quæ in & ſuper terra ſunt: ideo dixit Deus, omnia redibunt in terram: verbum autem meum non peribit.

Porrò poſtquam materia ſeu ſperma in matricem fœminæ concluſum eſt, illic coquitur & coagulatur in maſſam quandam, & tunc à Deo prima di-

gnitate donatur: ſciendum enim eſt, quemlibet hominem triplici dignitate à Deo dotari: prima eſt forma diuinę imaginis, corpus videlicet, quod medium eſt inter ſpiritũ & animam: corpus noſtrum eſt ex elementis, & non eſt ex terra, ſed retinaculum eſt elementorum & ſpiritus. Poſtea Deus ex diuina ſua miſericordia & amore erga genus humanum, angelum mittit portãtem animam ad fœminã prægnantem, qui ſi illo tempore fœminam iratam offendat, tunc recedit cum anima, & poſt dies decem redit, quòd ſi tunc quoq; fœmina irata & malitioſa ſit, iterum abit, & poſt dies decem redit, die ſcilicet QVADRAGESIMO conceptionis corporis, animamq; in corpus præcipitat, ſiue idonea ſit fœmina ſiue nõ: iſta autem iracundia & malitia fœminarum infantibus imprimitur, & per totam vitam in eis regnat. Anima autem ſecum ducit ſpiritum aeris, qui eſt vita carnis & elementaris naturæ omnium rerum perfectarum & imperfectarum, quæ ſub cœlo ſunt: ille ſpiritus etiam in nobis eſt, quandoquidem ex

Animæ immißio in corpus.

qua-

quatuor elementis conſtamus: ſpiritus enim aeris vita eſt, rector & conſeruator quatuor elementorum: abſq; ſpiritu enim nulla res exiſtere aut in eſſe ſuo permanere poteſt. Quòd autem anima ſpiritum apprehendit & ſecum ducit in corpus, id ideo fit, quòd ambo ex ſimili ſubſtantia ſunt, nempe ſpiritualis & media quædam natura, ex aere ſcilicet & igne, ideo ſimile ſimili ſociatur, ſeq́; inuicem amplectuntur, ſibiq́; inuicem obediunt in eo, vt fiant & ſint id, quod & vbi eſſe volunt. Et ſpiritus eſt medium illud quod animam & corpus coniungit, & per mortem rurſum ſeparat, eſtque deſtructio & elementum aeris. *Spiritus et animæ eſſentia.*

Anima autem hominis eſt ex nobiliſſimo omnium elementorum, illa ſcilicet ſubſtantia aeris, ex qua angeli facti ſunt: vitaque animæ eſt ex Deo ipſo, ideoque quod ex cœlo eſt, in cœlum redit, niſi anima nimium obſequatur ſpiritui Si enim nimium obſequatur ſpiritui, tunc vnà cum ipſo ſub cœlo manere cogitur: quicquid enim à Deo ordinatū eſt ſub cœlum, id etiā perpe- *Animæ officium.*

tuò ſub cœlo manet: ſpiritus autem à Deo conſtitutus eſt, vt perpetuò ſub cœlo verſetur & maneat. Spiritus hominis eſt anima omnium perfectarum & imperfectarum rerum, quæ ſub cœlo ſunt, gaudiumque corporis. dicit enim corpus ad ſpiritum, ô ſpiritus, nobilem eſſentiam mihi attuliſti, per animam Deum vidi in ſacramento. Deus enim animam hominis triplici dono ornauit; primum eſt intelligentia: ſecundum eſt memoria: tertium eſt voluntas. hæ tres vires inſunt animæ, & anima ex his conſtat, ideoque homo per animam omnia arcana & abſcondita cognoſcere & comprehendere poteſt, niſi à corpore impediatur, hoc eſt, ſi corporis robur per cibum & potum confortetur, tunc enim intelligentia debilitatur, & quantum corpus creſcit & vegetius fit, tantùm decreſcit intelligentia, ſpiritusque corrumpitur. Ideo lumen tuum, hoc eſt animam tuam in vas mundum colloces, hoc eſt, ne nimium cibi aſſumat, tunc intelligentia ſecreta, arcana, miracula & magnalia comprehendere poteſt. Sed & Deus ipſe

ipſe quemlibet ſua intelligentia donat, nec ſemper in cibo & potu res ſita eſt: ſi enim ſubtile eſt ingenium hominis, ſubtilia quoque intelliget: quòd ſi craſſum ſit & rude, etiam pro aptitudine ſua res comprehendit: Deus enim cuilibet homini intelligentiam impertitur pro ipſius cōditione, natura & meritis. Stellæ etiam ſuperiores corpora noſtra mouent, pro cuiuſlibet complexione, natura & proprietate: influentia enim cœli in hominis ſpiritum efficax eſt. Duplices itaque in nobis morbi ſunt: priores conſiſtunt in ipſo hominis ſpiritu, & vocantur morbi ſpirituales, qui oriuntur ex ira, phantaſia, ſtudijs, imaginatione, & ſimilibus, tales ſunt morbi ſpiritus. Poſteriores morbi ſunt tantùm accidentales, prouenientes ex nimio cibo & potu, aut ex malo cibo & potu, quæ ſæpè fame coactus homo aſſumit, aut ex nimia ſiti, calore, frigore, & alijs ſimilibus, quibus non aſſueuit. Omnes itaque homines ſimul boni & mali ſunt in eadem maſſa, & hinc ſemper mutabiles ſumus: & & quando ſpiritus & anima prædomi- *Duplices morbi.*

nantur in elementis corporis humani, tunc homo bene valet: in diſſidio enim elementorum mors conſiſtit.

Spiritu ſeducit animam.

Eſt autem ſpiritus occultus & clancularius hoſtis animæ, idcirco quilibet homo caueat, ne corpus animam ſeducat in æternam damnationem: ſpiritus enim ſeductor & corruptor animæ, cum ex elemento aeris conſtet, & per ipſum peccatum oboritur: excitat enim in corpore peccatum, & animam debilitat & contriſtat. In ſpiritu igitur mors æterna deliteſcit, & ſpiritus animam ad mortem æternam deducit, in tenebroſam domum caliginis, ideoq; homo non nimium indulgeat ſpiritui & externæ carnali voluntati, aliàs ſeducetur anima eius in infernum.

Quæritur autem hîc an ſpiritus cum anima cœlum ingreſſurus ſit, an verò ambo ſub cœlo ſint manſuri. Ad hæc reſpondeo: Et anima & ſpiritus pœnitentiam agunt in magna manu & potentia Dei, & anima per ſpiritum purificatur: quando igitur purificata eſt anima, tunc anima aſcendit in

cœ-

cœlum: ſpiritus autem in medio aeris verſatur: corpus verò infrà in terra manet, vt vnumquodque redeat eò vnde ortum erat. Spiritus enim vnà cum anima cœlum intrare nequit: cœlum enim eſt quinta eſſentia, ſpiritus autem eſt elementum aeris, ideoque peccatum ex ipſo eſt: nullum autem elementum aut peccatum in cœlum intrare poteſt: cœlum enim, vt dictum eſt, quinta eſſentia eſt elementorum. Spiritus igitur ſub cœlo manebit vſque ad extremum diem, tunc anima & corpus denuò coniungentur, & vnum fient: in die autem extremo ignis cœlum aſcendet, omniaque creatà de terra tollentur, & ignis ille in infernum relegabitur. Sed nec in vllo corpore in die illo ſemen erit, nihilque amplius fructum feret: elementa enim non vltra in ſua eſſentia permanebunt, ſed potius clarificabuntur, & in vnum lucidum corpus redigentur, quod durum erit vt chriſtallus, terraq; quam nos homines geſtamus, in cœlum ibit, quæ tunc aliam formam & alium colorem nanciſcetur, quàm

Quid poſt mortẽ hominis fiat.

quatuor elementorũ terra habet. Dein de anima ad corpus veniet, & vnà gaudebunt & ſimul manebunt, donec pertrãſierit ſpiritus, tum corpus illuſtrabitur:& poſt diem vltimũ alius ſtatus erit in cœlo, vita ſcilicet æterna,& in cœlo erit dies perpetua : in inferno autem nox perpetua. Omnipotens Deus largiatur nobis æternam lucem & æternum diem, quæ lux & dies Deus ipſe eſt,Amen.

THEOPHRASTI PARACELSI
libri quatuor
DE GENERATIONE HOMINIS.

M. GEORG. FORBERGIO *Interprete.*

De bipedũ hominũ vtpote perfectiorum generatione dicet,nõ de aliorum.

PARACELSI PRAEFATIO.

SI de generatione hominis nobis philoſophandum eſt,proponemus nobis hominẽ perfectum,eiusque prolificationem re-

nem recenſebimus. hæc eſt ſententia ſequentis capitis, ſcilicet de ſemine voluntario: ſicut enim quis ex patris ſemine naſcitur, ita pater ex ſuo patre natus fuit, & ſic retrocedendo vſque ad primum hominem. Dicendum quidem erat de primo patre omnium prolium: cùm autem ille non ſit natus (id quod credere nequimus) ſed creatus, noſtram philoſophiam de conceptione infantium, doctrina de eſſentia creationis illius non locupletabimus. Multa enim nos mouent, vt credamus plures patres, quàm vnum fuiſſe in prima creatione hominis, videlicet peculiarem creatum patrem MONOCVLORVM, peculiarem GNOMORVM, peculiarem bipedum. Philoſophia enim hoc non concedit, patrem bipedẽ generare Sciopodem, imò contrarium potius fit: ſimile enim ſimile procreat, non diſſimile. Argumenta contraria in ſuo valore relinquimus in hac philoſophia: noſtrum enim propoſitum eſt inueſtigare & declarare, quomodo vnum ex altero generetur. Vbi dicimus, quòd à Deo conceptio libe-

rorum ſit ordinata & conſtituta. Ad manum autem ſumimus exempli gratia B I P E D E S homines: qualis enim eſt generatio illorum, talis etiam eſt aliorum, qui non ſunt bipedes: quamuis enim genera ſeu ſectæ forma differentes multæ ſint, forma tamen & interior ſubſtantia non eſt diſpar. Cauſa autem cur hoc exemplū B I P E D V M proponamus, non eſt quòd nos quoq; huius ſectę ſumus, aut quòd nobis magis noti ſint, quàm reliqui, aut quòd maximam partem mundi inhabitent, nulla harum cauſarū nos mouet: cauſa autem noſtra vera eſt, quòd I E S V S C H R I S T V S natus eſt homo bipes, ideoque exiſtimamus reliquas ſectas non eſſe perfectas in ſua forma, ſed in aliquo deficere, cùm tripedum formæ nihil deſit. Quanquam enim monoculis nihil in viſu obſit, quòd vnum tantùm oculum habeant, ſicut nec Monopedibus curſus impeditur, imò omnes ſectæ aliæ in eſſentia ſua ſe tam perfectos exiſtimant, ſibiq́ue tam placent quàm bipedes, nihilominus differentia quædam inueniri poteſt vnde pateat,

teat, eos creatos eſſe propter formam, & non propter animam peculiarem. Cùm igitur ratio quoq; & vita ijs non deſit tanquam bipedibus, eos quoque æternos eſſe ſinimus, ſicut nos ſumus, nec propter formam eis æternitatem detrahimus. Quòd autem ſint ita creati, nolumus multis confirmare: ſcimus enim in curſu naturæ multa eſſe σφάλματα quæ non creata ſunt, ſimilia in creatione quoq; fuerunt. Ne autem longiùs extēdatur ſermo noſter, ad introductionem noſtri propoſiti ſectas & genera hominum, in quibus immortalis eſt, vt diximus, ordine indicabimus, reſpicientes differentiam formæ, & dicentes eſſe aliquid æternum in AQVIS, quod nobis ſimile & conforme eſt, quò ad immortalitatem, qualia ſunt monſtra marina, etiamſi alia forma ſint prædita, quàm nos, & cùm perſpiciamus in aquis eſſe mundū quendam, ideo noſtrū mundum non ſolùm dicemus, ſed quartam tantùm partem mundi. Non enim negari poteſt etiam in TERRA eſſe mundum, nec non alium in AERE & cœli medio.

Quatuor eſſe mundos iuxta iiij elemēta

In hoc autem libro reliquos tres mundos non conſtituimus deſcribere, ſed tantùm generationem & conceptionem liberorum primi mundi edocere volumus: exemplum nobis erit conceptio hominum in primo quadrante mundi, ſcilicet BIPEDVM: deinde etiam iudicabimus, quòd & illi, qui in ſecundo quadrante mundi, hoc eſt, in AQVA habitant, peculiarem conceptionem habeant: aliam quoque qui in tertio quadrante ſcilicet in TERRA habitant: nec non qui in quarto quadrante in AERE ſcilicet habitant: reliquos autem tres quadrantes his relinquimus, eosque in ſequentibus quatuor libris tractabimus, in quibus multiplicitatem formæ ipſorum, & ſimilia, quæ ipſis inſunt, docebimus: ſunt enim quaſi vitia quædam creationis, ſicut iam antè diximus, & veluti aberratio quædam creationis, & tales ſunt etiam in omni prole ſua: ſunt enim quaſi infans malè perfectus, quanquam talis infans non generet ſui ſimile, cauſa eſt, quòd non ad hoc creatus ſit. Sed ne vos perplexos reddamus ad QVATVOR

TVOR LIBROS properabimus: in principio autem ad maiorem intelligentiam ſequentium capitum, quæ ex libro de Creatione deſumpta ſunt, de creatione vos erudiemus, propterea quòd vobis aliqua obiectio fieri poſſit: quia diximus de creationis aberratione, ideo de æterno quod omnibus formis hominũ iuxta quatuor dictos mundos ineſt, diſſeremus.

DE GENERATIONE HOMINIS

LIBER I.

ADeò liberum & incoactum Deus SEMEN HOMINIS condidit, adeoque abſconditè & tacitè id in homine delitеſcit, vt nullo modo homo ab illo oneretur aut cogatur: ita enim ſemen hominis, ex quo ſecundarius homo naſcitur, intelligite, ac ſi eſſet granum frumenti abſque agro, hoc eſt, quaſi mortuũ & inefficax: ita etiam

Homo non actu, ſed potentia in ſe gerit ſemen

totus homo eſt ſemen, ſed mortuum & infrugiferum, donec fiat coniunctio & concordantia quaſi agri cum ſemine. Dicimus itaque de generatione hominis, nihil in homine eſſe quod generet, & quemlibet hominē tam fœminam, quàm virū eſſe abſq; ſemine, & ſemine carere: id autem ideo dicitur, nullum frumentum naſcitur abſque ſuo ſemine: nulla arbor naſcitur abſque ſuo ſemine, & ſemina illa, ex quibus omnia creſcētia naſcuntur, eſſentialiter inſunt ſuis matribus, quæ ſemen in ſe portant & producūt, ita vt ſemen & ipſum creſcens ſint vnum & idem. In homine autem minimè ita ſe res habet: homo enim non habet in ſe ſemen eſſentialiter ſibi impreſſum, ſuæ naturæ ingenitum, & cum ſua natura vnitum, aliàs in omnibus rebus creſcentibus ſemen vnitum eſt matri ſuæ: in ſenſibilibus autem minimè: illorum enim ſemen non eſt miſtum matri. Diximus enim ſuprà, quòd omnis generatio creſcentium in genere ſit duplex: vna, in qua natura & ſemen in eadem ſunt ſubſtantia: altera, in qua id nō fit, ſed ſola eſſen

tia naturæ per ſe exiſtit abſque ſemine: dicemus igitur porrò, de eo quid multiplicet & augeat res ſenſibiles ſeu animatas, ſumentes exemplum de generatione hominis. Vir igitur nullum in ſe ſemen continet, ſed nec fœmina: ideo falſa docent cæci & putatiui medici, qui magna volumina ſcribunt de SPERMATE: mentiuntur enim cùm dicunt, id eſſe ſperma, quod ipſi ſperma vocant. Sed ne capita noſtra refutatione illorum pileatorum doctorum repleamus, breuiter vos ad ipſum textum deducemus, noſtrumque propoſitum, concluſiuè docentes: NVLLVM PRORSVS INESSE SEMEN VIRIS AVT FOEMINIS. Ex hoc fundamento textum noſtrũ incipiemus. Doctrinam, quam propoſuimus, hoc modo conficimus: Deus omnibus rebus, quę non habent in ſe ſpiritum ANIMALEM hanc vim dedit, vt ſe ipſas ex congenito ſibi ſemine multiplicent, ita vt in ſemine ipſo inſit hæc proprietas, & in natu-

ra ipſarum habitet, creſcat & decreſcat: arbor enim non eſt abſque vi ſui ſeminis: imò vis illa, ex qua arbor naſcitur, ſemper cum ipſa habitat, nec ab ea ſeparari poteſt aut auferri, & ſimiliter intelligendum de omni herba, gramine, frumento, &c. In homine autem non ita ſe res habet: homo enim tantummodo naturam vitæ ſuæ in ſe continet, & quicquid ad inſtrumenta vitæ pertinet, ideoque homo factus eſt, & ad id prædeſtinatus: SPIRITVS autem ſeminis, qui ex ipſo alium hominem procreare debet, non naſcitur, neque eſt in ipſo, neque ipſi concreatus eſt, vt in arboribus & alijs creſcentibus: ideo homo neque lætari neque grauari poteſt quòd ſperma ſuum in ſe habeat, quoniam abſque ſpermate viuit. Id autem eo modo à nobis percipite, (vt vobis, quod res eſt, dicamus) quòd ſubſtantia ſeminis & natura hominis non ita creata ſint, vt ſimul ſint in homine, ſed tantùm eſſentia naturæ in vita, & ad vitam ineſt homini, & nihil de ſpermate. Quanta igitur eſt ſtultitia & ignorantia Deorum illorum terrenorum,

Spiritus generatiuus: vide ſuperiorem libellum.

norum, qui falſum quid hoc loco in-troducunt, docentes res animales eo-dem modo ſe habere ſicut inanimatas, quaſi homo ſit arbor, in eoque creſcat ſemen vt herba aliqua. quæ doctrina riſu potius digna eſt? Vobis autem co-gitandum eſt, omne id, quod ſibi ſimi-le procreat per obiecti modum, ſemi-ne connexo carere, quod imperiti me-dici SPERMA nominant, cùm ta-men ſperma non ſit ſemen, nec ſemen fiat: ſperma enim eſt excrementum re-num, ſicut pituita narium cerebri pur-gatio eſt & excrementum: pinguedo autem aurium choleræ excrementum eſt: ideoq; miror, medicos illos inſcios dicere, ſi pituita per emunctorium ſper matis egrederetur, poſſe eam eſſe ſper-ma aut cholerā: ſtercus autem renum eiuſmodi eſt emunctorium, per quod exit ſubtiliſſima ſuperfluitas totius corporis, & non pertinet ad ſemen, ſed ad valetudinem corporis. Ne autem à textu noſtro longiùs recedamus, no-tate illud, quod medici ſperma nomi-nant, non eſſe ſemen, ſed tantùm ex-crementum.

Sperma nō eſt ſemen verum ho-minis.

De OBIECTO in principio textus dixeramus, quòd obiectum hoc habet, ſemen congenitum non habere, id quòd ſolis ſenſibilibus ſeu animatis contingit, ſiue rationalia ſint, ſiue irrationalia, nihilominus obiecti proprietatem habent, quantum ipſis opus eſt. atque ita quidem conditum eſt id obiectum, vt & irrationalia animalia, & rationalia illud intelligant. Obiecta autem hæc ita intelligite, Deus rebus animatis impoſuit liberum arbitrium, quòd ad ſemen, ita vt quodlibet animatum, ſi velit, ſemen habere poſſit, in eiusq́ue libero arbitrio ſemen ſit poſitum: non enim Deus animata ſemine onerauit, vt alia creſcentia: & quamuis voluntas vel arbitrium ſit rationalium & non irrationalium, nihilominus cùm homo ſit animal, obiecto mouetur quaſi ratione carens. Sicut igitur dictum eſt de Generatione hominis, propoſitum noſtrum exequemur, relinquentes reliqua animalia, de quibus peculiari libro tractabimus: de homine igitur pergemus, dicentes: Si velit homo, poſſe eum ſemen nanciſci.

Obiecta mouet vim generatiuā hominis.

Deus

Deus enim multas ob cauſas, quas huic philoſophiæ non immiſcebimus, eum talem fecit, vt ſit liber & voluntarius, vt ſi libeat, poſſit ſemen habere, & contrà, nec cogatur. Sed ad euitandam perplexitatem hos ſermones omittimus, & ad textum noſtri propoſiti tendimus, dicturi primùm quomodo homo ſibi ipſe ſemen parere poſſit vel non: ſecundò quomodo illud ſuccedat: vltimò quomodo ſemen in ſua formatione creſcat.

Principiò itaque hoc modo Deus hominem conſtituit, vt iuxta ſuum arbitrium ſemen habeat: Deus enim homini indidit PHANTASIAM concupiſcentiæ & libidinis, & vt ea materialis fiat, voluit: illa materia eſt ſemen, de quo hîc loquimur. Vt autē faciliùs & meliùs rem intelligatis, ſcitote, ſi phantaſia illa concupiſcens & libidinoſa in homine fiat de homine, & in actum deduci illa ſpeculatio velit, tunc in homine ſemen natum eſt, ſed nondum emiſſum eſt, & nondum eſt efficax, ſicut ſemen eſſe debet. Hæc phantaſia libidinoſa oritur ex ſpe-

Speculatio obiecti gignit phantaſiam concupiſcentē, quæ in actū deducta, fit materia & ſemen.

culatione: ſpeculatio enim phantaſiã parit, definit & format: ſpeculatio autem ex OBIECTO oritur: ſi enim vir pulchram fœminam videat, tunc cauſa & obiectum adeſt ſpeculationis in ipſo, & quando ex ratione ſua cogitat cur condita ſit, tunc voluntatem ſuam indulget, & phantaſiam efficit: hoc eſt obiectum in homine, ſi vnum contra aliud ſit poſitum, & phantaſiam efficiat: ſponte enim ſua phantaſiam non poteſt ſibi gignere, niſi obiectum reale vel imaginarium ſibi proponat. Ita Deus generationem hominis ordinauit, vt in vtroque ſexu conſiſtat, & vt alterutrum alteri imaginatione infigatur, fœmina viro, & contrà: ita in ipſis duobus perfecta phantaſia naſcitur: vnus enim ſolus dimidiã tantùm phantaſiam habet: ambo autem integram phantaſiam efficiunt, ita enim Deus eos condidit. Cùm itaque phantaſia ſit mater ſeminis, & non natura hominis, ſatis intelligi poteſt, ſemen in libero hominis arbitrio eſſe poſitum, vt magnum, paruum, aut prorſus non exiſtat. dum enim obiectum non habet,

vt

vt dictum eſt, nullā etiam phantaſiam, & ſic nullum ſemen habet. Quomodo autem ſemen ex ſpeculatione hominis oriatur, hac via à nobis percipite: Phantaſia ſemen procreat non natura. Deus autē LIQVORIBVS CORPORIS hanc vim dedit, vt ſi ab hominis phantaſia inflammentur, ſemen fiant, aliàs per totum corpus quietè deliteſcant, ſicut lignum quod igni admouetur & incenditur, & ſic ignis flagrans fit: ita etiam phantaſia in homine talis à Deo creata eſt, vt hominem efficiat talem, qualis ipſa eſt: ſi enim iracunda eſt, totum corpus iraſcitur, ſi auara, totum corpus auarum eſt. De ſemine igitur hominis ſimiliter intelligēdum eſt, quòd LIQVOR VITAE ſit quaſi lignum: phantaſia autem ignis eius, qui illum accendit ſicut lignum, vt fiat ſemen, ſicut à Deo prædeſtinatum eſt. Atque ita concludimus hunc ſermonem, & dicimus, obiectum efficere phantaſiam: phantaſiam autem procreare ſemen, & non naturam.

Phantaſia format corpus iuxta ſuum modulum.

Sed nec hoc obliuiſcendum eſt, quomodò ſemen perficiatur, hoc eſt, in cen

trum ſuum deueniat, vbi formari debet: matrix igitur talis à Deo conſtituta eſt, vt vim magneticam ſicut ſuccinum habeat, qua vi attractiua ſemen viri ad ſe trahat, ſicut magnes ferrum, & ſicut carabe ſericum: ita enim Deus voluit: niſi enim matrix vim attractricem haberet, non impregnaretur, nec ſemen viri conciperet. Fit autem hoc modo illa attractio, quando fœmina ſuam phantaſiam formauit, tunc ſtatim illa forma quaſi ſemen perfectum in matrice aliquandiu poſita eſt, & non in corpore manet ſicut in viro accidit, imò properè in matricem deſcendit, tunc matrix concipit per virtutem attractiuam ſemen viri, nec diutius manet ea quàm ſemel: quoties enim noua adeſt phantaſia, toties adeſt nouus magnes. cauſa autem conceptionis eſt, ſi magnes ille magnetem alium rectè comprehendat: ita ſemen in matricem deuenit, nec vlla alia cauſa eſt. Phantaſiæ igitur propter obiecta creatæ ſunt, quæ eò tendunt, ad quod prædeſtinatę ſunt, & quaſi grana agro committuntur. Quando autem hoc modo ſemen

Matrix attrahit viri ſemen.

ſemeh in matrice poſitũ eſt,vel formatur vel non:ſicut granum in agro non fert fructum ſi non ſtercoretur, aut aliàs non rectè habet: ita etiam ſæpè accidit ſemini, vt pereat & ſteriléſcat ex matricis affectibus, quæ porrò libris medicinalibus commendamus.

De formatione autem ſeminis ſcitote,omnia membra,quæ in toto corpore ſunt,vt ſunt ſanguis,caro, oſſa,venæ, medullæ, & ex quolibet ſemine prodire, quando ſcilicet ſemine commiſta ſunt, vt amplius diſcerni nequeant, ita vt quælibet pars ſuam partẽ gignat, oſſa oſſa,caro carnem, in ſumma qualis diſtributio eſt in toto corpore, talis etiã in ſemine fit,idq; ex vi naturæ creatæ ita à Deo,vt cùm in matrice iacet ſemen,homo ex eo fiat. Vtrunq; autem ſemen vnum fit,& vnum hominẽ conſtituit:& cuius hominis ſemen in quolibet membro prædominatur in formę productione, illi aſſimilatur membrũ illud: quòd autem infantes non ſint vtriq; ſimiles,in cauſa eſt mixtio & vnio duorum ſeminũ,quę ambo operantur, ideo medium quid ex vtroq; formatur.

Formatio fœtus.

Similitudo parentum.

Phantaſia præualens ſexum dat. Cur autem fœmina vel maſculus gignatur, in cauſa eſt phantaſia: ſi enim fœminæ phantaſia ſit vehementior & & ardentior, tunc fœmina naſcitur: phantaſiæ enim vis ſuperat: ita de viro quoque intelligendum eſt: nunquam enim phantaſiæ pares ſunt, ſed ſemper vna eſt altera fortior. Quòd ſi aliqua membra corporis ſemen ſuū non reddidiſſent, illa membra infanti non naſcuntur, & ſi ſemen duplicetur, & præſertim ſi omnia ſemina duplicentur, tunc gemelli naſcuntur. In his & ſimilibus ſola cauſa eſt, quòd ſemina diſſimiliter generentur, aut quòd non iuſta diſpoſitione miſceantur, aut quòd diſſimilia ſemina vniantur, aut quòd ſemen capitis duplicatur, reliqua autem non, tunc biceps naſcitur, ſic & duo ininfantes ſimul nexi gignuntur, cùm ſemina duplicata fuerunt, ſed non rectè ſeparata à natura: de hac autem varia formatione infantium longus ſermo inſtitui poſſet, ſed intelligenti id non eſt neceſſarium.

Embryonis vegetatio. Vt autem de formatione ſeminis & infantium audiuiſtis, ita porrò etiam de

de ipſius vegetatione diſcite: QVADRAGINTA SEPTIMANAE à Deo præfinitæ ſunt infanti, quibus in vtero materno creſcere debet, ſicut vuæ & triticum ſuum terminum habent, in quibus maturantur. Primùm enim natura incipit diſponere ſemen & formare: quo facto creſcere incipit & roborari iuxta ſingula membra, ita vt ſemen oſſium os fiat, venarum ſemen vena fiat, &c. donec quoduis membrum ſit id, quod eſſe debebat, tunc natura deſinit; & non amplius infantem elaborat, ſed totam eius eſſentiam relinquit: eſt enim perfectus, nec natura aliquid amplius in ipſo efficere valet. Poſtremò GRATIA DEI affulget, cuius eſt omnia creata perficere, vt ad ſuũ finem prædeſtinatũ perueniat, hæc da infanti VITAM. Hoc modo incipit infans viuere, & quotidie fit fortior, donec tam robuſtus fiat, vt terrã & aerem mundi pati poſſit: tunc adeſt hora generationis & partus, atque ita naſcitur infans, qui iuxta ſuam proprietatem adoleſcit. *Viuificatio embryonis*

VT AVTEM de perfecto hominè

loquamur, non ſolùm de infante, ſcl' tote in vita omnia neceſſeria homini ineſſe, & quæcunq; ad hominem ſpectant. quamprimùm enim Deus homini vitam & gratiã largitus eſt, tunc & ANIMAM, viſum, auditũ & SPIRITVM habet, & omnia alia, quæ ad hominem requiruntur, ſcilicet intelligentiam, ſapientiam, prudentiam, &c. ſed hæc omnia quaſi cæca ſunt & debilia: attamen vnà cum natura creſcũt, & quò robuſtiora membra fiunt, eò robuſtiores etiã res dictæ fiunt. Non ſolùm autem hominis generationem deſcribere nobis propoſitum eſt, ſed & de STATV HOIMNIS loqui, quomodò ſcilicet excellat boues & vitulos, quos noſtri parentes & amici alunt & mulgent: homo enim nihil aliud eſt niſi mortale quiddam, atque hoc modo nihil differt à vitulo: ſed nos intra hos terminos non manebimus, imò de interiori homine loquemur, ſcilicet de LVMINE hominis. Relinquemus igitur ea, quę in in homine fragilia & corruptibilia ſunt, & interiora eius conſiderabimus, quæ in vitulo non ſunt,

De lumine naturæ ſpirituali, quo homo differt ab alijs animãtib.

hæc

hæc nos fautoribus noſtris explicare decet in hac philoſophia, aliàs enim vna philoſophia eſt de cato & de homine: nobiliſſima autem philoſophia eſt contemplari hominis partem immortalem. Quid enim nobis prodeſt catorum viſus & canum latratus? eſt enim hæc mortalis & incerta Philoſophia: nos autem nobiliſſimam & ſummam illam Philoſophiam expetimus, quam nunquam deſeremus. Quid autem eſt id, quod fundamentum ſtabile habet, & non vacillans, quòd tineæ corrodere poſſint? dixi iam nos mortalem partem, quam homo in ſe gerit relicturos, & deinceps illud vnicum contemplaturos, quod in ipſo eſt immortale, id quod pro ſumma Philoſophia habemus. Cùm autem de talibus ſcribere conemur, ſummis confirmationibus opus erit, ideoque pro veſtra ſententia Logicorum doctrina vobis opus erit, ſed nos illam nihili facimus ob hanc cauſam, quòd ipſorum caro & ius nobis videntur eſſe nimis cocta, & coquendo ſuffocata, quaſi diceremus, prorſus flocci

pendimus in noſtris cogitationibus ſubtiles & altos ſermones, multæ ſublimes & argutæ ſubtilitates ſunt apud Logicos: via autem quæ ante oculos ipſorũ eſt, eſt prorſus ſalebroſa & aſpera.

Interior homo immortalis eſt lumen naturæ ſeu ratio et intelligentia hominis.

Quando igitur de ſtatu hominis loqui volumus, quid is ſit, ante omnia nos ſcire oportet, tanquam loco fundamenti, vbi lateat veritas & mendacium: ſtatus enim hominis nihil aliud eſt, quàm ſubſtantia ſcientiæ, intelligentiæ & ſapientiæ ipſius, & quæcunq; ad altitudinem hominis pertinent. Vt igitur vobis hæc explicare poſſimus, & egregiè philoſophemur de his, non reſpiciemus vllius ſtraminei ſcriptoris ſubtiles doctrinas, & ſpiritus volantes, quin potius clarè vos inſtituemus, de hominis intelligentia, cogitationibus, ſapientia, doctrina, ſcientia, prudentia, ſtatu, &c. ſimul indicantes vnde hæc omnia fluant & oriantur: hac doctrina contenti erimus, vt veritatis fundamento potius, quàm incertis nugis corporis mortalis. Corpori itaq; immortali hominis Deus dedit dintelligẽtiam, rationem,

tionem, ſapientiam, doctrinam,ſcientiam,eſſentiam, & quicquid immortale eſt: omnis enim ſapientia & intelligentia hominis, vnà cum corpore immortali, etiam extra corpus mortale, immortalis eſt, & poteſt homo viuere vt interior homo, & non ſolùm vt exterior:interior enim homo ęternus eſt, clarificatus & verus,& quanquam non videatur corpori mortali eſſe perfectus: attamen poſt diſceſſum ab eo id eſſe videtur. Illud igitur de quo diximus eſt LVMEN NATVRAE,éſtque æternum:id Deus homini exteriori conceſſit,vt per corpus interius regatur,idq́; iuxta intelligentiam.quæcunque igitur agit homo ex lumine naturæ agere debet:lumen enim naturę tantùm ratio eſt,& nihil aliud. Qui igitur verus medicus eſſe cupit, ex intelligentia ſua ſeu lumine naturę medicetur & ſtatuat oportet,& non abſq; eo.lumen illud eſt id,quod lumen cõciliat. Chriſtus enim vult, vt cum conſcientia tua credas & ſine ipſa minimè: temeraria enim mens non certa fides: ſi vis arte aliqua vti, iuxta lumen naturæ ea vta-

ris,non incerto modo: Deus enim ſatis luminis vnicuique dedit in eo,ad quod prædeſtinatus eſt, vt non poſſit facilè errare. Magna eſt conſideratio, quòd Deus omnia prædeſtinat in lumen naturæ,vt homo ſcilicet iuxta intelligentiam viuat & non aliter:ratio quidem ineſt homini, ſed VOLVNTAS eſt lubrica & inconſtans.

In quolibet lumen naturæ eſt perfectum, ſed inſtrumentis impeditur.

Vt autem deſcribamus originem interioris hominis vel corporis, ſcitote, omnia corpora interiora eſſe tantùm vnum corpus,ita vt in omnibus hominibus vna res ſit: diſtingui autem iuxta bonam vel malam diſpoſitionem cellarum in homine: inde eſt quòd iſte aliud habet, ille aliud, hic aliud, & ſi omnes conferantur, vnicum lumen erit & vnicus intellectus: ita vt ſi perfectè viueremus, omnes ſimiles eſſemus & eadem intelligentia præditi, non duabus, tribus, &c. Notate igitur quando homo concipitur & naſcitur vt corporalis eſſentia, quòd perfecta luce naturæ ſit dotatus, eaq; prima die tanta eſt in ipſo,quanta poſtrema, ſemper ſcilicet per ſe perfecta: quòd autem

tem imperfecta eſſe videtur, cauſat debilitas cellarum: & robur immaturum, quod intelligentia requirebat in inſtrumentis, in quibus ſita eſt: idcirco notate, puerum non indigere diſciplina vlla, quòd ad intelligētiam & rationem: non enim ipſi datur, ſed ad ſolam perceptionem: rationem enim per ſe iam habet: perceptio autē eſt modus vtendi ratione. Lux autem naturæ, de qua in ſuperioribus capitib. audiuiſtis, nobiſcum naſcitur ex Adamo & Eua: natura enim ex eſſentia innata quandā intelligentiam, ſapientiam & prudentiam natiuam in ſe habet, quæ ad corpus non ad animam pertinēt, vt ſcilicet corpus ſua intelligentia vtatur ad ſui ſuſtentationē, quæ non ex luce ſpiritus, ſed naturæ proficiſcitur, & eſt ſimilis intelligentię pecorum, qua corpus ſuum tuentur, & quæ corpori neceſſaria ſunt, vident: eſtque hæc lux peculiaris, & in ipſo quoque corpore perficitur: talis etiam eſt prouidentia & ſapientia, quæ in corpore manent.

Intelligentia mortalis, quæ animantibus quoque ineſt.

Hæc autem omnia corporalia ſunt, quæ hic omittimus, & porrò tractamus de ſpiritu, cùm de corporalibus

iam dictum ſit,quæ ad corpus noſtrum requiruntur, quomodo ea oriantur: poſthac igitur dicemus de ijs, quæ in ſpiritu ſunt, in quibus ſtatus hominis conſiſtit,vt dictum eſt,quòd infanti infuſa ſint, videlicet primò ANIMA, quæ in æternum hominum onus aut gaudium feret,cui adiunctæ ſunt intelligentia, prudentia & ſapientia, quæ tres corpus regere & informare debēt, ne animę nimium onus incumbat. Pręter hæc tria datus eſt SPIRITVS, hoc eſt, intellectus à quo regitur ratio, ſapientia & prudentia. Ex his procedit ordo vitæ,omnia tamen ex lumine ſpiritus ſunt, ſicut & natura ipſa, quæ lux naturæ eſt. Scitote autem rationi illi & lumini naturæ in homine, de quo ſuprà dictum eſt, aliquid falſi admiſceri, nempe quòd quidam ſpiritus peregrini ſunt,qui homini inſpirant aſtutiam, ſubtilitatem, hoc eſt, cogitationes volatiles,pertinentes ad laudem,gloriam, ſubtilitatem, ingenij acumen, ſapientiam,prudentiam,rationem:illa autem non ſunt ex ſpiritu, aut doctrina luminis naturæ,ſed ex malis ſpiritibus. Hæc

Sapientia fucata extra lumen naturæ.

ſomnium

ſomnium quoddam & vigilantē phantaſiam obijciunt: ſicut enim homo in ſomnis ſomniat, ita vigilando hæc homini phantaſiam gignūt, & quandam ſapientiam ſpectantē ſolummodo ambitionem, gloriam & laudem, & ſimilia. Et quamuis non introeant hominem, nihilominus ſpeculum ſunt, in quo homo ſeipſum contuetur, & ex quo faciei ſuæ ſcientiam concipit: cùm enim phantaſiam format, tunc phantaſiæ obiectū ſuum datur à ſpiritibus, ita vt phantaſia ſuum obiectum videat, & quicquid ei placet, eligit, & ad ſe trahit. In his autem non eſt efficax lumen naturę & lumen ſpiritus, imò ſola phantaſia magiſtra eſt: ea ex ſpeculatiuis cogitationibus & imaginibus in obiectū dirigitur, quòd ipſi quaſi in ſomno apparet.

Vt igitur ſuprà dictum eſt, tria homini adhærent, lux naturæ pertinens ad ſuſtentationem corporis: deinde lux ſpiritus, quæ conſiſtit in tribus, ſapientia, prouidentia & ratione, quæ corpus regunt: & poſtremò lux quædam imaginaria ſpectans ambitionem & pro-

propriam gloriam. Ita autem Deus voluit, vt homo homini intellectum & ſcientiam det, vſumque luminis proprij demonſtret: cauſa eſt, quòd homo non ſemper ſit perfectus in cellis ſuis, hoc deeſt rationi & ſcientiæ: ideo Deus ordinauit, vt homo hominem doceat & erudiat in ſcientia & intelligentia, vt ratio ipſius exercitatione indureſcat. Quòd ſi verò cuilibet homini cellæ & inſtrumenta corporis interioris pura & integra eſſent, nullusque ſiniſtrè natus eſſet, nullus hominum indigeret præceptore: quilibet enim ex ſe ſatis ingenioſius eſſet. ad ſpeculandum, concipiendum & diſcendum ea, quæ aliàs diſci ſolent, imò longè melius diſceret: cùm autem inſtrumenta peruerſa ſint, & rationem obtenebrent, cæcutit etiam intellectus. Atque hoc loco ſciendum eſt, intellectum & ſcientiam hominis longè aliam habere cellam in homine, quàm rationem. Cui illa cella pura & ſincera ineſt, is perfectus homo eſt. Vt autem ad finem propoſiti noſtri appropinquemus, hoc ſtatuemus, quòd Deus homini

Ratio eſt in quolibet, ſed inſtrumenta non ſunt.

homini interiori dederit omnes ſcientias,ſapientias & intelligentias, quæ ad æternitatem pertinent, dum in hac vita eſt:hoc modo Deus prouidit corpori,& ex tribus rebus perfectis illud compoſuit, perfectis quidem per ſe: magis tamen dominus Deus noſter conſiderandus eſt ,& ſpiritus boni & mali,qui homini dominantur,&c.

Cùm itaque dixerimus de triplici Generatione & Vegetatione hominis, dicemus iam de Statu hominis, qui eſt inter adoleſcentiam & deſtructionem corporis. Duo autem conſideranda ſunt in ipſo,corporale & æternũ quod in ipſo eſt:corporale quidem ſuſtentat æternum, vt hoſpes hoſpitem aduentitium:relinquimus autem hoc in loco æternũ,& corporale tractamus. Quòd igitur corpus cõſeruat VITA eſt,cuius naturã Deus ſolus, & nullus homo explicare poterit:cõſiſtit autẽ vita ex quatuor rebus,ex humoribus,cõplexionib. ſpeciebus naturalib. & donis. Quatuor humores ſunt quatuor ſucci in medullis:ſed ne obliuiſcamur naturę hominis de ſanguine ſcil.melãcholia,colera,&c.

perinde ſe res habet, ac ſi ex patre ac matre medium quid, infans naſcitur. In primo homine omnis infidelitas in fœmina fuit poſita, inde omnibus connata eſt infidelitas: primo quoque homini infuit miſeria, in fœmina verò ſalus fuit & redemptio: in Adamo fuit virtus & honeſtas: in fœmina verò peruerſa vita & ſtultitia, & hanc naturam hæreditario accipit homo à ſuis parentibus. Quòd autem homo complexionibus præditus eſt, quas medici falſi ſanguinem, melancholiam, phlegma, choleram vocant, ita intelligite, quatuor colores homini dati ſunt, in Eua quatuor & in Adamo quatuor, & tamen illi quatuor vnius ſunt generis, videlicet fuſcus, albus, niger & ruber, qui in Eua ſunt clari & pulchri. Ex his quatuor coloribus homini cuilibet color ſuus oritur, prout temperantur inter ſe color fuſcus, albus, niger, ruber. Inſunt etiam homini quatuor complexiones, frigiditas, humiditas, &c. illæ hoc modo oriuntur: in Eua fuit complexio ſicca & frigida, in Adamo humida & calida, hæ duæ complexiones contrariæ ſunt

Vitia.

Colores corporis.

Complexiones.

ſunt: ex his autem commixtis aliæ duæ natæ ſunt, ita vt ex ſiccitate Euæ & caliditate Adæ complexio reſultet calida & ſicca, & ſimiliter alia ex frigiditate Aeuæ & humiditate Adæ:nec non aliæ duæ vna in qua caliditas Adæ ſuperauit frigiditatem Euæ : ſiccitas verò humiditatem, altera in qua contrariũ eſt. Cur autẽ vnus homo altero libentius furetur, hæc cauſa eſt, mera honeſtas fuit in Adamo: contrarium autem honeſtati in Eua. hæc etiam cum ſemine in nos defluxerunt varia proportione, & prout quiſq; partem ſuam obtinuit pro eo eſt natura eius: in vno enim vis furandi,in alio vis libidinum,in alio luſus amor vicit,&c. Ideo ne vos conturbet doctrina ignarorum Aſtronomorum, qui hæc omnia ſtellis attribuunt: homo enim per ſe creatura eſt, & ſic aer,terra, &c. nullum horum alteri dominari debet,aut id impellere ad infortunium aut fortunam: luna libera eſt, ſic & cœlum, & ſic terra : homo vtitur terra, terra etiam cœlo vtitur : cœlum immunditiem ſuam in terrã proijcit,& ſi quid in ipſo corrumpitur: ita homo

Natiuæ concupiſcentiæ.

quoque terra, ea omnia accipit. Sed & *Morbi & mors.* bonæ vel aduerſæ valetudinis reddamus rationem. docemus hominem eam non ex primo ſemine habere, ſed ſolummodo ex proprio errore eorum qui ex primo ſemine orti ſunt, nec alia cauſa eſt, quàm quòd omnia à Deo corruptioni obnoxia facta ſint, vt de Conceptione docetur. *

Principiò noſtrum argumentum erit in deſcriptione hominũ, vt videam quid eos portet & vnde viuant: Primùm itaque ſcitote, terram nos ferre & aerem, & quicquid ex terra naſcitur id nos alit. In Nymphis autém res ſe longè aliter habet: nam neq; terra neq; aere vtuntur: primum itaque noſtrum argumentum erit, quid comedant & vnde viuant & ſuſtentẽtur. Nymphæ enim ſunt illæ, de quibus dicit Chriſtus: Omnes homines, qui non ſunt ex ouili hoc, ſeu ex hoc mundo noſtro: nam non excludimus alios tres mundos, imo ipſos quoque computamus, ita vt ſint tres mundi extra noſtrum, ex quibus vnus paſtor & vnum ouile fiet: ideò non

cò non curamus ſanctos illos librorum ſcriptores, qualeſcunque ſint,&c.

Cætera deſunt.

Finis opuſculorum primæ claſsis in genere de Medicina tractantium.

REGISTRVM

a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z. aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn oo pp qq rr ss tt uu xx yy zz. && ** çç):( ):(A B C D E F G H I.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

2

THEOPHRASTI PARACELSI GERmani philoſophi ac medici ſummi

De Morbis foſſorum metallicorum.

LIBRI PRIMI
Tractatus primus

De ſimilitudine peripneumoniæ & morbi metallici.

CAPVT I.

AD deſcriptionem morbi metallici, ante omnia opus eſt aliquo modo reuelare morbum illũ veterum dictum Peripneumonia, quibus ſcilicet modis contingat. Nam ex illo fonte ſimiliter intelligetur generatio & origo morbi metallici, quoniam ſolummodo elemento & loco differunt, vniformiter autem oriuntur. Eſt igitur Peripneumonia mor-

Cognatio Peripneumoniæ & morbi mineralis.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

bus pulmonis, & quicquid porrò in corpore pulmo inficere poteſt: ſimilis ei eſt morbus metallicus. Poſthæc ſequitur in primo tractatu generatio peripneumoniæ, quomodo ſcilicet oriatur, eaque breuiſſimè comprehenſa, quantum hîc annotare opus erat.

Diſtributio libri primi.

2 Hunc eueſtigiò ſequitur ſecundus tractatus, in quo docetur origo morbi metallici. His cognitis, ſequitur tra-
3 ctatus, in quo dicitur de natura & eſſentia exterioris & interioris corpo-
4 ris, ex quibus morbus conflatur. In quarto & vltimo tractatu agitur de cura morborum metallicorum, vnà cum medicamentis ad id neceſſarijs. Vt autem ſciatis, quid ſit morbus metallicus, ſciatis eſſe eum ipſum, quo homines metallici & quicunque in fodinis laborant fodiendo, tractando, lauando mineras auri, argenti, ſalis, aluminis, ſulphuris, plumbi, cupri, ſtanni, ferri, argenti viui, corripiuntur: iſti enim omnes incidunt in peripneumoniam, in tabem corporis, in apoſtemata ventriculi, & morbo metallico laborant.

borant. Sciendũm eſt autem porrò, quòd de iſtis morbis apud veteres nihil reperiatur: cùm igitur à veteribus hactenus non deſcripti fuerint, etiam cura eorum omiſſa fuit: nihilominus homo tales morbos inueſtigare poteſt, vnde oriantur, & per lumen naturæ eos penitùs indagare. Quare ſequitur eorum deſcriptio in quatuor proximis tractatibus: & quoniam peripneumonia nunquam verè ſicut lumen naturæ monſtrat, deſcripta aut declarata eſt (nam quamuis ſuis rationibus optimè probatum eſſe dicant, quid morbus per ſe ſit: tamen iſtæ rationes in philoſophia deridendæ videntur) ſciatis eam eſſe ipſius originem & generationem, ſicut hîc doceo: ſimiliter quoque morbi metallici, qui quidem in ſua generatione teſtatur veterum errores in his, quæ de pulmone ſcripſerunt. *Veteres nõ deſcripſerunt morbum mineralem.*

bus pulmonis, & quicquid porrò in corpore pulmo inficere poteſt: ſimilis ei eſt morbus metallicus. Poſthæc ſequitur in primo tractatu generatio peripneumoniæ, quomodo ſcilicet oriatur, eaque breuiſſimè comprehenſa, quantum hîc annotare opus erat.

Diſtributio libri primi.

2 Hunc e veſtigiò ſequitur ſecundus tractatus, in quo docetur origo morbi metallici. His cognitis, ſequitur tra-
3 ctatus, in quo dicitur de natura & eſſentia exterioris & interioris corpo-
4 ris, ex quibus morbus conflatur. In quarto & vltimo tractatu agitur de cura morborum metallicorum, vnà cum medicamentis ad id neceſſarijs. Vt autem ſciatis, quid ſit morbus metallicus, ſciatis eſſe eum ipſum, quo homines metallici & quicunque in fodinis laborant fodiendo, tractando, lauando mineras auri, argenti, ſalis, aluminis, ſulphuris, plumbi, cupri, ſtanni, ferri, argenti viui, corripiuntur: iſti enim omnes incidunt in peripneumoniam, in tabem corporis, in apoſtemata ventriculi, & morbo metallico laborant.

borant. Sciendum eſt autem porrò, quòd de iſtis morbis apud veteres nihil reperiatur: cùm igitur à veteribus hactenus non deſcripti fuerint, etiam cura eorum omiſſa fuit: nihilominus homo tales morbos inueſtigare poteſt, vnde oriantur, & per lumen naturæ eos penitùs indagare. Quare ſequitur eorum deſcriptio in quatuor proximis tractatibus: & quoniam peripneumonia nunquam verè ſicut lumen naturæ monſtrat, deſcripta aut declarata eſt (nam quamuis ſuis rationibus optimè probatum eſſe dicant, quid morbus per ſe ſit: tamen iſtæ rationes in philoſophia deridendæ videntur) ſciatis eam eſſe ipſius originem & generationem, ſicut hic doceo: ſimiliter quoque morbi metallici, qui quidem in ſua generatione teſtatur veterum errores in his, quæ de pulmone ſcripſerunt. *Veteres nõ deſcripſerunt morbum mineralem.*

CAPVT II.

Aer fœculentus & corruptus ab aſtris cauſa Peripneumoniæ.

VT autem iſta intelligatis, ſciēdum eſt, aerem eſſe illud corpus, ex quo oritur Peripneumonia, & abſque corporali aere pulmoni nihil accidere mali: Vt ſi quis bibat & illud pulmoni afferat noxam, dico eam non eſſe ex potu, ſed ex aere, qui ex parte eſt cibus, ex parte excrementum: de aere enim omnibus modis ſentiendum eſt, vt de cibo, & ſicut fieri poteſt, vt morbum pariat cibus, ita etiam aeri poſſibile eſt morbum generare. Itaque hîc non opus eſt aliud declarare, niſi ſolùm Chaos, quod quidem ſolum elementum eſt, quod hîc tractandum eſt ſub tali ſimilitudine. Videtis inter terram & cœlum chaos eſſe poſitum, quod quidem ſolum iſtum morbum pulmonis parit, nempe, febres, apoſtemata, phthiſin, obſtructionem, tuſſim, anhelationem, anguſtiam & alias ſpecies: homo enim ex illo chao ſuum pulmonem nutrire cogitur. iam verò chaos regitur à vi ſtellarum: quale igitur eſt regimen

men earum omnibus temporibus, talis eſt quoque pulmo: & qualis natura datur aeri, talis & imprimitur pulmoni. Hoc eſt fundamentum, ex quo medicus morbos pulmonis cognoſcere debet, nempe quòd ex vi aſtrorum adſint, ſicut morbi, qui veniunt ex cibis. Et quidem ſunt ſpecies in chao, quæ hominem ægrotum faciunt, quot ex cibis naſcuntur: ſimiliter tam bona inſunt chao, malaque, quàm cibis: & ſicut fieri poteſt, vt in cibo aliquid mali immiſceatur, ita & de chao intelligendum. Sicut autem iam audiuiſtis, quòd chaos poſitum inter cœlum & terram cibum afferat pulmoni, ſicut creſcentia terræ cibus ſunt ventriculi, ſimilesque fructus nutritionis vtrobique, inde peruenire ad hos: ſcilicet, qui inter cœlum & terram verſantur; ita etiam ſciendum eſt, quòd eiuſmodi chaos ſit in terræ viſceribus, quod cibat pulmonem hominum, qui in montibus habitant: & ſicut illi, qui ſuper terra ſunt, ex ſuo chao peripneumonici fiunt: ita & illi, qui in monti-

bus habitant, ex ſuo terreno chao peripneumonici fiunt. Cùm itaq; nomina diuerſa ſint iuxta elementa, nempe peripneumonia apud eos, qui ſuper terra verſantur: morbus metallicus autem apud eos, qui in ipſa terra ſunt, meritò peculiari libro metallicus tractari debet: ſuperius enim cœlum percoquit per ſuas ſtellas aerem, qui inter ipſum & terram eſt: mineralia verò terræ cœlum & ſtellæ ſunt, quę regunt chaos terræ. Et ſicut videtis arſenicum nos interficere poſſe, ita ſunt & ſtellæ, quæ ſicut arſenicum interimunt per introductionem chaos: de quibus quidem ſtellis porrò ſcribendum eſt, quibus modis imprimant morbos pulmonis, quantum quidem aeri poſſibile eſt ſuum ventriculum inficere.

Differentia morbi metallici et peripneumoniæ.

CAPVT III.

Fæces aeris coagulātur in pulmone

Sed vt fundamentum aſthmatis breuiſſimè intelligatis, ſcitote cœlum eſſe elementum ignis, eiusq; motum elementarem parere chaos, quo de hîc

agitur,

agitur,atque vt aqua bullit ab igne, ita chaos eſt illud ipſum,quod ab elemento cœli coquitur: & ſicut caro in aqua ſuam vim in aquam emittit, ita ſtellæ virtutem ſuam in chaos transfundunt: atque vt ius illud ex carne hominem nutrit, ita & chaos, de quo hîc dictum eſt,hominis nutrimentum eſt: & ſicut ius in ventriculo digeritur, & peculiarem ſuum canalem habet, ita & chaos in pulmone digeritur, & peculiarem canalem habet: quin & ſicut illæ res incorporatæ proprietatem ſuam obtinent, & iuxta illam hominem ſanum vel ęgrotum reddunt, ita & ſtellæ illæ, quæ in chaos ponuntur, quaſi ius ex ſe præbent ſalutare vel inſalubre. Atque hoc eſt illud ius, in quo miſcetur peſtis, quæ per longum canalem ingreditur, & pone iuxta ſuam anatomiam mittitur, ſicut auis aduolans ſuo nido: & niſi Deus ab initio conſtituiſſet, vt illi, qui à peccato cuſtodiri debent, parati contra id eſſent, quis poſſet ſaluari?

Ita ſcitotę dę pulmonis morbo,quod

deſcendat à viſtellarum, quæ exco-quitur ab ipſis, & triplici modo pul-moni adhæret: more Mercurij ſicut fumus ſublimatus, qui coagulatur; more ſpiritus ſalſi, qui ex reſoluto fit coagulatus: & more ſulphuris, quod per reuerberationem parietibus ag-glutinatur. Sicut videris in puro vaſe, quod autumni tempore vino reple-tur, quod quidem purum & abſque o-mni corporalitate palpabilis coagula-tionis eſſe videtur: expleto autem an-no, & iterum effuſo vino, tres illæ ſpe-cies Mercurius, ſulphur & ſal in illo vaſe adhærentes inueniuntur, quę tar-tarum vocantur. Vt igitur in vino eſt corpus, quod tamen in illo non con-ſpicitur, ita & in chao eſt corpus, quod ſe pulmoni agglutinat tanquam vaſi ſuo, ibique bituminatur ſicut mucila-go in ſuam viſcoſitatem, poſt quod coagulatio incipit. atque hæc eſt materia peripneu-moniæ.

Exemplũ de tartaro vini.

CAPVT

CAPVT IIII.

NON mihi propoſitum eſt deſcribere ſpecies Peripneumoniæ, ſed quæ hîc attuli, ideò dixi, vt ſicut de cœlo & chao, ita & de terra ſe res habere ſciretur. Nam & is qui philoſophię terrenæ peritus eſt, hoc eſt, morbi metallici, ſimiliter originem peripneumoniæ enarrare poterit: vnum enim ſemper alterum explicat & declarat. Ideò qui terreni morbi grauis eſt, etiam firmamentum intelligit: qui verò rectè ſcribit de cœleſtibus morbis, is & rectè loquetur de morbis terræ: qui verò non, is neque cœlum rectè tractabit. Ita enim fundatus eſt medicus, vt in luce naturæ non ſolùm ſeptem ſtellas norit, ſed omnes ſtellas firmamenti: ſed neque hac ſcientia contentus eſt, imò ſi iſta nouit, & ſic reliqua duo elementa in ſua Aſtronomia & Philoſophia. Quare etiam nouit medicus quomodo chaos terræ generetur, cuius quidem cœlum ipſa terra eſt, & mineralia, quę in terra iacent, & quaſi fir-

Chaos terreum regitur à mineralibus, & feces eius dant morbum mineralem.

mamentum ſunt. Ex hoc elemento terrę oritur ignis, qui gignit chaos terræ (tale, quale eſt inter terram & cœlum) & illud chaos fit quaſi iuſculum excoctum ex mineralibus, ſicut exterius chaos ius eſt ex ſtellis. Qui iam in terra verſantur vel habitant, illi ſuū pulmonem nutriunt & ſuſtentant ex illo iure excocto ex chao terræ: quæ quidem mineralis impreſſio eſt tartarus pulmonis, quem hîc morbum metallicum apello. Atque ita modus generationis vtriuſque morbi expreſſus eſt, qui finitur in tribus ſpeciebus ☿, ♀, ſalis iuxta proprietates ipſarum peculiares. Attamen hîc ſummoperè notandum eſt, quòd chaos hoc terreum in duobus corporibus operetur: videtis enim terram habere proprios ſuos homines, ſicut nos qui ex Adamo facti ſumus, inter cœlum & terram verſamur in aere, ſicut & de Nymphis ſcitis: ita chaos terræ, hominem terræ (Pygmæorum) aer eſt, chaos verò aquæ Nympharum aer eſt: quare vnum corpus verſans in chao terræ eſt Pygmæorum,

mæorum, quos Archidoxis, & libris Paramiricis commendo. Alterum verò corpus in chao terræ verſans eſt, quando homines ſeipſos in habitatores terræ faciunt & montium, cùm tamen non ſint Pygmæi, ex quo ſequitur, quòd chaos humanum cum ipſis in montes deferatur, ex quo ſcilicet pulmo ipſorum alitur: ſed hîc fit mixtio terreni & cœleſtis chaos, ita vt ex duobus vnum fiat, atque ita homo obnoxius fit conſtellationi inferiori, ex qua originē trahit morbus metallicus.

Homo ſuperiori & inferiori aëri obnoxius.

TRACTATVS ſecundus.

De origine morbi metallici.

Cùm in ſecūdo tractatu morbi metallici origo comprehendenda ſit, primò omniū ſciendum eſt, ex quibus, ipſa experientia teſtante & manifeſta notitia; tuſſis & anhelatio pulmonis vnà cū omnibus ſimilibus oriatur, iuxta quam experientiam diſtribuit theoria vtriuſq; morbi peripneumoniæ &

morbi metallici:ſicut enim ocularitet videtis, quæ pariant morbum pulmonis,ita etiam in vera philoſophia inuenitis, quod eadem faciant morbũ metallicum, vt in primo tractatu dictum eſt. Videtis igitur,quod in chao exteriori, quod eſt inter cœlum & terram nebulæ oriantur variæ, inter quas aliquæ tuſſim pariunt, aſthma & anhelationem:atque ipſa experientia teſtatur nobis,quod nebula ſit cauſa. Sicut autem ex firmamento illa nebula oritur, ita & in montibus nebula gignitur,ex qua morbus metallicus naſci poteſt,& quidem fortior eſt nebula illa, quàm exterior. Quod ſi fontẽ & cauſam huius nebulæ indagare velimus, reperiemus quod ex ſphæra galaxiæ naſcatur, & qui ipſam faciũt, & ipſi in terra habitant,nempe mineræ:& minerę illius cõgnitio dat cognitionem curæ,ſicut cognitio ignis dat notitiam per quid extingui poſſit: ita enim omnes morbos curabiles agnoſci oportet:ideoq; Ladt incurabilis eſt:cœlum enim conſtellationis ipſius nondum repertum eſt.

Quæ fiunt in cœlo,fiũt & in viſceribus terræ

Si-

Sicut autem de nebula dictum eſt, ita & de pluuijs, pruinis, & ſimilibus, quibus adiunctum eſt frigus hyemale: ex quo etiam conuulſiones oriri poſſunt. hæc omnia in montibus conſideranda ſunt.

CAPVT II.

Frigus, auſteritas & dulcedo terrea attracta lædunt pulmonem.

DIcamus porrò de illis rebus, quę aſthma faciunt, vt ſunt frigus & calor: nam feruidus pulmo, qui repentino frigore obruitur, etiam in difficultatem ſpirandi incidit, idem potus acidus & dulcis faciunt. Sicut autem ſubitanea refrigeratio pulmonis ſimiliter acidus ac dulcis potus anhelationem parit, ita & in montibus intelligi debet eo modo, quòd illic laborantes calor pulmonis inuadat, ſimiliter & frigus in chao illo exoriatur, quod poſt ceſſationem à labore repentè ingruit: nam etiamſi frigus non percipiatur, attamen in anhelitu ſubſtantialiter adeſt ex chao terræ, & operatur ac ſi eſſet potu conciliatum. Similiter in-

telligendum eſt etiam de ſapore acido: nam ſicut acacia ſuam acredinem pellicula circundat, ita etiam acredo montis in terra per ſuam ſuperficiem occluditur, & dum lucrũ in terra quærimus, verſamur in illa acredine. Auſteritas autem alia eſt vitriolatorum, alia aluminum, ſicut acaciæ & berberis: ita etiam cõiunctio fit auſterarum rerum cum pulmone in viſceribus terræ: pulmo enim acidus eſt carum rerũm, vnde & læditur, quemadmodum vnus ſingularem cupiditatem habet comedendi herbas, alius bibendi acetum, & ſimiles cupiditates: tales etiam naſcuntur in pulmone, ex quibus attrahit modò alumen, modò vitriolum, modò ſalpetræ, &c. & poſtquam expleuit pulmo deſiderium ſuum, accidit ei ſicut ægro, qui deſideriũ ſuum prauum implet. Ita auſtera, vt acetum vel potus auſterus faciũt raucedinem pulmonis, poſtquam difficultas ſpirandi ſequi poteſt. Atque vt de auſteritate audiuiſtis, ita & de dulcedine intelligatis, quæ & ipſa latet concluſa

in

in chao, in quo ſi diutius verſemur, quaſi comedimus illam dulcedinem: nam iſtæ res terrenæ comeduntur à nobis quaſi ribes, niſi quòd dulcedo montana in chao aſſumitur, & cùm auiditas ſeducit pulmonem illa dulcedo morbum metallicum parit: cauſa in alijs locis recenſetur.

CAPVT III.

In aere terreo latet ſulphur, quod attractum incruſtat pulmonem.

CVm igitur illa ad manum ſint ſumenda, quæ nobis ab extra raucedinem cognoſcendam dant, vt pinguedo, in qua ſi delectet ſe pulmo, damnum inde refert, vt notum eſt: ſciamus plures eſſe pinguedines, quas comedimus in varijs carnibus & piſcibus, quare & varij morbi pulmonis inueniuntur: vnus enim ab hac, alter ab illa pinguedine raucus fit. Cùm igitur oculi hęc ita cōprehendant & videant, natura docet, quòd etiam varia pinguedo reperiatur in chao ſub ſole & in chao ſub terra: omnis autē pinguedo

nihil aliud eſt niſi ſulphur, quod in multiplicia genera diſtribuitur. Ex hoc ſequitur, quòd ſidera ſuam operationem etiam in tali materia exerceant ſicut flatus inteſtinorum ab incẽſione flagrat, cùm tamen ſit tantummodo vapor: ita & chaos ſulphur fixum gerit, quòd ſi à pulmone attrahatur, & inflãmetur eum incruſtat, ſicut reſina arborẽ exterius, & pro varia ratione minerarũ variç reſinç in pulmone naſcuntur: quæ quidẽ reſina ipſa querela hîc eſt, propterea, quòd chaos non in reſinam, quæ non eſt vltima eius materia, mutari debeat: fit autem ob defectum digeſtionis in pulmone, ſicut ventriculi imbecillitatem intelligimus ex mala digeſtione, ob quam & multa mala ei contingunt, vt & pulmoni in hoc loco. Sed vt ſulphur iſtud in chao latens intelligatis, accipite hoc exemplum: Videtis tempore hyemis coruſcationem, cùm tamen in illis locis non conſpiciatur ſulphur, quod quidem ſolum ibi eſſe neceſſe eſt, vbi ardor eſt: & tamen poſſibile eſt, vt iſta coruſcatio

ob-

obtenebretur, & niſi iſte fructus gigneretur in chao; domus ab ipſo comburerentur: ſi iam hoc poſſibile eſt, & oculis perceptibile, manifeſtum eſt, quod etiam talis coruſcatio in montibus inuiſibiliter fieri poſſit & viſibiliter: ſicut enim improuiſus fumus hominem irrumpit, & pulmonem eius quaſi reſina obducit: ita etiam ex mineris talis fumus naſcitur, ſicut multipliciter in montibus videmus.

CAPVT IIII.

Sicut autem cauſa læſionis pulmonis eſt, quòd ſulphur in chao latet, vt dictum eſt: ita etiam in chao immixtus latet Mercurialis fumus, qui chaos condenſat; & ipſi perſpicuitatem adimit, aſcenditque quaſi arſenicum, perpetuamque raucedinem affert. Similis exhalatio etiam eſt in chao, ad quam & ſæpè alia noua accedit, ſicut in chao mundi eſt ſulphur, ad quod adhuc accedit cœlum, ita fiunt duplicia damna: ſimiliter & in terra ſcias eſ-

Tria prima ſal, ſulphur & Mercurius eſſe varia in aere minerali proratione mineræ, quæ in quolibet loco eſt.

ſe fixum Mercurium perpetuò manentem, cui tanquam arſenicum per quotidianas conſtellationes adiungitur alius. Mineræ enim quaſi ſtellæ in cœlo ſunt: quare cognoſcite quæ minera quamlibet regionem poſſideat, illa eſt influentia, vt ſi cachimia in aliquo eſſet loco, ſulphur ex cachimia natum eſt, quaſi diceres, iſta regio eſt ſita ſub Virgine: ſicut enim Aſtronomus ſidus agnoſcit, quod cuiuſlibet vertici imminet: ita etiam philoſophus terrenus intelligit, quid cuilibet monti inclinationem & conſtellationem afferat: vna enim terra producit marchaſitam, altera antimonium, & ſimilia: qualia iam regio quælibet complectitur, tale eſt illic chaos, vt dictum eſt. Sicut enim Aſtronomus dicit, iſta ſtella dat talem influentiam: ita Philoſophus dicit, in iſta terra eſt auripigmentum, ex quo talis & talis influentia oritur: medicus verò dicit, iſte morbus metallicus eſt reſina nata ex chao, in quo coctum fuit aſtrum vel minera auripigmenti. Sunt igitur ſpecies mi-

nerarum,

neratum, & earum proprietates cognoſcendæ: eſt enim ſulphur marcaſitæ album & rubrum, ſulphur talci flauum, rubrum & nigrum, ſulphur ochræ, ſulphur cinnabaris, ſulphur ferrum, ſulphur ſilicum, ſulphur marmoris, ſulphur tophi, ſulphur amethyſti, & aliorum, quæ longum eſſet omnia recenſere. Sicut autem de ſulphure audiuiſtis, ita & habetis Mercurium cupri, mineræ plumbi, mineræ Zwitterzinzi, arſenici, & ſimilium. Similiter ſicut de Mercurio & ſulphure dictum eſt, ita & de ſale ſciatis, quòd ſit ſal vitrioli, aluminis, entali, ſalpetræ, ſal commune, ſal gemmæ, & aliorum plurium. Hæc ſalia, ☿, ♀ ſunt ſpiritus, qui in chao nati ſunt iuxta naturam cuiuslibet regionis. *Mercurius* *Sale*

CAPVT V.

HOC modo notate de ſpiritibus, quòd Mercurius pariat lentiginē: virtus enim ipſius natura eſt quaſi ſublimatio, ideò ipſius morbus metallicus eſt ſiccus & aridus: ſpiritus verò

ſulphuris dat ſuam mineram, & ſpiritus ſalis ſuum tartarum: hæc ſunt illa principalia genera morbi metallici. Sciendum quoque eſt, quamuis marchaſita & cachymia ſint vnicũ nomen, non tamen eandem eſſe naturam in illis: mutatio enim terræ, mutat etiam mineras, ſicut videtis, quòd formas regionum variet: ita quamuis quælibet herba ſuum nomen habeat, vt braſſica, tamen quoties noua eſt regio, toties forma noua eſt, & tamen eſt braſſica vna. Sicut iam iſta forma mutatur & alteratur, ita ſciatis, quòd & proprietas terrarum ſit diuerſa: quare & medicina cuiuſlibet terræ rectius vſurpatur, quàm alterius: ita ſimile per ſuum ſimile in contraria natura ſanatur: mineris enim tantum concedendum eſt, quantum cœlo, quod ſtellas regit, ita & terra mineras, cœlumque & terra ſunt ſimilia firmamenta: ſic & ſidera & mineræ, qui vnum nouit, is & alterũ nouit: idcirco medicus in Aſtronomia incipit, & in Philoſophia deſinit: Aſtronomia enim monſtrat in cõſtel-

Vna eadẽm que mineralis ſpecies ratione terræ differt.

lationes

lationes firmamẽti; minera verò & phi loſophia proprietatem morbi, vtrunq; clauditur ipſa cura. Cùm enim homo ſit microcoſmus in exteriorem notitiam eum deduci oportet: ideo non ſolùm in planetis extractiones, & ſimilibus quærendæ ſunt, ſed & in aſtro terreno: ſi enim lunaria in aere ſe oſtendit, etiam plures erunt lunariæ, ſicut multæ aliæ res ſunt, quæ oculariter in ſeipſis curſum cœleſtem exhibent. Ita concluditur iſte tractatus, quomodo morbus metallicus ex tribus mineralibus ſpeciebus naſcatur, hoc eſt, ex ipſarum ſpiritibus, qui in chao ſunt, & ex mineris prodeunt vt vox ex ore.

TRACTATVS tertius.

De effectu & operatione morbi metallici.

CAPVT I.

IN hoc tractatu agetur de operatione morbi, quando iam natus eſt: cùm igitur homo conditus ſit ad fra- *Separatio boni à malo propria medico.*

gilem vitam; ita vt multa ipſum occidere poſſint, à quibus ſibi, ſi ea ignoret, cauere minimè poteſt: conuenit ea enumerare, quod quidem per ſolum medicum fieri neceſſe eſt, cui id demandatum eſt, ob quod & Deus eum creauit, vt mortificantem tum cognoſcat & declaret, quomodo natura contra naturam pugnet, quomodo quęlibet res naturalis contraria ſit alteri, ſicut animalia terrę congregantur contra ſe inuicem: hoc enim homo ſcire debet, quòd inſenſatis ſimilis inimicitia ſit. Sicut enim arſenicũ ſuo afflatu hominem perdit & interimit: ita nos interficiunt fumi mineraliũ: cùm autē Deus bona & mala cōdiderit, quę non poſſunt ſimul eſſe, & tamē in vno corpore ſunt. propterea medicum creauit, qui mortali homini proponat ſuũ hoſtem, qui inſidiatur vitæ & corpori ipſius, vt homo ſe ab illo præſeruare poſſit. Sicut enim à Deo habemus, quòd per ſuam doctrinam diabolũ nouimus hoſtem animę, idq; per prophetas & apoſtolos: ita & hoſtē corporis nobis ſignifi-

gnificauit in luce naturæ, vt poſſimus agnoſcere, quid ſit venenū, quid malū, quid bonum, quid vtile ſit homini, vt vitam ſuam longā conſeruet, ne venenum coniunctum bono, vitam ipſius perdat. Quare medico ſcientiam dedit bonūm & malū in vna re oſtendendi, & poſtea per Vulcanū bonum & malū ſeparandi: quę quidem ars morti ſimilis eſt, quę ęternum & mortale dirimit, & meritò mors rerū appellari debebat: nam quod vtile eſt ab inutili per eam ſegregatur. Aequum igitur eſt ſcribere de his rebus, quandoquidē neq; edere, neq; bibere poſſumus abſq; metu hoſtis: nam neq; æſtas, neq; hyems nobis fauent. aerem non ſine periculo attrahimus & emittimus: quicquid in horto plātamus, nobis inſidiatur. Si volumus aurū & argentum & alia metalla, ferrum, ſtanuū, cuprum, plumbū, Mercurium, quibus opus nobis eſt habere, oportet nos corpus & vitam noſtrā in periculo contra multos hoſtes ponere: ita & ſi alia habere volumus, quibus ad ſanitatem & vtilitatem vitæ noſtræ

Ars mortis rerum.

neceſſariò vtamur, nihil eſt, quod non noſtrum hoſtē ſecum gerat. Cùm igitur tantum poſitum ſit in cognitione rerum naturalū, quàm homo ex ſeipſo minimè perſcrutari poteſt, Deus creauit medicum, ex quo ipſi oritur notitia lucis naturæ, vt bonū manifeſtet, & bonum in ipſo malo norit, quod quidem ſanitati vitæ conducat. & ſicut diabolus ex homine expellitur, ita per tales medicinas morbi venenati fugantur: ita malum malum pellit, & bonum conſeruat bonum.

CAPVT II.

Venenum & medicina ſunt in eodem ſimplici.

ITaque neceſſe eſt proponere morbos metallicos, & res illas declarare & notas facere, ex quibus naſcuntur, ſicut in ſuperioribus tractatibus indicatùm fuit. Noſtra itaque medicina eſt poſita in Mercurio, ſulphure & ſale: ſimiliter & venenum noſtrum in illis tribus rebus conſiſtit. in ijſdem enim vtraque ſunt, & per mortem rerū inuenimus, quòd illud ipſum quod nobis

nobis auxiliari poteſt in noſtris miſerijs, etiam illud contineat, quod nobis miſeriam affert: exempli gratia, metallicus quærit argentum, donec id inueniat, & mineram eius habeat: dum autem mineram inquirit & tractat, acquirit ſibi morbum, quem ſuper terra non habuiſſet, cùm iam morbum ſentit, & mineram ſuam, quam foderat, fundit & liquefacit, argentumque ſeparat: ibi reperit in ipſa ſeparatione, id quod morbum ei conciliauit: ſimiliter & in fulminãdo ☽ reperit id, quod ei ſanitatem reſtituere poteſt. Sciatis aũt, quòd fumus ex minera, ſi venenum contineat, quod in fuſione ab argento recedit, roſam inficere poſſit, ita vt per olfactũ eius in lipothymiam incidamus, cùm tamen corpori roſæ id nihil noceat. Ita etiam ſciatis de vi egrediente ex rebus in hominem, quod etiamſi corpus veneni non adſit, tamen malitia eius præſens ſit & nos infirmet, ſed hominibus lõgiores morbos pariunt, quàm corpus ipſum, quod citò operatur. exempli gratia, arſenicum acce-

Corpus vehementius operatur, quorũ venenum ſpiritus.

ptum intra corpus, eſt mors præſentiſſima: ſi autem corpus arſenici non accipiatur, ſed ſpiritus ſolummodo, ex vna hora annum facit, quicquid corpus perficeret in decem horis, in hoc laborat ſpiritus decem annos, quin & perfectam & abominandam mortem non affert ac ſi corpus adeſſet. Atque hîc ſcitote, quicunque certam notitiam morborum metallicorum comprehendere cupit, eum nouiſſe oportet corporis cuiuſque celerem morbum & mortem vnà cum omnibus proprietatibus & ſignis ex corpore illo venenato ſequentibus: ex illo certo cognito ſigno conijcere poteſt, qualis ſpecies ſit morbi metallici. Exempli gratia ſumptio realgaris facit exiccatum pulmonem, ex qua ſiccitate ſequitur ſiccus anhelitus, cum perpetuis anguſtijs & anhelationibus: quin & faciei color mutatur, epar etiam rimas contrahit & dehiſcit: vnde oritur non naturalis ſitis: tunicæ ventriculi arroduntur & deteruntur ſicut cortices arborum: his adiuncta eſt compreſſio in

Realgar ſiue Mercuriale venenum, eiusq́ ſigna.

in fouea cordis, difficillima digeſtio, pòſt quę ſequitur repentinus calor, tremor & pulſus in fouea cordis, in omnia membra diſperſio: denique prunella & concurrens inſania capitis. Qualia iam ſunt opera veneni & cum quibus morbis adueniunt, talia quoque poſt multos annos affert ſpiritus realgaris, nempę ſimilem morbum, ſimilibusque accidentibus ſubiectum: tales infecti metallici facilimè obnoxij fiũt influentijs exterioris cœli eiusq́; cœleſtibus morbis, vtpote febribus, phthiſi, maniæ & prunellæ.

CAPVT III.

DIximus de effectu veneni, quomodo ſcilicet morbum mineralem gignat: eſtq́; omnium maximè neceſſarium in hoc tractatu noſſe ſigna, quæ accipiuntur à corporibus, vt ſuprà dictum eſt, quę quidẽ tot ſunt, vt enumerari nequeant; attamen breuiter nota, quòd ſub realgare omnia arſenicalia &

auripigmentica comprehendantur & intelligantur: qui autem ſpecies ipſorũ ſingulariter explorare ſcit per multiplicem & longam experientiam in corporalibus infectionibus, is eò certius dignoſcet & diſcernet ſpiritus, quanquam cura generaliter ſub nomine realgaris accipiatur: vna enim eſt proprietas omnium. quòd ſi vero particulariter cura fieri debeat, neceſſe eſt iſta diligentius & exactius ſpecificari, ſicut moris eſt humoriſtis, &c. Sicut autem realgar varias habet ſpecies, eodem modo notate etiam de Antimonio, ſub quo omnes marcaſitæ, cachymiæ, talci, ochræ, & ſimilia intelliguntur: ſi enim venenum antimonij accipiatur, affert tuſſim ſiccam & aridam, multas punctiones laterum, multas cephalalgias, defectum ſedium, multã apoſtemata lienis, feruidũ ſanguinem, ſcabiem & pruritum, morbũ regium. quicquid iſta ſigna habet, ſignificat ſpiritum antimonij ex dictis mineralibus adeſſe. Similiter ſciendum nobis eſt, quòd ſub nomine Alcali multa mineralia

Antimonium ſiue ſulphureũ venenum.

talia ſuos ſpiritus venenatos in hominem inferant, & tamen comprehenduntur ſub vno capite Alcali, quorum ſignificatio talis eſt:pariunt difficultatem ſpirandi, anhelitum fetentẽ,multas venas inficiunt, multum ardoris ſtomacho & ventriculo fluxiones & diarrhœas afferunt:multa quoque tormina & colicas ventris :arefaciunt & putrefaciunt pulmones & ventriculum, findunt epar & lien,liquefaciunt renes, acuunt vrinam, per arroſionem eorum regio renum putreſcit, ſemen & ſanguinem per vrinam expellunt,& ſicubi in dictis membris morbi latent, illos cõmouent & producũt.Sub alcali pertinent ſpecies cęrulei & albi vitrioli, & tres ſpecies aluminis, ſcilicet rochi,ſciſſi, plumoſi: ſimiliter ſpecies ſalis communis, gemmæ, ſilícis,& quicquid his affine eſt. Iam verò poſt dictã inſtructionem diſcite diſcernere mineras,quales ſint:exit enim realgar ex auro,ex argento,ex ferro,ex cupro,ex ſtanno: ſimiliter egreditur antimonium ex auro,argẽto,ferro,&c. quin & alcali

Alcali ſiue ſalium venenum.

ſimilia diſcrimina habet: quæ quidem ob curam in ſuis corporibus bene dignoſcere decet. Præterea etiam natura regionis notanda eſt, iuxta quam differunt: oculi enim maximam differentiam oſtendunt in iſtis ſimplicibus: nam & regio Hungariæ & Stiriæ differunt hic in proprietatibus, & tandem deſinunt in eodem metallo: ita & Ortoſpurgum & Inſchenburgum aliud vitrum dant, quàm Altomixmiſchburgum, & ſimiliter de alijs: quin & in propinquioribus locis differunt, quàm diximus, vt Ruris & Gaſteina, Bintzgouia & Langenouia: & adhuc amplius duo cuniculi iuxta ſe inuicem euntes, quæ omnia experientię committo, ſine qua in his morbis nullus intellectus eſſe poteſt: multumque prodeſt corpora omnia ſicut ſpecialiter differunt, cum ſuo effectu inquiri & cognoſci, quomodo ſcilicet ſuam vim & venenum exhibeant: nam ſulphur Marchaſitæ aufert, & dat ſomnum vſque ad mortem. Ita etiam ſunt contraria ſalia: ita etiam Mer-

Regione differunt metalla.

Mercurialia, quæ porrò cuiuſlibet experientiæ commendo.

CAPVT IIII.

QVANquam autem multi ſint hoſtes, imò vix eorum numerus à medico ſciri poſſit, tamen id etiam non neceſſe eſt: qui enim iſta ſigillatim perſequeretur, is nimis multos errores introduceret in praxim: practica enim talis eſt, vt ex arcana vi ſit contraria morbis: quomodo autem arcanum ſit intelligendum, ita habete. Scitis, quòd ex auro prodeant multa arſenicàlia, & ſimilia: qui iam quamlibet ſpeciem cum ſua ſpecie in medicina conferre vult, is recedit ab arcano, & inclinat in errorem, & difficili ſemita incedit: qui verò ſibi proponit bonum contra malum, is tendit ad arcanum: bonum enim curat malum; quod ſecum fuerat: exempli gratia, quod facit icteritium morbum, id-

Arcana generalia nō ſpecialia ſumenda, & quidem ex his, quæ morbum pepererūt.

ipſum curat icteritium morbum, item de in illa re eſt bonum & malum: ex malo oritur icterus: quòd ſi verò bonum ab illo ipſo malo ſeparetur, erit arcanum contra icterum. Quare accipit nomẽ arcani? quòd ſcilicet ex malo varię lues oriantur. qui iam quemlibet icterum cõſiderare vult, is neſcit quid ſit arcanum: arcanum enim curat omnes illas ſpecies. Si medicus particularis cuilibet peculiarem dietam, & recipe inquirere velit, illa inquiſitio eſt minus longa pro ægroto. Ex hoc igitur ordine curæ oritur laudanum, hoc eſt, materia perlata, quod idem eſt, ac ſi perla extrahatur, & illa curet morbum ex ſuo malo ortũ: medicina enim, quę paralyſin curare debet ex eodem fluat neceſſe eſt, quod paralyſin peperit: ita proceditur iuxta arcanum, & tollitur reſpectus multarum ſpecierum morbi illius. Ita intelliguntur etiam mineralium arcana, nempe, quòd & aurum ſit medicina omnium illorum morborum, quos foſſores eius conſequuntur: ita & plumbũ ſecum habet ſuum

arcanum

arcanum contra morbos ex plumbo, & ita porrò de aliis, vt ſemper nobis ſit in manu medicina contra morbos eorum, quæ tractamus, & quicquid illa arcana non poſſunt, id porrò impoſſibile ſit. Sicut enim videmus vulnera & punctiones nobis poſſe contingere letales, quibus nullum auxilium vel conſilium inueniri poteſt: ita & mineralia penetrant ſæpè membra vitæ, vt fiant ſimilia talibus lethalibus vulneribus & punctionibus. Atque ita concluſum volo iſtum tractatum, in quo ſatis egi de iſtis, de quibus propoſueram: quare ſi ſatis intelligitur aſthma quomodo oriatur inter cœlum & terram; deinceps quomodo morbus metallicus in terra gignatur, & porrò quouſque ſe extendat mixta operatio iſtarum rerum, neceſſe eſt iſta relinquere, & ad curationem dictorum morborum pergere.

Morbi incurabiles.

C

TRACTATVS Quartus.

De cura morbi metallici.

CAPVT I.

POSTHAC igitur mihi non cum doctis & philoſophis amplius loquendum eſt,ſed cum experientia:mihiq́; vtilitas hominum metallicorum conſideranda eſt,vt ſcilicet ipſis pellam morbum metallicum. Eſt autem cuiuſlibet periti & experti hominis natura & mos cum experto non multa loqui: apud expertos enim reſpicitur ad curam morbi,idq́; fit breuibus verbis: verba enim & ſermones non curant morbos,neque placent ægroto. Præterea ea eſt conditio experientiæ, vt ipſius opera ſine gerris & confabulationibus à quolibet intelligantur,& perſpiciantur. Quare ad praxim porrò tendendũ eſt,vt ea ſe defendat ſuis operibus & medicinæ fidem conciliet: opera enim tam clara ſunt,vt diſputatione minimè indigeant:qualia autem

Opus oſtendat artificẽ.

ca

ea ſint, ſequetur: attamen cuilibet ſua ſit libera experientia, &c. Quis enim poteſt finem medicinæ inuenire, cùm præſertim ſchola medicinæ ſit ex ſua creatione infinita? *Inuentatis inuenta nō obſtant.*

CAPVT II.

IN morbis igitur metallicis conſiderandi ſunt iſti articuli & ordine in capita redigendi:

Primò, quomodo præueniatur ſpiritibus illis minaralibus, vt ne inficiant ſuum foſſorem metallicū, & quomodo non fiant illis obnoxij foſſores.

Secundò conducit ſcire, quòd progreſſu temporis membra hominis, pulmo, iecur, renes, ventriculus, inteſtina, &c. & quotquot habet corpus, à venenatis mineralibus ſpiritibus arrodantur, & præſertim principalia, vnde ad putredinem tendunt: quæ verò putrefacta ſunt, non ſanari poſſunt reſtitutione & redintegratione partis corruptæ & abſumptę: præſeruatiua tamen fieri poſſunt, ne porrò ſerpat malum, ſicut in eſtiomenis & lupinis vberibus.

3 Tertiò, præter præſeruatiua ſequitur caput de diæta eiusque ordine, per quam homo ſeipſum cuſtodire debet, ne ſpiritibus mineralibus anſam det ſibi prædominandi.

4 Quartò ponendæ ſunt curæ phyſicæ & medicinæ pellẽtes naturale aſthma: eadem enim ſunt quoque medicinæ morbi metallici, vt ſequitur.

5 Quintò circa arcanorum tractationem ſequitur, vt dictum eſt, quomodo ſcilicet quodlibet venenũ triplicia bona gignat ad pellendum ſuũ morbum.

6 Sextò ſequitur concluſio libri primi de morbis metallicis.

De præſeruatiuo iuuentutis.

CAPVT III.

ACcipite exemplum; Cœlum eſt, quod nos per aſtrum inficit, quantum ipſi licet nobis nocere, nec nos ei reſiſtere valemus: non enim eſt poſitum in noſtra manu, id eſt, non poſſumus anteuertere influentias, ſicut

ut non poſſumus auertere niuem vel pluuiam: ita etiam liberâm nos relinquere oportet ſuam impreſſionem ſpiritibus mineralibus: attamen pluuiæ obtenditur tectum, ſoli vmbraculum: ita & caminus inuenitur, per quem impreſſio penetrare nequit, quod ita intelligite: Qui nondum infectus eſt, is præſeruatur ab eſſentia tartari, cuius compoſitio talis eſt:

Recipe Liquoris tartari ℥ ij.
Olei colchotarini ℈ j.
Laudani, papaueris.

Miſceantur. Doſis grana tria pro ratione ſanæ complexionis, propina ſemel in ſex menſibus, quod quidem perito medico perpendendum relinquo. Perlata autem auri iſta & alia omnia ſuperat.

De præſeruatiuo putrefactionis membrorum.

CAPVT IIII.

Illis autem qui in putrefactionem iam inciderunt ſummoperè prodeſt

Manna perlata. Manna autem eſt nobilis dulcedo; quæ ex qualibet re extrahitur, eſtque Manna ex ſpeciebus balſami: quare & hanc vim habet, vt nihil putreſcere ſinat, per hanc mannam corpus conſeruari neceſſe eſt, ne putreſcat, eaque ſola reſiſtit iſtis putrefactionibus metallicis. Vt autem patefaciamus illam Mannam, ſciendum eſt vnam eſſe in vitriolo, vnam in vrtica, & vnam in magnete: iſtæ tres mannæ ſunt balſami illi, qui hos morbos putredinis præſeruant, vt dictum eſt.

Manna vitrioli. Manna vitrioli ita fit: Abſtrahatur à vitriolo phlegma ſuum tandiu, donec fiat vt mel dulce, & ad purpureum colorem inclinet. Doſis eius eſt gutta vna in aqua Veronicæ.

Manna vrticæ. Deſcriptio mannæ Vrticæ eſt iſta: Alcolizetur vrtica, poſtea in ſua aquoſitate tandiu rectificetur per ventrem equinum, donec oleitas conſpiciatur, quæ ſeparetur à ſuis fęcibus: cuius doſis ſit quotidie tres guttæ, vt ſuprà.

Manna magnetis. Extractio mannæ magnetis, eſt vt in alcool

alcool redigatur & ſtratificetur cum limatura chalybis in æquali pondere, & in vaſe vitreo luto ſapientiæ adhibetur, & coquatur in oleitate cineris iſatidis ad ſuum menſem: poſtea accipiatur limatura magnetis, & cum vino rectificato digeratur tandiu, donec vinum rubeſcat: denique ſeparetur vinum à rubedine, & remanebit in fundo manna magnetis, quæ nullum membrum principale putreſcere ſinit, vſurpata vt ſuprà de vitriolo dictum eſt.

De ratione dietæ.

CAPVT V.

HActenus mos fuit medicorum ſumma diligentia cibũ & potum præſcribere hominibus: atque id illis concedendum eſt in illis morbis, quos ipſi intellexerũt, ſed hîc in morbis metallicis id fieri nequit: aliud enim hîc eſt cœlum, non exterius vel ſuperius, ſed cœlũ tale quod ipſa terra eſt: quare

ſciatis quodlibet cœlum in ſuo regno poteſtatẽ habere præſcribendi cibum. Itaque quicquid in planitie eſt, ſuum ſuperius cœlum reſpicit: quicquid autem ſub terreno cœlo comprehenditur, ſuam dietam, hoc eſt, cibum & potum iuxta illud ipſum dirigere cogitur. Cùm verò homo non natus ſit ad nutriendum ſe ex terreo cœlo, ſed planitiei ſit propius, ſeruat dietam exteriorem, ſeque ab exteriori aſthmate præſeruat, ne interius coniungantur: quare ſe cuſtodit ab illis rebus, quæ aſthma pariunt, vt in priori tractatu enumeratum eſt: atque hîc nota, quòd calor in cauernis montium reſtinctus per aquam non exteriorem, ſed interiorem morbum metallicum pariat: ita & de alijs. Dieta verò in montibus quæ iuxta alteram ſeruari debet, eſt, vt homines metallici ſtudeant, quantum fieri poteſt ſuos cibos ſalire illo ſale, quod ex ſale petræ in montibus naſcente, vt vulgare ſal excoquitur & præparatur: ſimiliter loco aromatum vtantur ſale, quod ſimili modo ex alumine

Salia & aromata mineraliũ hominum.

mine

mine coquitur: nihil enim ſalſedinis dat, ſed bene conditos cibos facit: ita tantùm innuere volo, quòd ſalia & aromata lateant in mineralibus plus quàm hîc exprimo, quæ quidem perito relinquo, vt meliora inueniat.

De cura aſthmatis ſupra & infra terram.

CAPVT VI.

SI igitur natura in his rebus ante omnia conſideranda eſt, & per eam hæc fieri neceſſe eſt, oportet, vt non ſolùm ſcriptores & ipſorum gloſſas veriſimiles accipiamus, ſed vt porrò quoque naturam exploremus, ex qua quidem fluit vera doctrina & inſtructio. Reperimus igitur in aſthmate tantũ arcana conſideranda eſſe & non compoſitiones: quare cùm homo ſub iſta arcana ordinatus ſit, etiam in morbo metallico ijs vtendum erit. quamuis enim aliud ſit in montibus cœlum, attamen id hîc in cauſa eſt, quòd ho- *Cura aſthmatis.*

mo eſt ex mundo ſuperiori: quare e-
iuſmodi arcanis neq; ipſi ſpiritus mi-
nerales reſiſtere poſſunt. Siquidem iſta
naturalia arcana in mineralẽ naturam
transferantur: & quanquam mineralia
propriam ſuam medicinã habeant, ſic-
ut & planetæ ſuam propriam habent
medicinam: attamen homo vtrinque
ſe ſuſtentat, & in vtrunque latus incli-
nat, quoniam vtrique habitationi ſe
ſubijcit. Eſt autem aqua panis porci-
ni ſingulare arcanum, quod omne aſth
ma non putruſcens corrigit: nihil è-
nim melius conducit pulmoni, quàm
ſi redigatur in naturam diaphoreti-
cam, &c. ita & de epate, ventriculo, &
alijs membris intellige: nam ſi in dia-
phoreſi conſeruari poſſunt, non no-
cebit eis vllus ſpiritus mineralis, & ſi
quid damni illatum eſt, illud per vim
diaphoreticam expellunt: ita non ad-
hærebunt eis mucilago, reſina, vel tar-
tarus, quæ tria vis ſudorifera non fert:
atque non ſolùm de dictis membris id
verum eſt, ſed & in veſica diaphoreti-
ca, & regione renum diaphoretica,
nullus

Aqua panis porcini diaphoretica eſt.

nullus calculus, nulla arena colligitur, Iſta vis diaphoretica hîc breuiſſimè comprehenſa alijs in locis latius tra-ctatur, & maiora poteſt, vt ſciunt naturæ periti. Satisdictum eſt de curæ inſtitutione, etiamſi practica non ſit expreſſa: quæ autem porrò in cœlo vel mundo minerali ſcienda ſunt, ſequuntur.

De cura trium ſpecierum morbi metallici ex arcanis.

CAPVT VII.

SEd vt pergamus ad mineralia interioris terræ, ſimiliter ſciendum eſt, quòd fundamentum ſit vnicum, vt membra læſa reducātur ad potentiam ſudoriferam, hoc eſt, vt ſudent ſicut cutis in balneo, quæ ſe aperit; ita enim ſi tartaro ſint incruſtata ſicut vas vini, aut bitumine vel topho obducta, aut per alcali indurata, nihil horum cuti adhærebit, ſi ab ipſis ſufficiens egrediatur ſudor. Quare hîc ſolūmodo conſideranda eſt natura diaphoretica

membrorum illorum, quæ his tribus, realgare, antimonio vel alcali obducta ſunt. realgar eſt fuligo: antimonium eſt mucilago; aut vt melius intelligatis, firniſium: alcali eſt tartarus. hæc ſunt illa tria, quibus onerantur membra ſpiritualia. Idcirco notate, quòd ex metallis triplicia arcana perlata extrahantur, quorũ quodlibet retinet ſuam virtutem diaphoreticam, quæ ſola ad tres dictas ſpecies pertinet, vt ſcilicet membra ſpiritus in ſuam propriam humiditatem perducantur, per quam ſupradicta tria abluuntur, & ad exitũ diriguntur, quod fit per emunctoria ſua.

Reſolutio ☉, & aliorũ metallorum in ſua tria prima, quæ ſunt arcana perlata.

Cùm igitur apotheca metallica nullas alias ſpecies habeat niſi ſua metalla, talis cura inde ſumitur. Extrahatur ex auro vitriolum & ſulphur per torcular, eiusque prima materia exhibeatur, ſicut argentum viuum liquefactum, coloris purpurei ferè, nõ madefaciens, donec per ſe in humido reſoluatur.

Sicut autem de auro audiuiſtis, ita & in reliquis ſex metallis habetis vnicum proceſſum, ſed ſub diuerſis præparationibus,

tionibus, ſicut de morte rerum ſuffi-cienter tractatur: quapropter non o-pus eſt ea hîc repetere.

Concluſio libri primi de morbo metallico.

CAPVT VIII.

VErùm eſt multis priores tractatus, phyſicæ ſcilicet, eſſe difficiles & peregrinos, in cauſa eſt, quòd ipſis quoque difficiles & peregrinę ſunt res metallicæ & minerales, morbiq́ue tales: nihilominus æquum eſt, me pergere in mea experientia, & in lumine naturæ, ex quo quælibet doctrina vera proficiſcitur: ita etiam medicina, quæ propter morbos creata eſt, & propterea minímè occultanda eſt, minimeque latebit. Meritò quidem aliqui conqueſti ſunt de prioribus tribus tractatibus, quòd medicina nō ſit iuxta vulgarem rationem formata: illis reſponſum eſt, ſi vulgaris ratio vtilis eſſet: non oblitum fuiſſet ipſius: cùm autem morbus

Noua ſcribit, ſed metallicis nota.

iſte incuratus maneat,iſta mea ratione indiget, quam quidem ipſa opera veriſimilem faciunt & fide dignam. Præterea non dubito intellectum, qui ad recepta mea requiritur, quibuſdam nimis difficilem fore: illi autem ſint contenti hoc reſponſo, quòd hæc pertineant ad fodinas minerales, & dominos metallicos, aliosq; metallicarum rerum peritos. illis ſatis dictum eſt, ſatisque euidenter. Si igitur hi rem intelligunt, ad quos pertinet, ſufficere id exiſtimo: quomodo enim acupictor veſtiarium cum ſuis funiculis docebit acupingere? quare cuiliber præponendum eſt, quod ipſi competit: ita iſte morbus metallicus, fodinis proprius eſt, ita & apud iſtos intellectus explicandus eſt, &c.

Finis libri primi de Morbo metallico.

THEO-

THEOPHRASTI PARACELSI

de Morbis metallicis

LIBRI SECCVNDI
Tractatus primus.

De Morbis fuſorum, examinatorum, purgatorum, & aliorum artificum mineralium.

De rebus, quæ eiuſmodi hominibus nocent, ac primùm de fuſoribus minerarum.

CAPVT I.

QVAE VIS res, quæ in ignem cõijcitur duplicem in ſe conſiderationem habet, vnam ratione fixi corporis, alteram ratione fluxi corporis. de fixo corpore hîc nihil opus eſt dicere: ex fixis enim corporibus nihil nociui egreditur, imò ſine damno hominis laborantis remanent

Fragile corpus in minerarũ ſeparatione lædit hominem non fixũ.

in igne: ſed de corpore fragili, quod ſemper adiunctum eſt fixo, huius libri materia & propoſitum erit, & id quidem ſolum in igni dignoſcitur & reperitur: per ignem enim fit ſeparatio fugitiui & conſtantis. Cùm igitur iam homo res iſtas ad ſeparationem perducat, notanda ſunt illa, quæ ei in hoc opere contingunt, res enim fragiles nõ ſunt abſq; veneno & malitia: omnem enim rem bonam, quam conſequi volumus à malo ſegregari neceſſe eſt, eiusque hæc eſt conditio, vt feliciter & abſque dolore minimè acquiratur: tantum enim valet hoſtis circa bonum, vt qui bonum nanciſci velit, etiam malum expectare cogatur. Nihilominus homo tam anxiè metalla inquirit, non habita ratione læſionis corporis ſui, & tàm audacter has res ſectatur, vt ſe quaſi in medium hoſtium conijciat, ita vt circùm circa hoſtes videat, & tamen permaneat ob bonum illud, quod in illo veneno latet. quilibet enim, qui mineras liquefacit fumũ minerarum videt & nouit, quòd ſit venenatus, & quòd

quod ſit arſenicum, olfactuque perci-pit, quòd nihil boni ſit, nihilominus ipſemet inficit ſuam ſanitatem, quantumuis abhorreat corpus ſuum à veneno, non conſiderans apertum eſſe naſum & os ſuum, quodque halitus ipſum ingreditur, quodque illa reſpiratione arſenicum attrahat, cùm etiam nouerit, quòd proceſſu temporis illud venenum ſit mors eius. Sed Deus vult vt illis non reputatis, theſauri & miracula Dei, quæ in metalla poſuit, inueniantur & inueſtigentur: quare etiam artem contra illum hoſtem notam fecit, & præterea ſeparationem mineræ ab argento & auro quantum opus eſt, patefecit. Quòd ſi igitur iſta fiunt ex ordinatione diuina, & tamen morbos afferunt: ſequitur ex hoc, quòd præterea creatus ſit medicus, vt præueniat & auertat morbos, qui nobis dum iuxta ordinationem diuinam naturam indagamus incumbunt: tam benignus enim Deus eſt, vt nos non deſerat, imò ſi tantummodo miſericordiam ipſius ſectemur, tantam in medicina vim re- *Medicina à Deo data.*

texil

perimus, vt ipſius efficacia omnia venena ſuperet & vincat: ſuper hac diuina miſericordia magnæ & inæſtimabilis potentiæ, medicinæ ęquum eſt me ſcribere librum & aliquot tractatus, in quibus morbi conditio comprehendatur, vnà cum proprietate & natura corporis fragilis: poſt quæ ſequetur cura & medicina, quàm in talibus morbis iſta monarchia introducit.

CAPVT II.

Corpus igitur fragile eius eſt naturæ, vt tria corpora in ſe contineat, videlicet ſal, ſulphur & mercurium, iſta tria in igne ſegregantur, & quamuis fixum corpus ex ijſdem tribus conſtet: attamen in fixo non ſeparantur. Quando igitur corpus fragile in igne ad ſeparationem tendit, pars eius recidit ad ſal, hoc eſt, cinerem & ſcoriam, quę fiunt. de his non eſt mihi ſcribere animus: porrò corpus ſulphuris & Mercurij hæc duo ſunt propoſitum huius libri: Corpus verò ſulphuris eſt ignis: alias

Sulphur & Mercurius mixta aeri lædunt metallicos.

lias

alias enim nihil flagrat niſi ſulphur: Corpus autem Mercurij eſt fumus, qui ab igne recedit. hæc duo corpora pariunt hominibus ignem tractantibus morbos ſuos. Primùm autem hîc conſiderandum eſt, quid ſit corpus illud, quod in ignem conijcitur: ex illo enim oriuntur ſpecies ignis & fumi. quoduis enim metallum ſuum dat ignem ſuum item fumum: alius enim eſt fumus Zwitteri, alius lapidis cuprei, alius mineræ plumbi: & quamuis ſolum ſulphur flagrat, ſolus Mercurius fumat: attamen variæ ſunt eorum ſpecies, ſicut & varij cineres & ſcoriæ ſunt. Harum verò rerum cognitionem donat experientia & conuerſatio. Poſthac igitur ſolummodo illud tractandum eſt, quod flagrat & quod fumat, hoc modo. Quilibet ignis habet ſuum aerem, qui ipſi eſt congenitus, & ex ſulphure oritur. ille aer naturam habet, vt aer, in quo eſt impreſſio. hæc impreſſio ſcatet ex minera ſulphurea, ſicut lilium emittit odorem, qui eſt naturalis impreſſio inſeparata à corpore.

Sulphuris aer loco vulgaris aeris attrahitur.

talis etiam odor eſt in ſulphure, qui quidem aer vocatur, ex quo ſequitur, quod & illi qui in igne laborant, illum aerem, qui ab igne exit, & non illum, qui ex mundo eſt, hauriant, ſicut quan do nebula ſurgit, quæ etiam peculiaris aer eſt: ita ſcitote, quòd corpora fragilia in aere peculiarem aerem emittant in elemento ignis, ex quo aere tam bene quis viuere poteſt, atque ex communi aere, quod demonſtrant Salamandri, qui ſunt ex aere ignis proprio. virtute elementi reſpirationem ſuam habet Salamander, qui extra ignem vitam nullam habet. Ita intelligite, quòd ex ſulphurea minera peculiare elementum aeris gignatur, & quamuis iſte aer ſit ſolummodo in igni & non extrà, tamen quando ignis calorem à ſe ſpargit, etiam aeris illius proprietatem emittit, ſicut lilium ſuum odorem. quicquid enim naturaliter de odore lilij dici poteſt, id & de calore ignis intelligi debet, quantum ad immixtum elementum aeris.

C A.

CAPVT III.

SImiliter, etiam porro intelligite de corpore Mercurij, qui non manet neque in ſulphure, neque in ſale, ſed fugit ignẽ: idcircò ſcitote, quòd quando diſcedere cupit, fiat fumus, hoc efficit deſtructio, quæ fit per ignem. Natura autem Mercurij eſt, vt ab igne adeò mutetur, vt ab omnibus ignotus reddatur: ita autem hic de eo agitur, quòd fumus iſte ſe agglomerat; vnde cognoſci poteſt, quòd non errabundus vagetur vel euaneſcat: quando enim ignis ipſum, ſulphur & ſal perſequitur, tunc confert ſe ad loca frigidiora & ſe agglutinat, ex illa materia agnoſcitur cuius ſit ſpeciei: quilibet enim fumus eſt Mercurius. Cùm igitur agnoſcatur & reperiatur & nõ inuaneſcat, ſed maneat, etiã agnoſcitur quale venenũ ſit: ita varia ſunt genera fumi metallicarum tabernarum ex mineris ſuis aſcendentis, vt arſenicum, realgar, auripigmentum, & ſimilia multa vnà cum ſuis ſpeciebus. Poſtquam verò

ſcimus, quòd iſte fumus ſit Mercurius, ſimiliter quòd iſte Mercurius ſit arſenicum, realgar & auripigmentum: ſciendum etiam eſt, quàm mala venena illa ſint, & cum quanto periculo vitam noſtram quærant, quòd ipſorum halitus ſit inſalubris: nam fumus iſte antequam adhęreat, tam efficax eſt venenũ ac quando adhæſit: itaq; manifeſtè videmus, quòd aër & fumus vnũ fiant, & in indiuiſibilem mixturã coëant: cùm verò homo aëre vti cogatur, ſine dubio etiam Mercurium aſſumere cogetur: hominibus enim impoſſibile eſt aërem ſeparare, imò qualis eſt in ſua coniunctione, talem etiam ipſum attrahi neceſſę eſt.

Fumus ſeu Mercurius mineraliũ aëri mixtus attrahitur.

CAPVT III.

SED & iſta quæſtio introducenda eſt, quandoquidem homini impoſſibile eſt aerem ſeparare. & quicquid ignis in aerem expellit, in aere manet: aer eum fumum non conſumit: cùm igitur Mercurius maneat, attrahitur à ſtellis ſuperioribus, à terra vſq; in ſuperiorem

Mercurius mineralis ab aſtris conſtellatur, & parit febres.

riorem regionem, ſicut lingula compaſſi ſecundum magnetem vertitur. Quando iam ſidera illũ fugitiuum & ab igne expulſum Mercuriũ ſecum habent, quem & antequam planè paratus & concoctus eſſet, ſecũ habuerunt: eum denuò præparant & in conſtellationem vertunt vnà cum impreſſione. iſta impreſſio vel vnio eſt mater luis febrilis. Sed quoniam inſtitutum meum non eſt ea hîc declarare, ſed tantũmodò ea, quæ ad homines ignem tractantes pertinẽt, ſuis proprijs libris ea commendo. Porrò cùm fumus vnà cum aere halitum homini det, conſiderandum eſt malũ illud, quod ex tali attracto anhelitu oritur, quod quidẽ nihil aliud eſt, quàm Mercurius peccans. notate igitur hîc bimembrem diuiſionẽ: Verus aer ſuum conueniens officium cõficit nõ impeditus à ☿, ſicut ſi alicui aqua inficiatur illa, ſi bibatur ad ſedandam ſitim ſuum officiũ implet & ſitim ſedat, abſq; auxilio rei falsãtis eã: ita & de iſto aere intelligendũ eſt, qui ſeparatur à malo, ſed in ipſo homine, hoc eſt,

Mercurius attractus digerit in vltimā aliquam materiam in pulmone.

in pulmone: hæc ſeparatio pari aliquas vltimas materias, hoc eſt, Mercurius ingreditur: in pulmone autem venti & regio pulmonis cum tempore exareſcunt: poſtquam propriam ſuam exiccationem Mercurius pulmoni adhæret: & præterea pulmo & ipſius regio ventri equino comparatur in omnibus ſuis proprietatibus: propterea Mercuriū neceſſe eſt vi ventris equini in aliā formam trāſmutari, quàm aliàs in taberna fuſoria aſſumeret: ſicut videtis de cibo, qui pulcher eſt & amabilis; ſed quando in ventriculum venit abominandam alterationem acquirit, quod ſolus venter equinus ſtomachi cauſat, & ſi porrò in inteſtina tranſeat, aliam mutationem aſſumit, quod cauſat venter equinus inteſtinorum, ſicut igitur tales digeſtiones variæ & multiplices ſunt in corpore, ita etiam in pulmone fit.

CAPVT V.

DE his autem plura loqui decet. poſtquā igitur Mercurius in pulmonem

monem venit, parietem ſibi aliquem ibi eligit, cui adhæret, prout caſus vel ordo tulit: de loco enim adhæſionis non multum quærendum eſt: in anatomia verò tales ſublimationes multifariè reperiuntur, quas quemlibet medicum diſcere vtile eſt. Quando autem Mercurius pulmonem ingreſſus eſt, venter eius equinus ita agit: v- nuim Mercurium putrefacit in oleitatem vel pinguedinem: alium in ſpermaticum viſcum: alium in ſalſam materiam: alium in reſolutionem quaſi tragacanthi, alium in mucilaginem ſimilem pſylli: alium in gluten tale, quale eſt id, quod ex pellibus fit: alium quaſi in cornu, & ſimilia plura genera. Sciendum eſt igitur, facta tali putrefactione, cognoſci debere, in qualem materiam venter equinus pulmonis Mercurium redegerit: quælibet enim res, quæ in aliquam regionem venit, & illius regionis cibus non eſt, digeri non poteſt: quare conſequitur putrefactio ventris equini, ſiue craſſa ſiue tenuis, aut quacunque ratione fieri poteſt.

Qualis materia digeratur ex Mercurio.

Notandum quoq; eſt, an iſta putrefacta reſolutio reſideat in cãna pulmonis vel in ipſius lateribus: nam in illa regione cõtingit, vt tales reſolutiones ſua acredine putrefactionis adeò penetrantes fiant, vt tales liquores poros tranſeant, & verſus regiones rerũ tendant: ex qua penetratione iſta vltima materia in vrina reperitur, aliquãdo in forma oleitatis, aliquando quaſi reſolutio tragacanthi, aliquando quaſi mucilago pſyllij, ita vt ſæpè videatur ex rerum affectione fluere: ſimiliter & in ſtercoribus eiuſcemodi res inueniuntur. hæc omnia poſt ſubtilem putrefactionem ventris equini reperiuntur, in quo magnus artiſta latet, &c.

TRACTATVS ſecundus.

De morbis, quos pariunt tria prima metallorum ſuis opificibus.

CAPVT I.

SED vt incæptas res finiamus, ſicut dictum eſt de fragili corpore, quod in ſeparatione boni à malo obuenit: ita c-

ta etiam loquēdum eſt de malo, quod in ipſo bono eo modo ſe occultauit & inſinuauit, vt ſeparari nō poſſit: fumus enim metallorum, item ignis & ſcoria ſunt tria fragilia corpora, vt dictum eſt, ſed vocantur fixa, propter fixum corpus, cui vnita ſunt: ita omnibus metallis ineſt ſemifixum ſal, ſemifixum ſulphur, & ſemifixus Mercurius, ex quo ſequitur, quòd metallis omnibus ſua fixa natura detrahatur & auferatur, & per iſta tria quodlibet metallum conſumatur: iſta enim tria ſunt mors metallorum: quod candeſcit eſt ſulphur, quod fumat eſt Mercurius, reliquū eſt ſcoria. Cùm autē fixationi adeò cognata ſint, ideò metallica & quaſi fixa conſumptione atteruntur, quæ ita fit, vt tria fragilia corpora progreſſu temporis per ignē metalla abſumant. Quanquam autem aurū & argentum non vt reliqua metalla ſe habeāt, hoc eſt, non dent ſcoriam neq; æruginem: nihilominus ſcitote, quòd etiamſi oculi non videant ſal auri & argenti: tamen in pondere percipiatur minutio, quæ in

Metalla iam ſeparata, adhuc tria fragilia corpora ex ſe pbent.

cupro & ferro eſt viſibilis, propterea quòd fiat craſſo modo: in auro verò & argento ſubtilis fit ſubtractio, ad extremum tamen totum hoc modo conſumitur. Corpus ſulphureum conſumitur in igne: nam flores in cineritio apparentes & ſtricturæ ſiue ſcintillæ conniuentes, illæ veniũt ex ſulphure, quod eſt in auro & argento, & ſunt conſumptio metallorum, iuxta quorum ſulphuream naturam tales ignei colores apparent. Mercurij corpus fumi more aufugit: quæuis enim res in igne iacens, dat ſuum fumum, prout metallicæ fixationis conditio eſt. Ita ſcitote, quòd ex metallis dum candeſiunt, & in igne tractantur, tales ſulphurei & Mercuriales ſpiritus ab ipſis recedant, ſed adeò ſubtiliter, vt ſine diligenti animaduerſione id non ſentiatur.

CAPVT II.

Mercurius & ſulphur metallorũ non digeruntur vt minerarũ.

QVandoquidem igitur fragilitas ineſt fixis metallis, quæ non adeò leuis eſt ac ptior: ſcitote, quòd illi, qui

qui metalla elaborant in eorundem hoſtes incidant, qui quidem ſubtiliores & penetrantiores ſunt, quàm priores. Quare porrò notandum eſt, quòd ob ſubtilitatem ſuam in pulmone non ita cognoſci poſſint, ſicut fumi tabernarum metallicarum: nam quoniam iſti ſpiritus adeò fixationi affines ſunt, venter equinus eos ſuperare nequit: quare ipſimet ſunt vltima materia. Penetrant enim pulmonē, & illas partes ſicut tinctura, quæ in corpore illo euaneſcit; & corpus tincturæ proprietatem aſſumit, ſicut cuprum à calaminari colorem accipit: ob quod deinceps à calaminaris proprietate regitur, & cuprum manet cuprū: calaminaris enim concordare id nequit: ſed pulmo quando tingitur, tincturæ reſiſtere nequit; ſed tictura corrodit eum ſenſim, ſicut aqua fortis infuſa lintcaminibus ea abſumit. Similiter accidit reliquis membris, quæ tincturam concipiunt, nempe circumiacenti regioni pulmonis, & ventriculi. Prætereà iſte ſpiritus metallicus corpus penetrat, &

Morbi varij ex metallorũ ſpiritibus oriuntur.

vbi ſedem ſuam figit, in illis locis operatur, vt ſuprà dixi: quare hîc multi morbi cõtingunt, qui non aliter recenſeri debent, quàm vt dictum eſt, quòd ex natura corrodente agnoſci debeãt: habentque illi varia & mirabilia ſigna, quæ ob varietatem ſuam non ſcribi poſſunt, & tam multiplices ſunt in ſuis ſpeciebus, vt ſola diuturna & magna experientia eos doceat & indicet. Hoc autem medico ſciendum eſt, quòd talium hominum morbi omnes ad naturam metallicã referri debeant: tinctura enim iſtorum duorũ ſulphuris & Mercurij eſt tam ſicca & arida, vt omnes naturales humores, qualitates & complexiones abſumat, & ea omnia in ſuã naturam tingat: quare medicum tincturę gnarum eſſe decet & non humorum: nam quãuis variæ ęgritudines hîc concurrant, vt hydrops, icterus, arthritis, febris, &c. & tamen omnes à metallicis tincturis gubernantur contra ſuã natiuam conditionem: quare hîc opus eſt medicũ aliquantò eſſe peritiorẽ, quàm vulgaris conſuetudo hactenus fuit,

aut

aut communis curſus oſtendit:metallici enim morbi non ſunt humorum morbi,&c.

CAP. III.

Non igitur per hominem iſti ſpiritus ſeparari poſſunt:nam dum in in aere verſantur, etiã in iſtis ſpiritibus verſantur: quin etiam nõ ſolùm per canalem pulmonis,ſed etiã per nares iſte aer attrahitur: eius verò qui per nares attrahitur pars ſubtiliſſima non regurgitat in rictũ,ſed altiora petit & aſcendit in cerebrum & ipſius regionẽ:hoc enim ſciendum vobis eſt,tam indigere cerebrum aere,quàm pulmonẽ: & ſicut de pulmone dictũ eſt, ita & de cerebro intelligatis:vnde etiam in cerebro putrefactiones,tartari,realgaria,fuligines,&c. fiunt & generantur: idcircò enim facti ſunt nares, vt ſint canalis, per quẽ ſubtiliter aer in cerebrũ tranſeat: craſſior autem deſcendit in pulmones. & ſi naſus obturatus eſſet,& halitũ non tranſmitteret,ex faucibus per interiores nares aſcẽderet aer. Hinc igitur oritur cephalalgia, apoſtemata ca-

De morbo metallico.

Metallici ſpiritus inficiunt cerebrũ et veteres morbos tingunt in nouos.

pitis, mania, & alij morbi capitis, paralyſis, lethargus, tortura oris, & quanquam autem iſti morbi ſecundum vulgarem deſcriptionem ſeſe exhibeant & manifeſtent: attamen ſunt quaſi cuprum album vel orichalcum, hoc eſt, niſi adeſſet tinctura, tunc eſſent veteres illi morbi & communes: ſed tinctura, quæ non eſt ſeparata ab ipſis, dat ipſis aliud nomen: ideò talis paralyſis non ſimpliciter paralyſis, ſed paralyſis mineralis vocatur: ita & de lethargo minerali, & alijs ſimilibus: quot enim morbi in veteri natura reperiuntur, tot & tincturæ fieri poſſunt. Quin & non contradici poteſt, quod in prioribus ſpiritibus tabernarũ metallicarum ſimilis ſit ratio cerebri, ideò quòd inter illos ſpiritus multi ſint ſubtiles, qui illi aeri ſubtili commiſceri poſſunt, qui ſoli cerebro conuenit: vnde venit Brancha, Pitucca, Corriſa, catharrus, & alia. Sicut autem de cerebro & pulmone dictum eſt, talia opera etiam expectate in ipſo ventriculo, & quamuis multis modis huic rei contradici

Etiã minerales ſubtiliores ſpiritus cerebrũ ingrediuntur.

tradici poſſet: attamen anatomia ventriculi oculariter demonſtrat, fuliginem, tartarum & realgaria,ſimiliter & bitumina,mucilagines,& alia ſuperius enumerata, quæ cum occulto deſcendente aere in ventriculum irrumpunt, quæ quidem abſque demonſtratione difficulter animaduerti,vel ratione credi poſſunt.

CAPVT IIII.

SED vt pergam iſta fuſius declarare de vno artificio ad alterum veniẽs, ſcitote quodlibet opificium in ſuum metallicum ſpiritum incidere, vt qui ferrum elaborant in ſpiritum ferri,qui cuprum candefaciunt, incidunt in ſpiritum cupri, atque ita de aliȷs: qui in orichalco laborant, incidunt in calaminarem & cupreum ſpiritum, ita qui in albo & rubeo laborant, in illos ſpiritus metallicos & tincturales. Porrò non opus eſt melius iſtos ſpiritus deſcribere & declarare:ad id enim requiritur vlterior experientia & peritia il- *Quibus ſumis quilibet artifices obnoxij ſint.*

lorum opificiorum,quę in metallis la-
borant, qui cineritium exercent, con-
cipiunt fumum argenti & plumbi, eo-
rumq́; proprietates,quas habent, vſtu-
latores argenti ſolummodo fumū ar-
genti: qui minium conficiunt fumum
plumbi: qui ceruſſam faciunt acerri-
mum fumū plumbi: nam quando me-
tallum deſtruitur, fortiſſimū fumum
emittit: qui fundunt antimonium,in-
cidunt in malum ſulphureū & Mercu-
rialem fumum:qui zincum fundunt in
quadruplices ſubtiles fumos cadūt in
cupreum,ferreum,ſtanneum & imma-
turi Zwitteri fumū:qui lazurium con-
ficiunt,obnoxij ſunt acerrimo argenti
fumo,vel ſpiritui mixto cum additio-
nibus:qui in lithargyrio laborāt, in peſ
ſimam peripneumoniam incidūt: qui
cinnabarim fodiunt & tractant, inci-
dunt in ſpiritum argenti viui & ſulphu
ris.Ita porrò intelligite de opificijs me-
tallicis, quomodo ſuos artifices & fa-
mulos inficiant & inuadant,quot mo-
dis & vijs: & quò melius ars excolitur,
eò plures ſpecies & genera, eò plures
hoſtes,

hoſtes, eò plura ſymptomata fiũt: nam ſi igni non ſubriliter vtamur non ſubtiliter nos inficit: ſi autem ſubtilitates in eo quæramus, tunc ignis multò ſubtiliora venena contra nos inuenit: Exempli gratia, ſtellio repit in cauernã ſuam & nemini nocet: quòd ſi verò multa in ipſo quærere velimus, oportet nos è contrà multa mala ab eo expectare, & quidẽ adeò, vt corpus & vita ſit in periculo priuſquàm id ab eo habeamus, quòd facit, &c. Ita etiam accidit omnibus illis, qui ſe in igne oblectant & exhilarant, quod ad extremum omne in luctum vertitur: in his enim rebus accidit alicui, ſicut homini eloquẽti qui oblectat ſe ſuo eloquio, ſed idem ſæpè ſeipſum eodem eloquio lædit: ita nulla felicitas eſt ſine luctu, &c.

Alchimyſtarum periculum.

CAPVT V.

ITA notate quòd tres ſint regiones in corpore, in quibus iſti morbi oriuntur, nempe cerebrum, pulmo & ventriculus. Sciendum quoque eſt, quòd ſua mala in ſe non retineant, ſed

vlterius mittant in corpus: ideò diligentius morbi minerales indagari debent: videtis enim ſi cerebrum patitur morbũ mineralẽ, quòd totum corpus cum eo patiatur: ea enim eſt natura ſpirituum, vt ſimili modo ſerpant ſicut vermis in digito: talis enim eſt vis Mercurialis, quę ſibilat ſicut pruna vbicunque centrum ſuum habet, & porrò ſerpit, eſtque iſta vellicatio & arroſio cauſa multorum ſymptomatũ vt maniæ, phreneſis: ita etiam accidit, vt in pulmone orexis oriatur ſimilis paniritio: ſic & in ſtomacho, vbi perpetuò mercurius ſibilat & mordet circa foueam cordis, perindè ac ſi vermis mordicans ibi iaceret. Sed & non ſolùm vellicationes, arroſiones & ſibilationes illæ fiunt, ſed multæ aliæ ſpecies morborum hinc oriuntur, quorum nomina nondum inuenta ſunt, ob quod & hîc eos recenſere non eſt locus: quilibet autem videat, vt morbos veteris naturæ probè cognitos habeat, poſtea experientia morbos hos minerales in illis locis, vbi vſitati ſunt, indagare ſatagat:

Cerebrum, pulmo & vẽtriculus à ſpiritibus metallicis afficiuntur.

tagat: ex tali enim exercitatione & experientia medicus diſcit. nam etiamſi omnes morbos hîc ponerem, nullus tamen eos abſque dicta experientia intelligeret: quòd ſi quis hæc experiri velit, id faciat aqud illos, vbi hæc ſunt, hoc eſt, apud minerales ægrotos: Quis enim in experientia excellens fieret ex papyro, quæ quidem hanc proprietatem habet, vt pigrum & ſomnolentum reddat, & tamen arrogãtem & ſuperbũ: docet enim perſuadere ſibi ipſi multa, volare ſine alis, quę omnia contraria ſunt medico: quare ad experientiam properate, hæc eſt optimum fundamentum, &c.

Non ex libris, ſed experientia diſcendum.

TRACTATVS tertius.

De morbis ſalium natiuorum & artificialium.

CAPVT I.

QVoniam noſtri inſtituti eſt, omnes morbos minerales & mor

tanos hîc complecti, etiam de mineralis dicendum eſt:quę quidem non intra corpus operantur, cùm ſpiritus eorum ſint tantùm vapores, qui in calore reſoluuntur: & quamuis (ſicut fit) humidum aerem faciunt, & vnà cum alio aere ad tria ſupradicta loca veniunt, nempe ad cerebrum, pulmonem & ventriculum, tamen abſque noxa ſunt, imò potius ſalubres ſunt, quàm inſalubres. Sunt enim tria genera ſalium, ſub quibus omnes ſpecies ſalium comprehenduntur, nempe ſal, vitriolum & alumen: atq; vt probem, quòd intra corpus plus proſint, quàm obſint: ſcias de ſale, ſi per ſe in nares intret, tunc facit *, ſi non, tunc penetrat ad cerebrum, & reſoluit excrementa, mucum & apoſtemata, ne illa coacervuentur, caputque interius exiccat, ita vt ſana ſint capita illorum hominum. Quòd ſi pulmonem attingat, in illo ea reſoluit, quæ tuſſim parerent & anguſtias: prętereà tubera incipientia in pulmone auertit, eſtq; quaſi balſamus: nihil enim putreſcere ſinit, nihil adhæreſce-

Spiritus ſalis vtilitas intra corpus.

reſcere, quicquid coagulari incipit, id iſte aer humidus reſoluit. Ita etiam ſi in ſtomachũ deſcendat, eundem mundificat in ſua humiditate, quanquam eà non ſit aliàs natura ſalis, ſi per ſe ſumatur, in cauſa eſt, quòd aeri miſcetur eius ſumma eſſentia, quæ in ſale latet, eſtque ſubtiliſſima eſſentia, quæ in aerem redigitur: ſimiliter ventriculo confert in ſiccitate, cuſtodit eum à phlegmate & pituita, conſeruat appetitum, præterquam quòd etiam oculis, auribus & dentibus conducit. Similiter intelligite de vitriolo, ſi ſpiritus ipſius in aerem tranſeat per coctiones vel ſiccas exhalationes: fit enim ex eo humidus aer, qui eſt ſubtiliſſima eſſentia vitrioli, habetq; proprietatem ſalis in cerebro, pulmone & ventriculo: præter hæc aũt occulta arcana ei inſunt cõtra multa apoſtemata & magnos morbos, vtpote icterũ, fellis exundationẽ, proſtratum appetitũ, nimiam pinguedinẽ. Similiter ex ſtomacho in epar penetrat & expellit arenam & ſimiles affectus ſi quis perpetuò in illo aere habitet

Spiritus vitrioli.

…rgar per ſuperiora & inferiora, … ‥ pulmones, pleuriſin præcauet, item epilepſiam, cõuulſiones, cõtracturam, ſpaſmum, &c. Porrò de alumine notate, ſi eo modo, vt dictũ, in aerem tranſeat & hauriatur, quòd proprietates ſalis habeat, etiamſi non ſit tam forte in virtute balſamica: præterea autem conſolidat quicquid ad apertionem tendit, quin & tollit fluxus eſthiomenos, ne in exteriores ductus deriuentur. Quare ſcitote de dictis tribus ſalibus, quòd in aere ſuo ita ſint affecti, vt potius laudem mereantur, quàm damnum inferant, &c.

Aluminis ſpiritus.

CAPVT II.

Porrò quando in aerem rediguntur, etiam exterius non nocent, niſi nimium vſurpentur: tunc enim nimis feruida ſunt oculis, etiam renibus: quin potius natura ipſorum eſt, ſi iuſto modo & tempore adminiſtrentur, vt multa externa mala curent: ex tribus enim ſalibus quælibet ſcabies ſanatur,

li-

natur,ſi rectè concordentur ſu.
la morbis:aer enim aluminis ſanat pruritum,aer vitrioli ſanat alopiciam, aer ſalis communis ſcabiem. Præterea etiam vlcera curant intus & extrà quaſi potio vulneraria,adhibito bono ceroto exteriori,ſi modò illa vlceratio ſit ipſis contraria in ſua diſpoſitione. Non igitur multũ de ipſorum veneno ſcribi poteſt: ſunt enim ferè temperatę naturæ,vt ſal commune, quod omnibus complexionibus,qualitatibus & morbis commodum eſt: quare etiam de artificijs, quæ ſal tractant,ſcitote, ſi in ſale ſe humectent,lauent & alio modo exterius eo vtantur, quòd mirabiliter omnes fluxiones & ſuperfluas humiditates corporis conſumat: quin idem accidit alijs opificibus,qui eo vtuntur, vt tinctores,& qui coquunt ſurigmata, & ſimiles:ſunt enim opifices optimè valentes, qui ſine notabili cauſa non ægrotant. Poſtquam autem beneficia dictorum trium ſalium annotauimus: econtrà etiam decet ſcribere, venenum ipſorum,quod in ipſis deprehen-

CAP. III.

VT autem ea,quę ad ſalia pertinent ſufficienter exponātur: dicendum etiam eſt de ſeparatoribus.ea enim qui bus illi vtuntur,ex ſupradictis tribus ſa libus conficiuntur:loco autē ſalis com munis accipiunt ſalpetrę,vel potius ſal nitrum,quòd ex nitris coquitur & con ficitur, & non eſt ſalpetræ,attamen ad genus mineralium deflectit: quare æ-quum eſt, vt & ipſius locus dicatur, quòd nempe ſit quaſi ſal. Notandum igitur eſt,quòd ex tribus dictis aut plu-ribus vel paucioribus, fiant aquæ for-tes,aquæ gradationis, aquæ regis.& ſi-miles, quarū varia ſunt nomina: quid autem illę homini afferant mali,ita in-telligite. Compoſitio,quæ ibi fit,fran-git naturam ſingulorum, ita vt porrò non loquendum ſit de ſingulis ſepa-ratim, ſed iuxta formam cuiuſlibet compoſitionis, quæ quidem varia eſt, vt aquæ fortis, quæ fit ex ſalepetræ & vitriolo, aut ex alumine & ſalepe-træ, aut ex alumine vſto & ſalepetræ:

Quid no-ceant ſpiri-tus aquarū fortium.

hîc notate efficaciam aquæ: ſubtiliſſimi enim ſpiritus aerem mutant, & in eum tranſeunt: quomodo autem in nos ingrediantur & in nobis operentur, ſcitote: ſicut vinum correctum, ſi in aquam fortem infundatur, ſuos ſpiritus ſubmittit & præcipitat in forma coccinea, & ſeparat fortitudinem & infirmitatem: ita etiam ſcitote, quamprimùm ſpiritus aquæ fortis intrat interiorem regionē hominis, ſpiritus ipſius præcipitantur & debilitātur, ita vt non ampliùs in ipſis reperiatur vis illa quam ex diſtillatione acceperant. cùm igitur iam efficacia ipſorum per humidum naturale ſit ipſis ademptum, nihil aliud hîc requiritur, quàm vt ſpiritus illi præcipitati conſumantur, aut, ſi non accedat putrefactio, ex propria virtute expulſiua emunguntur. Porrò quandoquidem iſtis aquis adijciuntur res graduantes, vt cinnabaris, plumoſum, viride æris, &c. de illis ſciendum eſt, quòd illæ res non præcipitentur, ſed in ſua nequitia maneant, cinnabaris vt ſulphur, plumoſum vt ſal fixum, viride

Nota.

Res graduantes.

viride æris vt fixum acetum: cùm igitur fixa maneant, notate, quòd abſque nocumento ex corpore non recedant, imò tam efficaciter penetrant cerebrum, pulmonem & ventriculum, vt à ſuis naturalibus virtutibus deficiant, & digeſtiones & expulſiones ſuas non amplius habeant: quæ porrò ex his oriuntur, ea experientia docet, & præterea proprietas & conditio rerum.

CAPVT IIII.

MVlta ſuprà dicta, etiam de aquis regis intelligenda ſunt: quando autem cum aliis additionibus, vt cum calce ouorum aut albumine ouorum conficiuntur, & ſimilibus, debiliores fiunt, quàm ſuperiores aquæ: attamen ad aquas gradationum pertinent. Sciendum etiam hîc eſt, quòd in diſtillationibus præter ſalia, multa ad manum ſumantur, vt correctio mellis, correctio tartari, & ſimilia. Illa igitur eius ſunt naturæ, vt nunquam ſe ab illo loco depellere ſinant vbi adhæſerunt:

Alia opera Alchimiſti ca quid noceant.

:m quos pariunt, habent ſua peculiaria ſigna & proprietates, quas ipſa experientia notas facit. Similiter etiam de aliis diſtillationibus iudicate iuxta vltimæ materiæ fundamentum, quæ earum vim ſignificat. Ita etiam de aliis ſalibus & rebus diſtillatis intelligite: ſæpè enim accidit, vt res bona in diſtillatione merū venenum fiat, vt mel & ſal: ſal quidem ſuo fumo illis, qui id tractant (vt fuſores, monetarij, Alchymiſtę, & ſimiles) in reuerberationibus, cementationibus, calcinationibus, & ſimilibus laboribus ſanguinem adurit. Ita etiam agunt ſalia, ſi mineris addantur ab his, qui priuatim liquefaciunt mineras: ſimiliter euenit etiam vitreariis, & ſimilibus, aurifabris & monetariis, qui tales additiones, fluxiones, gradationes, cementationes, & ſimilia quærunt & faciunt: non ſolùm verò in regali cemento, ſed etiam in omnibus particularibus; quales etiam ſunt Alchymiſtæ, qui in talibus mineralibus varia quærunt, faciunt & præparant, in vniuerſali, in particulari, & ſimilibus,

milibus,in quibus omnibus ſolummodo noſſe oportet,quas res tractent,iuxta quas agendum erit. Reperiuntur tamen multi Alchymiſtæ, qui longæui fiunt,de quo conijci poſſet,quòd ſpiritus rerum, quas tractant, id efficiant: verùm ego id credere nequeo,imò do hoc abſtinentię,fami,exercitationi,peregrinationi,&c.quę omnia hominem longæuum reddunt per ſe:quòd ſi iam accedant boni ſpiritus, vt dictum, eò maior eſt ſanitas ipſorum: qui verò in dieta tales nō ſunt,vt dictum, illi neq; eò perueniunt:ordo enim & diętá hîc neceſſaria eſt.

CAP. V.

SEd pergamus loqui de talibus laboribus, vt de his qui ſublimationes tractant, illi abſq; nocumento vix eſſe poſſunt: attamen fames harum rerum optima eſt conſumptio, vt dictum eſt: ſciatis tamē ſublimationes multas bonas virtutes ſecū vehere,vt ſublimatio argenti viui habet hanc proprietatem, quòd aer ipſius laxet,qui iā tali laxatione indiget illi cōducit ſublimatio eius.

Sublimationum vtilitas.

ſublimatio arſenici emittit feruidum ſpiritum in aerem, in quo feruore etiam quartana curatur, & aliquot morbi acuti, quin & fluxiones podagræ, arthericæ, & aliæ, quas & ignis & ligna in aliquo conſumunt, In aere etiam Mercurij omnes virtutes Mercurij latent: quare illi, qui eius ſublimationem tractant, à puſtulis nō infeſtantur. Tales ſunt etiam præcipitationes, reuerberationes, calcinationes, aduſtiones, & ſimiles præparationes multæ, in quibus omnibus ſpiritus aereus aſcendit, qui illam naturam & proprietatem habet, quam habet illud ex quo eleuatur. quomodo autem ille aer & morbus laborantis concordent, id medicis committendum eſt, qui circa eos habitant, & quotidiana experientia vti debent.

Ex natura et experientia non ex libris diſcendum.

Ita iam intelligite ex hoc tractatu, quòd ſalia varijs modis vſurpentur: attamen non cum tanta malitia & infectione vt metalla: medicus verò, qui iſta bene cognita habere vult, is in hac ſchola minerali ſe exerceat experiundo:

do: de quo non dicendum neque ſcribendum eſt. res magna eſt, oculare teſtimonium, neque de his quicquam diſci poteſt, niſi docentes & diſcentes in mundo minerali educati & verſati ſint, ſine quo impoſſibile eſt iſta ob oculos poni: quicquid autem aliàs cognitionis habetur, nemo negabit eſſe tantùm picturam cuiuſlibet mineræ, quæ ſemper ſuos defectus & vitia ſua habet, quæ nauſeam alicui pariunt: ita homo generatur per hominem & non fit per pictorem: in ſumma per lectiones & repræſentationes picturales nihil perfecti efficitur, nihil probè traditur, nihil iuſtum eſt, niſi ex fontibus fluminis deſcendat, ex quibus bibunt, qui verè ſitiunt, &c.

Finis libri ſecundi de Morbis mineralibus.

F

THEOPHRASTI PARACELSI
de Morbis metallicis

LIBRI TERTII Tractatus primus.

De Morbis argenti viui.

De ſemiperfectione Mercurij, quòd ideò ſit bonus & malus.

CAPVT I.

VT morbi minerales in vnum opus coagmententur, ſequitur liber tertius: in quo comprehenſi ſunt omnes morbi, qui ex argento viuo oriuntur, qui ex ſingulari obſeruatione & experientia collecti ſunt: morbi enim ſupradicti peculiaribus libris opus habuerunt. Quare in principio huius libri ſcitote, quòd morbi ex argento viuo nihil commune habeant cum morbis ſulphureis & ſalſis mi-

mineralibus, ſed neq; cognati ſint aliјs metallis aut mineris: ſimiliter non conſiderandum hîc eſt id, quod ab argento viuo ſegregatur, quaſi diceretur malũ à bono ſeparatum hîc morbos parere. Argentum enim viuum eiuſmodi eſt, vt bonũ & malum ſimul vnita habeat, ita vt non ſeparentur: qua de cauſa ſequitur quicquid hîc mali fit, id bono & malo ſimul tribuendum: ſimiliter quicquid boni fit, vbiq; bono & malo imputandum eſſe. Exemplo theriacæ intelligere poſſumus, quòd hîc bonum abſq; malo nihil valeat: ita ☿ eſt nata theriaca, cui nihil addendum eſt, neq; demendũ, ſed tantummodo præparatione in theriacam tranſmutãdus eſt. Itaq; ſcitote Mercuriales infectiones perfectorum metallorum eſſe duarum impreſſionẽ: quæ enim ex acri & vehementi impreſſione proficiſcũtur, alia in malitia inficiendi ſuperãt: omne enim quod ad perfectionẽ ſuam venit, eſt venenũ bene temperatũ, quod aũt ad perfectionem non peruenit, ſed terminum ſuũ nanciſcitur in intermedio

Mercurius bonus & malus.

Mercurius imperfectū metallum. tempore, in quo termino perfectio generari non poteſt, alterius naturæ eſt, quàm perfectum aliquid, magisq́; notandum eſt in bonis & malis rebus, quàm ea, quorum generatio ad finem perducta eſt: ita etiam mercurius eſt ſeminaturus aut fructus non ordinatus ad ſuam perfectionem, ſed in media generatione amittit vim illam, quę ex eo produci debebat.

CAPVT II.

QVòd igitur Mercurius tot damna affert, ſola cauſa eſt, quòd non ſit coagulatus in metallum. & quoniam coagulatio non adeſt, ideò eſt ſemigeneratum: & quicquid ei ſimile eſt, de eo idem intelligitur, quod de Mercurio. Vnumquodque coagulatum metallum in ſe continet naturam Mercurij: cùm verò coagulatum ſit, vis illa non amplius adeſt: nam in dimidia generatione, & vſque ad dimidiam generationem omnia metalla ſunt Mercurius, poſt quæ ſequitur operatio in- *Omnia metalla fuerunt ☿*

per-

perfectionem, in qua incipit metallorum diſtributio quocunque ſingula diriguntur. Hinc conſequitur, quòd ex Mercurio per ignes Vulcani quoduis metallum generari poſſit, ſicut in libro de Generationibus reperitur. Hæc ideò indicantur, vt diſcrimen Mercurij bene intelligatis, ſcilicet coagulati & non coagulati, quodque omnes illæ res, quæ non ſunt coagulatæ, & tamen finis eorum & vltima materia eſt coagulatio, omnia genera venenorum & medicinarum in ſe habeant: iam verò nihil eſt cuius finis & terminus ſit coagulatio, quodque non eò perductum ſit, niſi ſolus Mercurius. Multa enim ſunt liquida, ſed finalis ipſorum conditio non eſt coagulatio, ſed liquiditas: quare hîc diſcrimen eſt obſeruandum de Mercurio, cuius natura eſt, vt non perfectus naſcatur, ſed viuus in ſua ſubſtantia contineat, quod reliqua metalla mortua habent. aurum enim tantùm eſt Mercurius: quoniam autem coagulatum eſt, naturam illam non amplius habet, & quamuis ei Mer- *Nota.*

curij proprietates inſint, mortuæ tamen ſunt: ita & de argento, ferro, cupro, &c, intelligite, quæ omnia Mercurialem vim in ſe habent, ſed ſicut aliquis in aqua mergi & ſuffocari poteſt, quando autem ea coagulata eſt non poteſt: ſicut igitur coagulatio aquæ potentiã adimit, ita & coagulatio mercurio ſuam vim aufert.

CAP. III.

In Mercurio omniũ metallorũ arcana latent.

QVòd autem iſtud metallum ad ſuam perfectionem non tendat, quęnám alia cauſa eſſet, quã quòd medicus in hoc liquido apòthecam ſuam quęrere debeat, nõ habita ratione mali, quod inde oritur, ſed potius magnæ artis, quæ hîc abſcondita latet, vt illam inueſtiget, quæ & ſua propria & aliena mala fugat. Si igitur propter artem iſta materia à natura reſeruatur, ex qua ſex illa perfectiora metalla fieri poſſunt, & prætereà eſſentiæ & arcana, quæ in ſex metallis abſcondita latent, in eius ſubſtantia reperiri poſſunt, ea hîc omittã, & ſuæ ſcholę commendabo. Hîc enim

Notà.

id

id ſolum mihi propoſitum eſt, manifeſtare mala, quę ex ipſo ☿ oriuntur, ſimiliter & medicinam mali, quod ex eo natum eſt. Itaq; bene intelligatis liquiditatē & coagulationē eius, quodq; coagulari debeat, & ſit in via coagulationis, & tamē maneat liquidus, ex qua natura ſurgit fumus quaſi humiditas ex aqua: & quanquam nō videatur eſſe aqua ille fumus, attamen eſt aqua inuiſibilis: nam quando aqua in vaſe aliquo bullit, donec nihil remaneat, illud quod exhalat nō videtur eſſe aqua, ſed ſolummodo vapor, qui tamen in diſtillatorio reſudat in aquam, vt poſtea oculi videant vaporem illum fuiſſe aquam: ita ſe res habet cum Mercurio, qui ex ſe emittit exhalationem vi ſuperioris firmamēti, ac ſi aqua exprimeretur ex eo. Hic iam vapor Mercurij tranſit in aerē, & per eum in hominem venit: ita iam Mercurius in homine eſt, ſicut vapor aliquis aquę in aere, qui attrahitur, & ſicut aqua iterum fit aqua, ita Mercurius denuò fit Mercurius. Diſtillatio autem ipſius non ſolùm fit

Humiditas nociua exit ex Mercurio in ſiderum & caloris congeniti ipſi.

& regitur ab exteriori firmamento, ſed & ex ſe ipſo ab igne quod ſecum gerit, ſicut enim omne liquidum per ſe conſumitur virtute proprij ſui deſtructiui ignis: ita etiam Mercurius ſeipſum impellit & diſtillat in montibus, ſpeluncis & venis terræ, in quibus latet abſconditus; attamen vapores ipſius non fortiter terram penetrare poſſunt: quare ij, qui in illa regione terræ habitant, in iſtis vaporibus ſedere coguntur, ſicut ſi quis in hypocauſto balneatorio ſederet, idemque eſt ac ſi totus in ipſo Mercurio ſederet; qui enim in balneo ſedet, cum vapores madefaciunt, ac ſi in lauacro aquæ ſederet.

CAPVT IIII.

De vaporibus lapidū metallorū, lignorū & herbarum,

NON ſolùm autem in Mercurio talis nequitia eſt, quæ hominem adeò malè inficit, ſed & in lapidibus, qui ſi non coagulata eſſent, quis ſine malo in terris viuere poſſet, hoc eſt ſine morbo: nam ſi eorum Mercurius deberet ita imperfectus manere, ſicut Mer-

curius metallorum, illæ diſtillationes terram adeò inficerent, vt nihil ſalubre in ea naſceretur, ſed coagulatio lapidis hęc omnia tollit. Sicut videtis, fœtor Rebis eſt omnium peſſimus & deterrimus, ita vt nemo eum in propinquo ferre poſſit, ſed frigus cum congelat & indurat, per quam coagulationem omnia illa aduerſa amittuntur: ita etiam fit in coagulatione lapidum, quæ nequitiam eorum non dominari ſinit. Atque ſi tantum Mercurij metallorum eſſet, quantum eſt Mercurij lapidum, terra ob diſtillationē vaporum eius nihil fructuum ferret vtilium, imò & homines inficeret, ſicut in ipſa terra: regiones enim quæ vicinæ ſunt iſtis Mercurialibus fumus, & præparatores argenti viui, in grauiori periculo morborum degunt, quàm aliæ regiones; vbi enim Mercurius reſeruatur, illa loca ſunt inſalubria. Similiter intelligite, quòd metalla ſine igne nullum venenum emittunt: ignis autem eis adimit naturam Mercurij fixi, quanquam inſalutaria ſint, attamen

comparantur aquæ congelatæ: ita & de ſtellarum operatione in metalla notandum eſt. Sed reliqua generata, quæ non tam vehementer ſunt coagulata, minus nocent, vt lignum, quod ſuæ primæ materię propinquius eſt, quàm metalla: quare & lignorum fumus non adeò fugiendus eſt, quoniam ipſorum liquida materia non ad firmiſſimam coagulationem perducta eſt: ita & herbæ adhuc minorem coagulationem habent: quare ipſarum fumus cætera omnia ſuperat, idcirco bonam materiam primam habent, quæ non adeò aduerſatur hominibus ac metalla, &c.

TRACTATVS ſecundus.

Quòd argentum viuum ſit luna terreſtris, & caput ſtellarum hyemalium in terra.

CAPVT I.

SI autem iſta ex fundamēto vero, vt decet, intelligi debent, ſine phyſica aſtronomica id fieri nequit: medicus enim

enim addictus eſt omnibus naturalibus artibus & ſcientijs, quas omnes in vnum colligere eum oportet, & poſtquam eas omnes complexus fuerit, tum demum ei licet rem aggredi medicam & adminiſtrationem ægroti.

Quare recolite ea, quę in primo tractatu dicta ſunt de ſemiperfectis generatis naturalibus, inter quę vnum eſt Mercurius, qui non in compoſitionem per ducitur, ſed in liquiditate relinquitur: præterea ſciendum, quamlibet rem naturalem, quæ aperta eſt, vt argentum viuum, eſſe ſimilem domui non clauſę, in quam quilibet intrare poteſt: ita etiam Mercurius patet, vt quilibet medicus ex eo accipere poſſit quæ velit, ſed de auro, argento, ſtanno, &c. non ita res ſe habet: illa enim ianua eſt clauſa per coagulationem, donec fiat apertio, diſſolutio, reductio in primam materiam: quę quidē multa impedimēta habent. Ea autē omnia in ☿ vitātur: eſt enim patens, nec alia re indiget, quàm digeſtione in permixta præparatione. Sed hæc omnia poſthac quieſcent, &

Mercurius eſt metallũ apertum.

Metalla in Mercuriũ redigenda, & poſtea præparãda.

porrò dicetur de Mercurio, quis ſit in ſuo ſidere terreno: terra enim cœlum ſuum in ſe continet, & aſtra eius ſunt mineralia: ita vnum ex aſtris illis eſt argentum viuum: quale autem id ſit, ita cognoſcite, &c.

CAPVT. II.

Alij 365. Videtis annum eſſe diuiſum in 364 dies vnà cum minutis adhærentibus, eundemque dimidia ex parte eſſe æſtatem, dimidia ex parte hyemem: atque in hac forma vnus annus alterum inſequitur vſque ad finem mundi, ita vt ſemper & continuò æſtas & hyems vnà poſt alteram veniat: ſic enim creatus eſt mundus, & hic eſt eius ordo, atque hic eſt mundus, quem homo videt. Iam verò in ipſa terra alius eſt mundus habens ſuas conſtellationes, ſuas habitationes, & ſimilia, ita vt ſit peculiaris mundus per ſe, de quo ſatis. *Annus mineralium.* Sciatis autem in illo mundo terrę non eſſe niſi vnum annum, qui incipit à prima die creationis, & adhuc durat: ex quo

quo ſequitur, quod iuxta hunc annum res, quæ in terra ſunt, creſcant, (quicquid enim in ſuperficie terræ naſcitur, id non pertinet ſub terram) quod ita intelligite: in terram ſparſum eſt ſemen metallorum & non ipſa metalla, quæ ſe manifeſtarunt tempore meſſis & vindemiæ vnum poſt aliud, citò vel ſerò, pro diuinæ prouidentiæ ordinatione, ſicut nunc habemus violas, nunc thymum, poſtea roſas, ceraſa, pira, nuces, vuas, &c. donec finitus ſit annus, & omnia tamen naſcuntur in eodem anno, etiamſi vnum ſerius altero prodeat: ita etiam hîc fit, nunc floret in vna regione aurum, in alia argentum, in alia ferrum, in alia plumbum. hoc præterijt, illud præſens eſt, alterum futurum eſt, hoc eſt, huius Ver finitum eſt, alterius ęſtas, alterius Maius, alterius Iulius: qui enim in principio mundi vixerunt, ij aurum & argentum Vernum cum violis conſecuti ſunt, qui poſt eos cum trifolio & flammula, & ita porrò à primo vſque ad vltimum diſtributum eſt tempus anni huius.

Ita quicquid decidit non iterum naſci-
tur,de eo actum eſt,nullus annus itera-
tur in terra.& ſicut ſuper terra ſatis na
ſcitur pomorum, graminis, frumenti,
&c. ita etiam homini prouiſum eſt de
metallis: attamē cum hoc diſcrimine,
hoc metallum natum eſt tempore vio
larum, alterū tempore cyani, tertium
tempore frumēti,hoc eſt iuxta tempus
huius anni terreni, cuius mēſes ordine
complectūtur multa millia annorum.

CAPVT III.

CVM igitur vnicus ſit annus in
mundo terræ, cuius eſt ea diſtri-
butio, vt antè dictum,neceſſe eſt illum
annum etiam ſuam æſtatem & ſuam
hyemem habere: æſtas autē ſuper ter-
ra eſt ſenſibilis calor, ſimiliter & hy-
ems ſenſibile frigus,& vtrumq; tamen
non tangi poteſt,ſed chaos eſt:in mun
do verò terræ vtraq; ſunt palpabilia,ca
lidaq; & frigida,ſed ſicut ſol & luna,íd-
que latenter. Notate igitur explicatio-
nem primę æſtatis & hyemis,quę ſic ſe
habent:in cœlo eſt turba ſtellarū, quæ
æſta-

Stellæ æſtiuales & ſtellæ hyemales.

æſtatem efficit, inter quas princeps eſt ſol, qui tamen per ſe & ſolus nullam ę-ſtatem efficit, ſed cum ſua turba coniunctus: ita etiam hyems conficitur ab agmine ſuo ſtellarum, quæ ſuam exaltationem habent poſt dominium æſtiuarum ſtellarum, eſtq; ita ordinatum, vt ſe inuicem ſequantur. Iam verò, notate, æſtas terræ eſt cumulus mineralium, quæ etiam in ſe habent æſtatem; atq; ſimiliter eſt aceruus minerarum, quæ hyemis naturam habent, & ſic in mineris eſt hyems & æſtas: non autem iuxta dies, menſes & tempora, ſed ſicut iuxta ſe inuicem ſunt poſita, mons niues gerens, & vallis habens hortos floridos: ita hîc iuxta ſe inuicem ſunt poſita æſtas & hyems, vt patet in maturatione. ſi fortè aperiantur tempore ipſius creationis, tum æſtas in ſua natura reperitur ſimilis eſſe exteriori æſtati, & hyems in ſua natura ſimilis eſſe exteriori hyemi, ita vt concordēt proprietates, qualitates & naturę, ex qua concordantia philoſophiæ, phyſicę, aſtronomicæ oritur & conſequitur.

Hyems & æſtas in mineris ſimul.

CAPVT IIII.

ITaque in terra annus eſt, diſtinctaq; ſunt æſtas & hyems, quæ in corpore latent, & non manifeſtantur, vt exteriori mundo, in quo ita creata ſunt, vt ipſorum vis & natura ab ipſis prodeat: in mundo verò rerreno ęſtas & hyems manent occluſa, nec aliquid ſenſibile emittunt, neque calidum neque frigidum, ſed illæ vires frigoris vel caloris, quæ ex ipſis prodeunt, occultæ manent, ſed aliæ proprietates erumpunt: ſicut in luna videtis, quæ occultam naturam emittit debilitandi hominem, præterquam quòd dominatur frigori vnà cum ſuis ſtellis: ita etiam fit in iſta hyeme terræ, quæ quidem nihil aliud eſt, quàm ipſe ☿ viuus, qui in omnibus ſuis proprietatibus eſt luna terræ & hyems terræ, cum omnibus neceſſarijs. in hoc ſita ſunt hyems, ſtellæ hyemales & mineræ hyemales, & quæ huc pertinent. Aequum igitur eſt agere de hac natura argenti viui, vt cognoſcatis, quæ ſit vis & potentia eius, quæ qui-

Mercurius eſt luna, & hyems terræ mineralis.

quidem ex prioribus non ſatis intelligi potuit. Nomen quidem eſt vſitatum, vt argentum viuum vocetur Mercurius, vt ſit ſub Mercurio ſicut aurum ſub ſole, ſed non iuxta naturam ei impoſitum eſt, eſtque inſipiens & falſa philoſophica ordinatio. Argentum enim viuum iuxta naturam ſuam potius vocari debebat luna, hyems, nix, frigus, glacies: tamen quoniam non eſt coagulatum, ſed patens metallum, & prima materia omnium metallorum, nomen ipſius maneat: ſed hoc in loco pro luna accipiatur & hyeme: argentum autem debet vocari Saturnus: plumbum autem Mercurius, quam appellationem & diſtributionem aſtra ipſa probant & tincturę rerum iſtarum, ſicut teſtatur experiētia, ipſorum proprietas, eſſentia & qualitas, ſine quibus operari vel loqui minimè licet.

☿ vocatur mercurius, quia eſt verſatilis vt planeta Mercurius

Arg. viuum eſt ☽

Plumbū eſt ☿

Argentum eſt ♄.

CAPVT V.

QVandoquidem igitur indicauimus de argento viuo, quid ſit,

nempe planetæ terræ & luna,&c.ſicut etiam demonſtrant Aſtronomia terræ,ſcitote hominem huic planetæ obnoxium eſſe, ſicut ſcitis quid luna poteſtatem habeat in homine,&quomodo afficiant hominem hyems & ſtellæ hyemales facientes hyemem,quando exaltantur: ita enim & de planetis inferioribus ſcilicet terræ intelligendum eſt, quòd ſimiliter in ſuo climate imprimant ſuam vim & influentiam, ſed non in hominibus: ſunt enim compacta, coagulata, indurata: quare impreſſiones, quæ in ipſis deliteſcunt, prodire nequeunt, atque hoc modo homo tutus eſt ab ipſorum impreſſione. Quia autem argentum viuum, quod luna eſt, patens eſt & non compactum neque induratum: idcircò lunares impreſſiones ex eo prodeunt ſicut ex luna cœli,niſi quòd frigus non ſit ſenſibile. Cùm igitur argentum viuum ſuam impreſſionem exerceat erga hominem ſicut luna ſuperior, animaduertite, vt dictum eſt, quæ ſit natura & proprietas lunæ ſuperioris,

Argentum viuum in nobis operatur, vt luna cœli, ſed hanc fugere non poſſumus, illud verò bene.

perioris, & quídnam ſit: talis enim etiam eſt Mercurius viuus, qui eſt luna terræ, ſed cum hac differentia, lunam cœli in certa menſura & modo ferimus, non plus non minus iuxta curſum eius & proprietatem: talis etiam eſt luna terræ, ſed hac poſſumus carere prorſus, aut eam copiosè aut parũ habere: prout igitur nobis adeſt, ita etiam eſt expectanda eius impreſſio. Hæc igitur cauſa eſt, quare ſcribamus de illis, qui læduntur à luna terræ, dum iuxta eam habitant, agunt, verſantur, eam tangunt, quod quidem in ſuperiori luna fieri nequit: dicendum igitur erit de morbis lunaribus, quantum experientia mihi compertum eſt. Quòd ſi verò fieri poſſet, vt homo in luna ſuperiori habitaret, eam tangeret & tractaret, ſicut lunam terrenam, ſimiles morbi inuenirentur in ſuperiori luna & in argento viuo.

TRACTATVS tertius.

Quomodo duo contraria argentum viuum & homo poſſint ſimul eſſe.

CAPVT I.

Homo eſt microcoſmus, propterea toti rerum naturæ ſubiectus & obnoxius.

VT autem propoſito noſtro ſatisfaciamus, neceſſe eſt ſcire contrarietatem argenti viui & hominis, cur hæc duo ſibi inuicem repugnent, neq; tamen homo aut lunam aut argentum viuum lædere aut perdere poteſt: ſemper enim manent in ſua eſſentia illæſa ab homine. homo igitur eſt huius rei cauſa, quia ex limbo factus eſt, qui limbus in ſe complexus eſt omnia elementa & ipſorum eſſentias. Quòd ſi verò talis fuit limbus, & homo ex eo factus eſt: ex hoc ſequitur, quòd limbus ſit hominis parens, & per conſequens, quòd filius patrem timere cogatur, quia pater imperium habet in filium. Ex hoc iam ſequitur, quòd cogitandum

gitandum eſt nobis hominibus, quod ex elementis infici poſſumus, & in ipſorum naturam & eſſentiam incidere. nam ſicut filius non poteſt dicere, ſanguis meus non eſt de meo patre & matre, ita neq; nos poſſumus dicere, quod abſque elementis viuere poſſimus: & ſicut filius ex patre & matre naſcitur, & quicquid in generatione aſſumpſit vſque ad mortem retinet, idque ipſum manet, ita & nos agnoſcere oportet, quod ſimus ex patre limbo, qui quidem indeſinenter in nobis regnat, ſicut in embrione in vtero materno. Nam nos homines, quantumuis adulti, omnes ſemper adhuc in matrice ſumus, & quicquid in matrice poſitum eſt, ſe ſuſtentare cogitur ex illo, quod matrix ſubminiſtrat: ita omnia elementa nos circundant, & nos ambulamus & viuimus in medio ipſorũ, ſicut pulli gallinacei in teſta oui: tam teneri & molles etiam nos ſumus, ita vt omnes voces ad nos penetrent, & in effectum realem mutentur, quæ quidem voces planetarum ſunt, peripheria & inuo-

lucrum eſt cœlum & terra, matrix & ouum ſunt vnum & idem: homo autem eſt minima pars, & tamen hæc omnia eſt.

CAPVT II.

Contrarietas non eſt elemēti ratione, ſed proprietas in eodem elemento.

HIC quoque ſciendum eſt duo contraria elementa abſque mutua læſione ſimul ſtare non poſſe, oportet enim æſtatem cædere hyemi: natura enim ita condita eſt, vt contraria in ſe non contineat, hoc eſt, contraria non conueniunt in curſu naturæ, ſed ſimile cum ſimili: viriditas enim non nocet herbæ frigidæ, aut calidæ flauedo, rubedo, &c. Elemētum quoduis non habita ratione aliorum, manet in ſua eſſentia & ſtatu abſque contrarietate: non igitur verum eſt, quod dicitur tonitru, fulgur, nix &c. venire ex contrarijs rebus: fulmen enim, fulgur, ignis ille deſcendit ex ſui elementi virtute, & ex propria ſua natura non ex contrarietate. Inſpicite enim puluerem bombardarium, ſulphur & ſalpetræ ſunt vnius eiuſdemque elementi,

&

& tamen ineſt eis contrarietas, quæquidem eſt proprietas naturæ, quæ exiſtimatur eſſe contrarietas, non quidem elementi, ſed liquiditatis: Liquor enim ſulphuris & liquor ſalis-petræ non poſſunt vnà eſſe, tantùm ratione liquiditatis, & non ratione elementi. Ita etiam ſe res habet in generatione fulminis; ſicut vir & mulier habent calidam vtrique complexionem: ſunt eiuſdem naturæ, proprietatis, qualitatis, quantum ad ſanguinem, carnem, oſſa, &c. quòd autem non poſſunt vnà eſſe, ſed ſe inuicem fugiunt, in cauſa eſt non natura elementi, ſed natura qualitatis, quæ poſita eſt in forma & applicatione: hæc applicatio eſt contrarium illud, de quo agendum eſt. ex tali quoque applicatione maleuoli fiunt planetæ, & ſimilia, quæ aliis libris commendo, &c.

CAPVT III.

Coniunctio hominis & mercurij eſt morbus.

QVomodo autem duo contraria non poſſint abſq; euerſione mutua eſſe in ſuo elemento, ita notate,

homo eſt calidæ naturæ, in qua qualitate vnus homo alteri ſimilis eſt vir & fœmina. Quod autem dicitur, iſte eſt frigidus, iſte eſt calidus, eſt erroneum & falſum: mulier quoq; viri caliditatem habet, neque frigidior eſſe reperitur. Cùm igitur homo ſit calidæ naturæ, luna verò frigida, tunc illa duo ſunt contraria. quid autem curat homo frigus lunæ? nihil, quia non coniunguntur in idem & copulantur: quare ſe inuicem deſtruere nequeunt. læſio autem in hoc caſu eſt, quòd hîc tinctura quædam fit, non quòd ipſummet elementum adſit, ſed per tincturam in homine operatur: perindè ac ſi quis venenum in àquam proijceret, quæ certè non ſunt contrária: àqua enim non eſt contra venenum, ita neq; homo eſt contra venenum: in ipſo enim nihil eſt ei contrarium, ſed ſolùm calor quidam. Scitote igitur, quòd argentum viuum vènenum in ſe habeat, quod tingendo in hominem emittit, & tinctura illa, quam ipſum alijq; planetæ inuiſibiliter habent, qualem tin-

ctor

ctor viſibilem habet, eſt illa ipſa, quæ naturam debilitat. Quare vanum eſt vnum elementum alterum ſibi ſubijcere, imò vtrunque manet in ſuo ſtatu: ita homo manet calidus, tinctura verò frigida, dum autem tincturæ externæ frigus in homine latet, durat etiam morbus, qui quidem cum ſanitate bene coniunctus eſſe poteſt, imò minimè ſeparantur, ſed in vno eodémque perfecta manent. Quando autem morbus tollitur, ſanitas ſola remanet: ſi verò vnà cum morbo cõiuncta manſiſſet, æger non ſanatus fuiſſet: quare commodè ſimul eſſe poſſunt. quid autem in hoc dominetur, ita diſcite.

CAPVT IIII.

QVandoquidem igitur Mercurius ipſa hyems eſt, etiam ſe vt hyems gerit. hyems non expellit ex corpore humano calorem, ſed ægrè ipſi facit, eumq; repercutit, ita vt ferre id nolit: Cùm igitur quis frigore perit, non in cauſa eſt, quòd calor ab ipſo receſſit, *Mercurius ſe gerit vt hyems in homine.*

adhuc enim in centro ipſius deliteſcit: in vnam enim compoſitionem tranſeunt: mors autem inde venit, quòd caliditas nimium inflammauit cor: cùm enim cedit calor, & frigiditati locum & ingreſſum dat, cor expaueſcit, atque ita commiſcentur duo diuerſa elementa calidum & frigidum, & fiunt vnum, perindè ac ſi vinum & aqua confunderentur. ſicut verò oleum & aqua ſegregata ſunt, ita etiam adeſt frigus. Ita etiam ſe res habet cum luna terrena, quæ non habet ſenſibile frigus, ſed ſigna frigoris ſenſibiliter adſunt ob id argentum viuum tremores, ſtridores dentium, & ſimilia efficit, quòd ſi non eſſet hyems terrena, ea non gigneret: omnis enim tremor eſt influentia, quę imprimitur quaſi ex ſtellis cœleſtibus: & quamuis etiam calidum cum calido iunctum tremorem afferat, ſicut etiam frigiditas & frigiditas, id tamen non metallico vel terreno modo dicitur. illæ igitur cauſæ ſuo in loco maneant. Hîc verò meum propoſitum eſt ſolummodo deſcribere minerales

morbos

morbos terrenos, ex ſuis ſideribus natos, quod quidem nihil aliud requirit, quàm vt deſcribatur Mercurius eo modo, vt fecimus. Eſt enim Mercurius luna terrena, & hyems terrena; atq; ita duas habet impreſſiones in homine, vnam tanquam luna, ſi homo ſe ipſi obnoxium reddat, alteram tanquam hyems, ſtellæq; hyemales, quarum naturam habet. quomodo autem hæc omnia pleniſſimè intelligenda ſint, non opus eſt hîc deſcribere: quantum autem ad morbi huius originem demonſtrandam neceſſarium erat, ſatis dictum eſt. Poſthac igitur nihil nobis propoſitum eſt aliud, quàm quomodo ille morbus curetur.

TRACTATVS quartus.

De morbis, quos gignit argentum viuum in homine.

CAPVT I.

PRiuſquam autem de cura vos inſtruamus, ſcitote, quòd hyems, quę

latet in argẽto viuo, vnicum morbum gignat, nempe tremorem & horrorem inſenſibilem, vt dictum eſt, quod quidem hoc modo intelligendum vobis eſt: Quodlibet gelu morbus eſt necans, frigus enim vincens omnem calorem introrſum pellit, atque hoc modo vincit cor & alia membra, quę afficit rigore: calor autem à centro fugere nequit, aut alio cedere: quare cor comburit, ſimiliter pulmonem, epar, ſtomachum & cerebrum: quando enim tremunt, tunc calor retroceſſit in illud ſuũ centrum, in quo gradus fit nimius, atque ex copia caloris & abundantia, temperatura corrumpitur, vnde gignitur ignis, qui deuorat omnia, ex ſui elementi natura operans. Hinc oritur iam putredo pulmonis, epatis, ventriculi, cerebri, renum, inteſtinorum, & alij ſimiles morbi tot, vt enumerari vix queãt: quin & ipſa medulla areſit in ipſis oſſibus; venæ & nerui oſſium item ſanguis aduruntur: ſimiliter ipſa caro ſub cute, cartilagines, & quicquid in homine eſt. Accedunt etiam alij morbi accidentales,

Frigus mercurij vrget calorẽ hominis, vt incedat membra principalia, quibus accidũt etiam ſui morbi naturales.

dentales,qui quidem de natura & proprietate cuiuſlibet membri ſunt, vt in pulmone difficultas ſpirandi,tuſſis,anhelatio,apoſtemata,putredines,phthiſis:in cerebro mania,phreneſis,cephalalgia,catharri,dolores dentium,paralyſis,apoplexia,caducus, & ſimiles. Ita de omnibus alijs intelligendum, quæ hîc afficiuntur, quæ non opus eſt recenſere, cùm notiſſimum ſit omnibus medicis; quales morbi ex tali infectione naſcantur & oriantur.

CAPVT II.

SED de morbis, quos argentum viuum parit ratione ſui frigoris, his, qui ſe obnoxios ei faciunt, & exterius aſſumunt tanquam impreſſionē, hoc eſt, tanquam odorem ex roſa ſatis dictum ſit: dicamus porrò de illis morbis, quos affert tanquam luna, in qua quidem eſt nouilunium, quadratura & plenilunium,qualis eſt ipſius accretio,talis eſt quoque eiuſdem decretio. Habet quidem aliam quoq; actionem

Mercurius in homine ſua ſigna dat nouiluníj,quadraturæ et pleniluníj.

à natiuitate Adæ vſque ad mediam æ-
tatem humani generis,ſiue mundi,qua
medietate completa, dimidia duratio-
ne mundi ſcilicet, plenilunium eius
adeſt, poſt quod decreſcit, & ſequitur
eius altera pars:qui verò rationem hu-
ius lunæ non intelligit, is indignè lo-
quitur de ætate mundi, aut de vltima
die: oportet enim hîc quoque plenilu-
nium & quadraturas conſiderare. Por-
rò nouiſtis quomodo ſe gerat noua
luna erga hominem, iuxta doctrinam
ſuperioris cœli, ſimiliter quomodo ſit
affecta dum creſcit vſque ad primam
quadraturam,à quadratura vſq; ad ple
nilunium,à plenilunio ad poſteriorem
quadraturam,ab hac vſq; ad defectum
lucis eius. Scut igitur iſta nouiſtis ex a-
ſtronomica experientia, etiam ſine e-
phemeridibus, vel ſaltem ex lunaribus
morbis, eorumq; ſignis, quæ etiam ip-
ſis ægrotis nota ſunt: lunares enim æ-
gritudines certiſſimæ ephemerides lu-
næ ſunt, ita vt abſq; calendario curſus
eius inde ſciri poſſit: ita etiam notate,
quomodo Mercuriales morbos repe-
tiatis

riatis in hominibus metallicis ex ſigniis decreſcentiæ, nouilunij & accreſcentiæ. Quòd ſi Deus indulſerit & permiſerit finitionem meæ Archidoxeos, aliter vos naturæ peritos eſſe oportebit, nempe ſolidè & fundamentaliter, hîc aperite oculos, ſi modò rectè ambulare velitis.

Archidoxa aſtronomica.

CAP. III.

CVm igitur luna argenti viui in hominibus morbos impreſſionis gignat, illorum ſigna aliqua ſcitote, hoc modo: dicitur vulgò cerebrũ eſſe membrum lunæ in homine: hoc eſt, cerebrũ eſſe lunam microcoſmi, & regnare in ipſo: ſcitote igitur, quòd iſti ſententiæ inhærère minimè debeatis. luna enim omnibus membris imprimit, non vni ſolùm, cerebrũ quoq; eſt in homine ſicut aliud membrũ; quòd autem cerebrũ pręcipuè tanquã lunaticum membrum cõſideratur, in cauſa eſt morbus lunaticus: cũ enim cerebrũ in illo patitur, in ratione illa paſſio deprehẽditur;

Mercurius vt luna nõ ſolùm in cerebrum, ſed in omnia etiam membra facit impreſſiones.

ratio enim creſcit vel decreſcit iuxta lunam: cùm igitur tam ſenſibiliter id deprehendatur, & à vulgo maximè: propterea luna & cerebrum ſibi inuicem correſpondere dicuntur. Sciendum igitur eſt, quòd in omnibus aliĳs membris talia ſigna eluceant, vt in ratione, & non ſolùm in cerebro: morbi autem lunatici ſunt mania, morſus catorũ, chorea Santviti, epilepſia, & plures alĳ ſimiles chronici morbi quando exaſperantur, & cùm mortalibus accidentibus ingruunt, atque hi morbi pertinent ad cerebrum. Morbi verò lunatici ad articulos pertinentes ſunt: paralyſis, gutta, arthetica, podagra & ipſius ſpecies vnà cum conuulſionibus, fluxibus, deſtillationibus, & earum ſpeciebus. In epate ſunt febres, ictetus, & ſimiles. In renibus diabetica paſſio: & ſic de alĳs membris. Hæc autem propterea adduxi, quòd argentum viuum ĳſdem morbis dominetur & præſideat, quibus luna ipſa cœleſtis, prout eſt ipſius exaltatio, nempe phthiſi, hydropi, ethicę, quartanę, &c. fundamentum

Morbi lunatici ſingulorum membrorũ.

tum autem ex quo iſta plenius intelliguntur, procedit ex prima aſtronomia; de qua hîc ſcribere non opus eſt: doctis tamen & expertis ſatis dictum eſt, quòd hîc de luna terreſtri & nòn de cœleſti cogitandum ſit in cognitione morborum, & eorundem cura aggredienda.

CAPVT IIII.

Mercurius intra corpus agit vt luna.

SIcut autem dictum eſt de morbis externis; quos argentum viuum per impreſſionem fumi & occulti vaporis cõciliare poteſt: ita ſcitote, quòd ſimilia operetur etiam in illis, qui illud intra corpus accipiunt, vt in medicina: quare æquum eſſet medicos, mercuriales medicinas adminiſtrare per vnguenta, fumigationes, præcipitatum, aquas ſyrupicas, & ſimilia; aliquantò melius rei peritos fieri, ne in impoſturas inciderent. Mercurius enim omnino perpetua luna eſt, in qua nulla mors eſt vſque ad diem extremum, ſiue ingrediatur hominem ſiue

non, ſimulque eſt permanens & fixa hyems,cuius niuē nullus ſol liquefacere poteſt, neq; glacies eius recluditur. Quę cū ita ſint,opus eſt vt maiori cum intelligētia tractetur, quandoquidem manifeſtum eſt, quòd homo eum digerere & concoquere nequeat: omnia enim metalla concoquuntur,argētum viuum verò non, quod neque homo, neque ipſe ſtruthio concoquere poteſt. In ſumma argentum viuum manet viuum, & non moritur, & ſi ponas illud intra corpus,homo lunam in ſe habebit, & vnà cum ea omnes lunæ proprietates. Quin & hoc accedit, quòd luna ſuperior ſe aſſociat ſuo ſimili,& vnà cum ipſo finem ſuum eò alacrius appetit, atque ita duplicantur morbi: quæ enim luna operari poteſt in omnibus morbis,ea etiam poteſt argentum viuum: atq; hinc ſunt errores in difficilimis morbis,qui ex hac applicatione naſcuntur: niſi enim hæc luna argenti viui peſſundetur, omnes morbi illius hominis ſunt incurabiles: vera enim & genuina phyſica eſt, vt

Luna cœleſtis adiuuat Mercurium intra corpus ſumptum.

vt hæc cognoſcantur, & fiant.

TRACTATVS quintus.

De cura morborum mineralium, de quibus in libro ſecundo dictum eſt, deq́ præſeruatione eorundem.

CAPVT I.

SIcut in præcedenti quarto tractatu de mineralium morborum origine & cauſa dixi: ita hîc in quinto tractatu de cura eorundem dico: ſed non opus eſt omnes ſpecialiter declarare, ideò vnam curam ponemus de morbis ex mineralibus, alteram de morbis ex ſalibus. Sciendum enim eſt, quòd diuerſa ſint hæc, & ſingularem vtraque curam requirant, ita vt ſit vna deſcriptio pro metallicis fixis, ſulphure, ſale & mercurio & ſimiliter de nõ fixis: altera verò pro ſalibus, qui ferè per ſe ſũa medicina ſunt, attamẽ quod ad artifices, qui & ipſi tali fumo inficiũtur, aliquid amplius dicendũ eſt: in quibus tamen omnib. ſupradictis alia ratione cu- *Duplex cura libri ſecundi.*

ram aggredi nos oportebit, quàm vulgò, nempe vt ſubtiles & fixi ſpiritus per ſua arcana ſuperentur.

CAPVT II.

Elemẽtum ignis conſiderandũ in morbis ſecundi libri.

VT autem compoſitiones receptorum edoceamini in morbis, qui ex mineralibus oriuntur: ſciendum eſt primùm, quòd ſub aere, de quo ſuperius dictum eſt, ſolummodo elementum ignis comprehendi debeat & intelligi, ideò quòd hoc loco elementaris quædam operatio fiat, ſicut videtis in flamma, quæ conſumit tanquam elementum, & non vt calor, quomodo ſol exiccat, non vt ignis, ſed vt res calida. iſte calor & ignis ſunt diuerſa: alterum enim eſt elementum, alterũ qualitas: de qualitate verò hîc non loquimur, ſed de elemento eſt noſtrum propoſitum: Nam ſicut ignis flammę in ligno operatur, ita etiam iſti ſpiritus operantur in membris, quibus adhæſerunt. & quòd non tam celeriter aduratur vt lignum, in cauſa eſt vis viuida

da, quæ viuum fructum producit, per quem igni vis ſua debilitatur tandiu, donec vis illa creſcendi abſumatur.

CAPVT III.

Ex hoc ſequitur iam, quòd medicina in virtute elementi ſit opponenda huic igni, ſicut ſola aqua ignem reſtinguit & nihil aliud: elementa enim efficacia efficacibus elementis vinci oportet. aliud enim eſt elementũ, aliud qualitas: aliud eſt calor, aliud ignis, calor hîc non conſideratur, ſed ignis: quare non complexio contra complexionem dirigenda eſt: ignis enim à complexione non vincitur, ſed complexio ſui ſimile vincit, & elementum ſimiliter ſui ſimile: vt exempli gratia, ſi morbus aliquis per ſe calidus eſſet: oportet autem morbum connatãm habere vel humiditatem, vel ſiccitatem tanquam ſuam diatheſin, ſicut ex libris de Gradibus & cõpoſitionibus intelligitur. ex eo iam conſequitur, quòd & medicinam per talem diathe-

Elemẽtum vincit elementum, complexio complexionem.

ſin diſponi oporteat. Hîc verò cùm agatur de elemento, iſta non ſunt conſideranda: in elemento enim non eſt diatheſis, ſed proprietas naturæ eſt domina alterius naturæ, vt humiditas aquæ dominatur igni, & nec frigidum nec calidum, quare aqua humida eſt, & nec frigida nec calida: quòd autem eſt frigida aqua, eſt frigus accidentale, quod in operatione humiditatis non permanet neque adiuuat: frigus enim tam peregrinum eſt aquæ, quàm calor, vt ſi aquam bullire facias ſuper igni, quando ignis non amplius adeſt, aqua in ſuam priſtinam temperaturam redit, ita ſimiliter peregrino frigore ab aqua recedente aqua in idem medium redit, vt in bullitione.

Humiditas aquæ eſt cōtrraria igni, non frigiditas vel caliditas.

CAP. IIII.

ITaque ſcitote morbum hunc eſſe elementum & non qualitatem vel complexionem: quòd ſi igitur eſt elementum, nempe ignis, neceſſe eſt etiam medicinam eo modo conſtituere & dirigere, vt in ipſa inſit elementum

Humldi et madidi differentia.

tum humiditatis, & non complexio vel qualitas madida:aliud enim eſt eſſe humidum, & aliud eſt eſſe madidum. eſtque hæc differentia,humidum non conſumitur, madidum autem exiccari poteſt, quod exiccari poteſt contra elementum nihil valet, ſed quod non conſumitur. Illud autem hoc modo agnoſcendum eſt, quòd coagulationi minimè eſt obnoxium,illud eſt humidum: qui autem hæc cognoſcere velit, eum oporter eſſe peritum & exercitatum in tranſmutationibus & præparationibus artiſtarum, quibus hoc loco iſta commendo. In homine igitur hæc eſt conditio ignis & humiditatis, quòd humiditas non coagulatur,ſicut id quod madidum eſt. quòd ſi contra talem ignem adminiſtretur, coagulatur,itaq; vna ſiccitas alteri adiungitur, & igni apponitur lignum:quod autem humidæ naturæ eſt, etiamſi ab igne in vaporem diſtilletur, nihilominus eius elementum incorruptum manet:diſtil latur enim tandiu dum homo, qui eſt alembicus,permanet.

Quid ſit vere humidum.

CAPVT V.

In elementari medicina peccari poteſt.

SED vt porro de medicina iſta loquamur, ſcitote aliam vim in ipſa, quam parit vis elementaris in rebus naturalibus: in qua ſi erretur incuria, & humiditas peccet, naſcitur hydrops, quæ ex nulla alia origine oritur: ſi ſiccitas, ſequitur ethica & ſpecies ipſius; ſi enim dici poteſt, tu iſtum corrupiſti purgando, quod extra elementum factum eſt, etiam dici poteſt, tu peccaſti in elemento ignis & ægrotum ad Maraſmum deduxiſti: ſi erres in elemento aeris facis ægrotum colericum & contractum: ſi in elemento terræ, ęgrotum in quartanæ exaltationem ſeducis: atque ſicut iſti morbi quatuor ſunt elementares & non ex humoribus, ita etiam eos in hac monarchia deſcribere, & iuxta eam procedere decet. Sicut igitur dictum eſt, medicis terminus hîc ſeruandus eſt, & non vlterius progrediendum, ne conſequantur dicti morbi. Cùm verò ſol vel morbus mineralis ſit ignis materialis, ſicut mundus

dus eius & natura ſpecifica indicat, medicinam quoque materialem humiditatem eſſe oportebit, talem, qualem ſuprà deſcripſimus, vt per iſtum proceſſum medicinę, humidum radicale conſeruetur in ſua qualitate, quod dum fit, nullus morbus deprehendi poteſt: huius autem elementaris humiditatis recipe ſequitur.

CAPVT VI.

DEligantur igitur medicinæ, quæ à coagulatione liberæ ſunt, quale eſt alumen, in quo humiditas eſt & coagulatio ſimul: quæ duo ſi à ſe inuicem ſeparentur, qualitas in vnum locum deuenit & elementum ſimiliter. Elementum autem aluminis proximũ eſt aquę, elementum enim aquę etiam à coagulatione ſua ſeparatur in puram glaciem elementalem, ſicut alumen per ſuam coctionem: ſed ſpoliatum eſt arcanis medicinalibus, alumen verò minimè: aqua enim ſolummodo contra ignem lignorum medę-

Alumen continet elemẽtarem humiditatem contrá ignem microcoſmi.

la eſt: alumen verò eſt medicamentum contra ignem microcoſmicum. Quare in hoc ſita eſt res, vt ſolummodo ab alumine auferatur eius aquoſitas, & eò vſque rectificetur, vt ferè ſaccaro aſſimiletur, cuius bibatur ſcrupulus vnus: quòd ſi verò denuò ſigna morbi elementaris deprehendantur, denuò reſtinguantur vt antè. Plura ſunt talia arcana, quæ experientiæ ſcholæ Vulcanicæ committo: hîc enim non fieri poteſt, vt omnia annotentur.

Præparatio & adminiſtratio aluminis.

CAPVT VII.

PRæter dictum arcanum ſunt quædam ſimplicia, quæ ſimilia ſunt elemento aquæ, videlicet ſi ipſis adimatur: de his dicet præſens caput, nempe aqua marrhubij, aqua barbæ Iouis, betonicæ & nenufaris: cùm autem ars ea præparandi non ſit vſitata apothecarijs, ſequitur ratio, quomodo præparanda ſint, vt conſeruentur artifices, qui ab eiuſmodi ſpiritibus inflammati ſunt, ſimiliter Alchymiſtæ, fuſores,

Præſeruatiuum et conſeruatiuũ ex herbis et lactis butyra.

fuſores, & alij, de quibus in iſto tractatu dicitur, vt ſibi ipſi conſulere poſſint: doctrina autem præparationis eſt hæc. Vt dictæ herbæ aut ipſarum ſimiles colligantur dum adhuc virent, & cùm tantundem cremoris lactis miſceantur, & in cantharo coquantur, in balneo maris per vnam horam, & ſic ieiuno ſtomacho comedantur. Iſte cibus præſeruat, conſeruat, defendit & curat Alchymiſtas, aurifabros, monetarios, fuſores & reliquos, de quibus in hoc libro dictum eſt. Nota hîc, quòd vna ex parte hîc corpus ſit butyrum vel ſaltem lac pinguius, altera ex parte herbæ prædictæ, vel ſimiles, aut earundem ſuccus vel liquor: imò etiam excoqui poſſunt, & poſtea cum lactis cremore decoqui, vt ſuprà: extra hunc proceſſum, morbi minerales minimè ſuperantur.

TRACTATVS ſextus & vltimus.

De cura morborum ex argento viuo.

CAPVT I.

ITA ſatis dictum eſt de præſeruatiuis: quæ enim præſeruant, etiam conſeruant: porrò loquendum eſt de cura, per quam argentum viuum ex corpore expellitur, antequam medicina & cura incipiat; quòd ſi fieri debeat, argentum viuum neceſſe eſt viuificari: dum enim non viuit, à corpore ſeparari nequit: idcirco ſummum hoc eſt, vt viuificetur, deinde, quomodo ex corpore expellatur; proceſſus autem ita ſe habet. Pono caſum, te habere ægrotum, qui in ſe certum pondus argenti viui geſtaret, idque eſſet viuum: dabit igitur ſua ſigna; dentes valdè nigri ſunt, membra debilia & rigida, adeſtque fluxio erratica nullo certo in loco

Signa Mercurij viuiet mortui in corpore.

loco manens, exerens ſe primò in articulis & nodis. iſta ſunt ſigna argenti viui, quod plerunque habet fixum locum, quaſi durum apoſtema illic lateret. Quòd ſi argentum viuum non ſit viuum, ſigna ſua exhibet iuxta lunam in duritie tibiæ: affert etiam tinctam vrinam & malcolentem anhelitum: hoc modo vterque Mercurius agnoſcitur & deprehenditur.

CAPVT II.

IAM verò decet nos loqui de exitu argenti viui: deinde dicemus quomodo non viuum reddatur viuum, ità yt aptum fiat ad exitum: Notate igitur de exitu Mercurij, quòd quilibet Mercurius ſe collocet in concauitates nodorum & articulorum, nempe ſi deorſum tendat, per ſpinam dorſi, & regiones renum, in genua aut in nodorum acetabula per confinia ligamenta, ſicut argentum viuum, ſi in foſſam aquæ ponatur, ſemper deorſum tendit, donec ſedem & cataractã

Loca Mercurij viui in homine.

inueniat, in qua conſiſtat, ita genua ſunt cataractæ, ſimiliter & nodorum articuli, quin & interdum colligit ſe in ipſis ligamentis, ſæpè in imis plantis quouſq; cadere poteſt: ita etiam ſedem ſuam figit in brachijs, in cataractis humerorum, cubitorum, & porrò in raſtetis, etiam in occipite, in concauitate oculorum, ita vt interiores anguli oculorum illud eijciant: ſæpè etiam nares occupat, ſæpè per fauces in ſtomachũ decidit, & per ſeceſſum egreditur: vbi autem poſitum ſit ex ſignis & bona experientia diſcendum eſt.

CAPVT III.

Corroſiuũ emunctorium faciẽs ☿ viuo.

POſtquam autem cataractam inueniſti, in quo ☿ collectum eſſe animaduertis, etiamſi hactenus non creditum ſit, poſſe in tali loco id fieri, appone illi cataractæ, quàm latè patet fundus illius, hoc corroſiuum, non curans, quòd ſit ibi articulus, nec vllo modo abhorrens, quin ipſum corroſiuum ſatis forte & craſſum fac: deſcriptio autem eius eſt iſta:

Recipe

Recipe Realgaris albi ℥ j.
Alcali de calce,
& cineres iſalidis
Olei roſacei quantum ſatis eſt, vt fiat emplaſtrum ſupradictum.

Huius corroſiui natura eſt, vt vehementer inflammet, in qua inflammatione membri illius, Mercurius commouetur & euaporat per illam cataractam. ſciendum etiam tibi eſt, quò longius hoc proceſſu vtaris, eò melius eſſe, nempe per duas aut tres ſeptimanas, donec eſcara ſpontè ſegregetur & mercurius effluat: poſtea conſolida emplaſtro gummato, donec coaleſcat caro: deinde munias croco martis. Hîc quoque notandum eſt, cauendum eſſe ab alijs corroſiuis, nempe à mercurio ſublimato, & quicquid citò aperit cutem. *Eſcara eſt caro eroſa.*

CAPVT IIII.

SI autem mercurium mortuum viuum facere velis, vt per dictū modum ad exitum perduci poſſit, ita age: Primùm omnium appara balneum

fortè ex herbis mucilaginoſis,& de locuſtis abietum aut fruticum iuniperi, etiam de recentibus fructibus pyramidalibus abietum, decoctum;in quo lauet æger pro ratione perſonæ & roboris, quàm poteſt ferre calidiſſimè: quin etiam vtatur thermis in Pfeffers, Plumbers, Gaſtein, Dopplitz, Aquisgrani, Ems, Geppingen, aut factitijs ex ſulphure, & ſimilibus. Quando autem ex balneo egreditur, ſucco flammulæ fricetur, aut oleo de piperibus: poſt quæ ſudor ei cieatur quocunq; id modo fieri poteſt, theriaca, mithridatica, &c. hoc perpetuò fiat non habita ratione dolorum. Inter hæc enim argentum viuum reuiuiſcit. Poſtquam verò certa experientia viuere Mercurium compereris, perge, vt ſupra dictum. & quoniam ſæpè accidit, vt dolor non deſinat, ad centrum tende, illudque agnoſce & perge: ſæpè enim Mercurius in forma medicinæ adminiſtratus, tam fortiter eſt mortificatus, ſed erronea ratione, vt difficulter reuiuiſcat, quòd puſtularij medici ſibi laudi &

di & arti dicunt: ego verò pro magna ſtultitia reputo.

CAPVT V.

Contra trepidationem membrorũ.

IAm verò de morbis ſpecialiter ſcribamus. Poſtquam igitur dicta medicina adhibita eſt, primùm notate quid porrò agendũ ſit in trepidatione membrorum, vtpote manuum, pedum & corporis totius. vbi ita procedendum eſt: primùm fac balneum tale:

R. Agrimoniam,
Flores lilij conuallium,
Radices hirundinariæ,
Calcis ouorum partem certam.

In iſto balneo lauet æger, poſt balneum vnge eum iſto vnguento:

R. Pinguedinis excoctę ex vulpe ℔ j.
Caſtorini diſtillati,
Terpentinæ diſtillatæ cum cantaridibus & baccis lauri ana ℥ v.

Miſceantur in igne, & fiat vnguentum, quò melius non inueni [illegible] non ſolùm in tremoribus Mercurialibus, ſed etiam in ſimili gutta, paraliſi, lethargo:

& quicquid poſſibile eſt in apoplexia obtinebis per hoc, ſi modò origo ſit ex Mercurio: ita etiam tolles Mercurialem ſpaſmum. Notandum etiam eſt, balneum ſupradictum melius fieri additione flammulæ & ſauena riparum, quæ etiam pro tuo iudicio prorſus omittere potes.

Sauena riparū eſt hydropiper. Vide tractatū de Perſicaria.

CAPVT VI.

Similiter ſcitote etiam de ictero minerali, quod etiā ſingulariter, poſtquam Mercurius deriuatus eſt, & eiectus, curari debeat, eſtque ea medicina duplex, mineralis nempe & montana, vna ex parte ſit Eſula, altera ex parte Rebiſola: hæc duo adminiſtra pondere drachmæ quotidie manè, donec recedat morbus. Hæc duo ſuperat extractum rhabarbarum ſumptum cum liquore tartari, prout experientia ſuadet & docet. Similiter etiam agendum in hydrope minerali, in tali aſcite, timpanite, etiam in hernia, bubone, &c. vbi etiam adhibendæ ſunt

Icteri mineralis cura.

Hydropis mineralis cura.

ſunt exteriùs medicinæ, quæ ſimplicibus & naturalibus eiuſmodi morbis proſunt. Sciendum hîc quoque eſt, quòd dicta medicina ſit laxatiuum pro fœminis, ſi ratione matricis in talem morbum mineralem incidant, ſimiliter in febribus & earundem colicis, contracturis, & alijs torſionibus: quicquid enim liquor tartari non perueſtigat, id vix inueniri poterit. Notandum quoque in contractum Mercuriali balneum fieri debere de ſerpentina & lilio conuallium: & inungatur patiens perpetuò axungia humana, medullata, vulpina medullata, aut ſimilibus, vt de mele vel taxo, ita vt ſemper caleat, & in fluxu conſeruetur, hoc modo quilibet mercuriali contractura laborans ſanatur: tu modò ne deſpera de temporis longitudine.

Morbi muliebres.

CAPVT VII.

Sequiunt etiam alij accidentales morbi in membris principalibus, abſq; præſentia aliorũ morborum magno-

te,quod quantū ad dolores nihil ſingulare hîcſcribi debeat,cùm aquæ fortes &pulueres dentales illos tollāt,in quibus etiam cõquieſco. Quod autem ad putredinem attinet, ita agendum eſt: Eluantur bene dentes aqua mellis, poſtea inunge eos melle & aloe patico mixtis per aliquot dies: denique in diſtillata & præparata aqua aluminis pone plantaginem,ſal,conſolidam,ſerpentinam , & illa aqua quotidie bis dentes prolue, ita putredo dentium deſinet. Quod ad dentium luxationem, quid ſuperat oleum de croco Martis,ſi eo inungantur? quod ad caſum dentium,nihil aliud eſt,quòd vim Mercurialem tollat, quàm oleum nucis muſcatæ : quod ad cruciatus ex punctionibus, & repentinis fluxionibus, vulgaribus compoſitis non agendum eſt, ſed arcanis, vt dictum eſt de membris principalibus, vnà cum vſu phlebotomiæ & ſcarificationum, ſicut communis neceſſitas requirit.

CAPVT NONVM. & vltimum.

De morbis verò tempeſtatum ſeu impreſſionum, de quibus dictum eſt, notate, quòd ſolummodò inflammationi ſint ſimiles, nihilq́ue aliud agendum, quàm vt axungia porci, quã feruidiſſimè liquefiat, & in ſuccum barbæ Iouis infundatur, & in emplaſtrum vel vnguentum redigãtur percutiendo. Similiter vt coquantur contuſi cancri in lacte, & ita ſuperponantur loco affecto. Quicquid autem indiget incarnatione & conſolidatione cutis, illi adhibeatur vnguentum ouorum, aut puluis exiccatiuus. Hîc quoque notate de repentinis ventis & iaculationibus draconum, vt vocant, quæ fiunt in montibus intimis, quòd his medeatur omnibus AVRICVLA MVRIS; in qua peculiaris proprietas latet iſta vincendi & fugandi.

Contra impreſſiones metallicas rũ fodinarũ

Finis trium librorum de Morbis mineralibus.

I N-

INDEX SVMMAus trium librorum, tredecim tractatuum, ſexaginta nouem capitum de Morbis mineralibus.

LIBER I.

De morbis foſſorum mineralium.

TRACTATVS I.

De ſimilitudine peripneumoniæ & morbi metallici.

TRACTAT. II.

De origine morbi metallici.

TRACTAT. III.

De effectu & ſignis morbi metallici.

TRACTAT. IIII.

De cura morbi metallici.

De præſeruatiuo iuuentutis Cap. III.
De præſeruatiuo putrefactionis membrorum Cap. IIII.
De ratione dietæ Cap. V.

De cura aſthmatis ſupra & infra terram Cap. VI.

De cura trium ſpecierum morbi metallici ex arcanis Cap. VII.

Concluſio libri primi de morbo metallico Cap. VIII.

LIBER II.

De morbis fuſorum, examinatorum, purgatorum, & aliorum artificum mineralium.

TRACTAT. I.

De rebus quæ fuſoribus minerarum nocent.

TRACTAT. II.

De morbis, quos pariunt metallorum tria prima principia ſuis opificibus.

TRACTAT. III.

De morbis ſalium natiuorum & artificialium.

LIBER

LIBER III.

De morbis argenti viui.

TRACTAT. I.

De ſemiperfectione argenti viui, & quòd ideo ſit bonum & malum.

TRACTAT. II.

Quòd argentum viuum ſit Luna & hyems terreſtris, & caput ſtellarum hyemalium in terra.

TRACTAT. III.

Quomodo duo contraria homo & argentum viuum poſsint ſimul eſſe.

TRACTAT. IIII.

De morbis, quos gignit argentum viuum in homine.

TRACTAT. V.

De cura morborum mineralium, de quibus in ſecundo libro dictum eſt, & de præſeruatiuis eorundem.

TRACTAT. VI. & vltimus.

De cura morborum ex argentouiuo.

Georgius Forbergius Interpres lectori S.

INnumeris ferè ſcatebat mendis & erroribus pręſens opus, ita vt nullum ferè ſenſum inde colligere poſſes, vtpote ab homine indocto & auaro, & in manu Theophraſti, omnium quas vidimus obſcuriſſima, legenda minimè exercitato, in lucem datum, quales nunc paſſim ſe rei Theophraſticæ immiſcent, qui ex imperitia & auaritia, & titulos & libros corrumpunt. Vt igitur ſtudioſus lector egregio iſto opere, in

quo plurima vtilia continentur, frui poſſet, quantum fieri potuit, illud reſtitui, ingentibus certè laboribus, vt etiam doctiſſimis Germanicæ linguæ peritis in collatione patebit. Cùm verò in tantis ſalebris facilè aliquid erroris committi poſſit, tu duriuſculo ſtylo & alicubi obſcuro veniam dabis. Bene vale.

CVRA.

Duplex eſt cura eius ex Tartaro & Zileto,

PRIMA CVRA.

Diatartari deſcriptio.

Accipe tartari albi libram,
quæ vitæ ex vino rubro optimo, & aquæ meliſſæ deſtillatarum libram ſemis,
Baccarum iuniperi,
Florum gamandreæ,
Cichoreæ ana ℥ iij.

Reduc in aquam. Doſis eſt ʒ j. ad ℥ s. in vino maluatico, vel aqua prunellæ, per cohob. Si ſudorem non prouocarit, &c. repetatur diebus ſingulis.

Alia deſcriptio Diamumiæ.

℞. Aquæ prædictæ libram,
Mumiæ claræ & ſelectæ ℥ iiij.
Aquarũ praſij & menthæ an. ℥ s.

Fiat mixtura. Doſis ab ℥ s. vſq; ad integram, manè & ſerò ſecundum cohob morbi.

Deſcriptio Zileti.

℞. Diamumiæ ℥ vj.

Salium gemmæ,
Colcothar,
Aluminis ſciſſi,ſing.℥ ſemis,
Aquarum meliſſæ,
Abſinthij vtriuſq; ʒ iij. cõmiſceantur. Doſis ſunt grana vij ad xiiij vſq;.

Alia Zileti deſcriptio.

Accipe trium ſalium ℥ j.
Tartari vtriuſque an.℥ ſemis,
Mumiæ electæ ʒ j.
Aquæ meliſſæ,
Conſeruæ bugloſſæ,vtriuſq; q.s. erit pro incorporatione. Deſtilla per alembicum.
Doſis à ℈ vſque ad iiij.

In cura pleureſis in cerebri regione hæc eſt deſcriptio.

Cape Laudani puri, id eſt, liquoris ſeparati ℈.
Olei de muſco gr.iij.
Camphoræ gr. vij.
Fiant Pilulæ cum aqua de ſpicula. Doſis à gr.vj. vſque ad vij. vel ix. ſecundum cohob.

Cura

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE